Diſputationum Theologicarum ADAMI TANNERI, E SOCIETATE IESV, SS. THEOLOGIÆ IN CATHOLICA ET CELEBRI ACADEMIA Ingolſtadienſi Profeſſoris,

IN OMNES PARTES SVMMAE THEOLOGICAE S. Thomæ Aquinatis,

LIBRI QVATVOR.

Quorum ſinguli ſingulis partibus eiuſdem Summæ reſpondent.

Indicem diſputationum, & capitum cuiusq; diſputationis verſa pagina exhibet.

Cum facultate Superiorum.

M. DC. XVIII.

INGOLSTADII,
Ex Typographeo Ederiano apud Eliſab[etham] Angermariam, viduam.

INDEX ET ORDO DISPVTATIONVM, AC CAPITVM CVIVSQVE disputationis.

Liber I.

In primam partem S. Thomæ.

Disputatio I.

De verbo Dei scripto & non scripto, deque Iudice controuersiarum fidei, contra Sectarios.

Disputatio II.

De Prædestinatione diuina, ac reprobatione:

Disputatio III.

De SS. Trinitatis Mysterio.

Liber II.

In Primam Secundæ S. Thomæ.

Disputatio I.

De Actibus humanis in genere.

Dispu-

Disputatio II.

De virtutibus & vitiis siue peccatis in genere.

Pars I.

De virtutibus.

Pars II.

De vitiis ac peccatis.

Disputatio III.

De legibus ac priuilegiis.

Disputatio V.
De horis Canonicis.

Liber IV.
In tertiam partem S. Thomæ.

Disputatio I.
De Incarnatione.

IV. De

Disputatio II.

De Sacramentis in genere.

Disputatio III.

De SS. Euchariſtiæ Sacramento.

Pars II.

De Matrimonij natura, caussis, proprietatibus & effectis.

Pars III.

De impedimentis Matrimonij.

FINIS.

AD

AD AMICVM ET ERVDITVM LECTOREM.

CVm post quindecim annos in Scholasticæ Theologiæ professione Ingolstadij transactos, ex eadem Academia, Superiorum authoritate ac iussu, ad Viennensem euocatus, abitum pararem, rogarunt me quamplures ex Auditoribus meis, etiam atq; etiam, vt disputationes quas ex omnibus prope materiis Theologicis, in schola ꝓ more explicatis & dictatis, tum antea Monachij, tum præcipuè Ingolstadij publicè diuerso tempore à diuersis Auditoribus propugnandas proposueram, in vnum volumen noua typi expressione redactas, quasi mnemosyni cuiusdam loco relinquerem: Fore enim eas non sibi tantum priuatim gratas, sed & cuiusdam, ex vniuersa propemodum

dum Scholaſtica Theologia, compendij inſtar, cæteris etiam Theologiæ ſtudioſis deinceps publicè vtiles. Feci hoc ego non illibenter, non tam meum iudicium ſecutus, quàm illorum erga me affectui obſecutus; omneſq́; illas diſputationes denuo recognoui, atq; in quatuor libros diſtributas, iuxta ordinem Summæ Theologicæ S. Thomæ ita diſpoſui, vt ſingulis partibus ſinguli libri, ſueq́; diſputationes reſponderent. Addidi etiam Indicem non ſolum diſputationum, ſed etiam capitum cuiuſq́ue diſputationis, vt ſtudioſo Lectori tantò facilior & commodior huius opuſculi vſus accideret. In quo illud quidẽ obſeruari velim, in his diſputationibus (tribus ſolum exceptis) propoſitũ mihi non fuiſſe; ex inſtituto controuerſias fidei contra Nouatores huius temporis pertractare, ſed q̃ ad Scholaſt. Theologiæ Profeſſorem propriè pertinet, difficultates potiſſimum Scholaſticas, quæ ſalua fide & charitate, inter ipſos Catholicos doctores variè diſputãtur, enoda-

enodare, & si fieri posset, in apertum producere. Qua de causa etiam singulis ferè pronuntiatis suos in vtranque partem authores subiũxi; tum vt quoniam inter cæteras scientias Theologia (in rebus obscuris & arduis apprimè occupata) authoritate potissimũ nititur, vtrique tam nostræ, quàm aduersæ sententiæ suum constaret pondus ac momentum: tum vt quisq; in promptu haberet, vbi materiam in thesibus breuiter expressam, fusius discussam legere posset & expendere. Qua re vti neminem existimo iure posse offendi, ita equidem ipse etiam minimè ægrè laturus sum, si quis suum iudicium secutus, diuersam à me sententiam voluerit amplecti. Vigeat modo charitas, & vincat veritas, de cætero, lector amice, quisquis es, tuo arbitratu liberè statue. Vale, & Deum pro me ora.

LIBER I,
In I. partem S. Thomæ.

Disputatio Theologica I.

DE VERBO DEI, SCRIPTO ET NON SCRIPTO, DEQVE IVDICE CONTROVERSIARVM FIDEI, contra Sectarios.

Proposita Monachij anno M. D. XCIX.

AD Controuersias fidei, vt & ad quasuis alias, dirimendas, duo perquam necessaria sunt, competens nimirum Iudicis autoritas, & certa probationum momenta. Nunc autem, qui Sectariorum mos est, omnes vt primum legere Scripturas nôrunt, vt audire possunt, laniones & lenones, artifices & carnifices, Ministri æquè ac Magistri verbi, de abstrusissimis fidei nostræ mysteriis audacter in

in suis quisq; ergastulis disputant. Si quaeras: quo Iudice? vix inuenias. Nisi quòd dum singuli suo iudicio vincere volũt, dum nulli submittere quod sentiunt, tot supremi Iudices fidei sunt quot inepti & superbi disputatores. Vel quod peius est, dum singuli, quantumuis alij ab aliis dissidentes, scriptura Iudice (haec enim cuiq; illorum sonat quod sentit, cuique indicat quod iam antè temerè praeiudicauit) causae victoriam iactant, Scripturã, per summam blasphemiam, falsitatis Patronam, erroris Magistram, manifestae contradictionis Fautricem & assertricem constituunt. Et tamen hi sunt, qui solos se inuiolatam Verbi autoritatem conseruare venditant, apud quos scilicet Verbum Dei manet in aeternum. Contra hanc itaque istorum hominum caecam temeritatem, praesentem disputationem de verbo Dei scripto & non scripto, quae fidei regula est, & fidei controuersiarum Iudice proponemus. Sed quo Iudice de ipso Iudice disceptabimus? te ipso nimirum, si sapis; quisquis adhuc alium Iudicem requiris, quàm verum. Causae bonitas haec est, vt etiam corruptum Iudicem non reformidet. Quòd si non sapis,

sapis, nil etiam vereor abs te condemnari.

Quatuor autem capitibus absoluetur hæc disputatio. I. Agetur de Canone sacræ Scripturæ seu numero librorum Canonicorum. II. De variis editionibus librorum sacræ Scripturæ. III. De verbo Dei non scripto siue de traditionibus sacris. IV. De Interpretatione sacræ Scripturæ & Iudice controuersiarum fidei.

CAPVT I.

De Canone sacræ Scripturæ.

Thesis Prima.

SCRIPTVRAM sacram in proposito vocamus illam, quę Spiritu sancto inspirante & dictante conscripta est, & per hominem velut calamum quendam, diuinâ manu regente exarata, secundùm illud Psalm. a *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, & illud Baruch, b *Loquebatur* (Hieremias) *quasi legens ad me omnes sermones istos.* Dici solet scriptura Verbum Dei; tùm quòd mentem diuinā nobis pandat, tùm quòd quasi quidam Dei sermo sit, *quem Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* c vel potiùs quem Deus ipse d *per os sanctorum loquutus est.*

a *Psal.44.* b *Hierem.36.* c *2.Pet.1.* d *Luc.1.*

2. Dicitur etiam scriptura Canonica, vel quod ipsa Canon sit, & velut norma seu regula fidei, *cui benefaciamus attendentes.* a vel quod eius libri Canone Ecclesiastico notati & descripti sint, vt significat Athanasius b & Augustinus c sæpe, præsertim contra Faustum, vbi ait: *Has scripturas Canon Ecclesiasticus respuit*, & contra Cresconium: *non sine causa*, inquit, *tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus cõstitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant.* Et tamen hanc etymologiam nugas vocat, magnus ille Nugator Kemnitius. d

a *2. Pet. 1.* b *Athan. in synop.* c *August. de serm. Dom. in monte lib. 1. cap. 38. & lib. 15. de ciuit. cap. 23. & lib. 18. cap. 38. & contra Faustum lib. 22. c. 79. & contra Cresconium lib. 2. c. 32.* d *Kemnit. in Exam. sess. 4.*

3. Negat Schwenckfeldius cum Libertinis vllam eiusmodi Scripturam sacram Deo inspirante conscriptam, fideique regulam extare, atque ideò scripturas scriptoresque sacros impiè rident, ac pro fabulis habent, & suos interim enthusiasmos pro viuo, vero, & vnico Dei Verbo iactant. Sed quis non rideat potius istos phanaticos Enthusiastas? Quasi verò, quem sibi spiritum Dei familiarissimum gloriantur, is Prophetis, Apostolisque Dei inter scribendum non adfuerit, aut si adfuit, mutus omninò otiosusq; fuerit. Quod si ita est, si, inquam, Spiritus sanctus vel non adest sanctissimis, vel si mutus est & otio-

otiosus; cùm adest; tunc profectò nec spiritum Dei habent, nec quicquam ex Deo loquuntur isti Phantastæ; neque hoc ipsum quidem, quòd sancti Dei homines Spiritu sancto inspirati nihil loquuti sint, nihil scripserint.

4. Scripturæ autoritatem cum diuina sit, tam sacrosanctam agnoscimus, vt nefas esse ducamus, eã vel minimi in re leuissima erroris à scriptore sacro profecti arguere. *Admisso enim in tantum autoritatis fastigium aliquo mẽdacio* (aut errore) *nulla particula horum librorum manebit, quæ non poßit in dubium reuocari*; inquit præclarè Augustinus. a Absit igitur aliquem Euangelistis memoriæ lapsum cum Erasino impingere, aut quicquam non diuino, sed humano tantùm spiritu; in eiusmodi libris scriptum asserere: vt quidem asseruerunt Anomæi apud Epiphanium, b & alij quidam antiquiores hæretici. *Quod si aliquid in eius offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendosum esse Codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse nõ ambigam*, inquit rursum Augustinus. c

a *Aug. epist. 8. ad Hier.* b *Epiph. hæres. 76.* c *August. epist. 19. ad Hieron.*

5. Sed quid ad illud Matth. 27. *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam*: Nonne hic manifestum est errore quodam positum nomen Hieremiæ pro Zacharia? Negant quidam vllo id errore accidisse. Verùm rectiùs

alij errorem agnoſcunt: ſed autorem erroris Euangeliſtam negant: Putant enim ab Euangeliſtâ, omiſſo penitus Prophetæ nomine, pro more ſcriptum tantum modò: *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Prophetam:* poſtea verò aliunde illapſum eſſe *Hieremiæ* nomen. Huius rei argumento eſt, quod & in Syriaco nomen Hieremię non legatur; & quod Auguſtinus *a* ſcribat, ſuo tempore in multis etiam latinis codicibus lectũ non fuiſſe. Atque ita Baronius *b*, Ianſenius *c*, Maldonatus *d*. & alij.

a *Aug. lib. de conſen. Euang. cap. 7.* b *Baron. tom. 1. Annal.* c *Maldon.* d *Ianſen. in illum locum Matth.*

6. Vnde autem tam eximia ſcripturæ autoritas, vnde tam incorrupta veritas? vtique ab autore Deo qui eam condidit, qui nec falli, nec vllo modo fallere poteſt. *Quia non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur. a* Inde ergo habet quòd diuina ſit, quòd ſacra ſit, quòd ab omni falſitate alieniſsima ſit; vnde omninò habet quòd ſit. Non igitur Eccleſia ſcripturam, veram, ſacram aut diuinam facit vel conſtituit. Nõ eſt hæc Catholicorum ſententia, ſed Sectariorum de Catholicis calumnia.

a *Num. 23.*

7. Hoc dicimus: ſcripturam Canonicam, vtcunq; re ipſa diuina, ſacra, infallibilis ſit, debere tamen vt talis à populo Chriſtiano meritò haberi poſſit, per infallibilem aliquam Eccleſię Catholicæ

tholicæ authoritatem, tanquam diuinam, tanquam ſacram, tanquam infallibilem proponi: ita vt non ipſa quidem Scriptura ſacra per Eccleſiam fiat, ſed patefiat. Quod vſq; adeò verum eſt, vt & ipſi etiam ſectarij, nullo alio medio, neque ex ipſa ſcriptura, neque ex veterum SS. Patrum, aut antiquorum Conciliorum teſtificatione, neque ex antiquæ Eccleſiæ vſu & praxi, abſque infallibili aliqua noſtrę Catholicę Eccleſiæ autoritate & propoſitione, poſſint certò & infallibiliter libros ſacros à profanis diſcernere. Hoc eſt, inquam, quod non tantùm fidenter aſſero, ſed euidenter ſingulatim demonſtro: quod quia non libenter audiunt Sectarij, & tamen palàm improbare vix audent, in alienum ſenſum raptum calumniantur.

8. Et quòd ex ipſamet ſcriptura ſcripturas ſufficienter internoſcere non poſſint, ita manifeſtum facio. In ſcriptura non eſt, niſi argumentum & oratio tanquam materia, indubitata veritas tanquam forma, ſtylus & idioma tanquam quid extrinſecus adueniens: & ſi quid præterea cogitari poteſt, ad iſta reuocatur: Ex nullo autem iſtorum, vel ſeparatim, vel copulatim ſumpto, ſcriptura ſufficienter innoteſcit: ergo veriſſimum eſt, ex ſcriptura ſcripruram, ſepoſita Eccleſiæ Catholicæ infallibili autoritate, ſufficienter non agnoſci.

9. Non ex argumento, oratione, ſtylo ſiue idiomate. Tùm quia nihil omnino de ſcripturæ

argumento & oratione sciremus, nisi aliunde prius scripturas dignosceremus. Tùm quia hæc omnia Scripturæ sacræ cum profana communia sunt, aut esse possunt. Tractant Iosue & Regum libri bella Iudæorum, tractat eadem Iosephus profanus Scriptor. Sermo Scripturæ sacræ Hebraicus, Chaldaicus, Syriacus, Græcus, Latinus est: eundem esse profanorum scriptorum quis nescit? stylus varius, generatim tamen loquendo, simplex & vulgaris est, non humanę sapientiæ verbis splendidus, sed rerum & sententiarum pondere grauis. Idiotismus Scripturę sacræ ex lingua præcipuę hebraica & græca nascitur. Quid ergo in stylo & idiomate non commune cum aliis profanis eiusdem sermonis libris? Aut si quid omnino hac in re proprium scripturæ est, quis illud proprium ante scripturam iam aliunde cognitam probè discernit: cùm præsertim ipsi scripturæ libri nō minus aliquando inter se, quàm à nō sacris, sermonis proprietate dissentiant?

10. Multò minus ex veritate aut falsitate scripti Scriptura sacra à non sacra potest internosci. Multa enim profanè scripta vera sunt, & sacra tamen non sunt: nisi fortè nihil vnquam verè scripserint Sectarij. Contrà verò multa in Scripturis sacris ob apparentem repugnantiam talia sunt, quæ nisi aliunde sciremus Deo dictante conscripta esse, falsa nobis penitus videri possent. Talia passim in Moyse & Prophetis, in Aposto-

postolis & Euangelistis occurrunt, vt omnes sciunt, & diligenter annotauit Seraphinus Cumiranus Feltrensis. Nonne ergo si ex veritate iudicium faciendum sit, profana sacris, sacra profanis miscebuntur?

11. Est quidem aliquid reconditæ & latentis veritatis in scriptura, quod scripturæ proprium est, nempe quòd non solum ipsa non fallat, sed nec fallere aut errare possit, vtpotè dictante Spiritu sancto conscripta. Sed hanc propriam veritatis excellentiam cùm per se occultissima sit, tùm demum in scriptura agnoscimus, cùm iam aliunde Scripturam sacram, eiusque autorem Deum cognouerimus.

12. Sed quid Caluinus *a* ad hoc? *Quòd autem rogant*, Catholici inquit, *vnde persuadebimur à Deo fluxisse* (hos vel illos scripturæ libros) *nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus: perinde est ac si quis roget: vnde discemus lucem discernere à tenebris, album à nigro, suaue ab amaro? Non enim obscuriorem veritatis suæ sensum vltrò scriptura præ se fert, quàm coloris sui res albæ ac nigræ, saporis suaues & amaræ.* Et infrà dicit, *b* Autorem scripturæ Deum esse, ex arcano testimonio Spiritus, quod Spiritus sanctus cordibus piorum obsignet, discendum esse.

a *Cal.lib.1.Instit.cap.7.§.2.* b *Cal.ibid.§.4.*

13. Sed ego profectò tam perspicax non sum, vt hunc tam lucentem veritatis sensum in scriptura, sine perspiciliis Ecclesiasticæ autoritatis,

clarè intuear. Sed hoc meridianâ luce clarius video, Caluinum velut noctuam in meridie hallucinari. Quid enim? Scriptura sacra tam facilè discernatur à profana, quàm lux â tenebris, quàm album à nigro, ab amaro dulce? cæci sunt igitur omnes quotquot hoc primo quasi intuitu non vident, quotquot diuinam omnipotentis vocem à profana euidenter non discernunt?

14. Cæcus igitur Caluino fuerit Gedeon, qui dum semel, atque iterum diuina voce admonitus esset ad præliandum contra Madian, vocem tamen diuinam non continuò agnouit: sed, *si inueni*, inquit, *gratiam coram te, da mihi signum quòd tu sis, qui loqueris.* *a* Cæcus itidem Caluino fuerit Manue eiusdemque vxor, qui tamdiu cum Angelo Domini, verbum Dei annuntiante colloquuti, neque Deum, neque Angelum cognouerunt, priusquam audirent illud: *b Cur quæris nomen meum quod est mirabile.* qualis ignorantia in Israël quoque apparuit, dum contra Deum fortis in lucta fuisset. *c* Cæcus præterea Samuel, *d* qui ter à Domino vocatus, nec per coniecturam quidem Domini vocem agnouit, neque agnouisset etiam quartò vocantem, nisi ab Heli de diuina voce præmonitus fuisset.

a *Iudic.6.* b *Iudic.13.* c *Genes. 32.* d *1. Reg.3.*

15. Cæcus etiam, imò Dux cæcorum, Caluini iudicio fuerit Paulus, *a* qui tametsi *in tertium vsque cœlum raptus audiuerit arcana Dei, quæ non licet homini loqui,* tamen de se & nobis omnibus

bus loquutus ait: *b videmus nunc per speculum, in ænigmate*, qui etiam fidem definit esse *argumentum (rerum) non apparentium. c* Cæci tandem Caluino fuerint omnes quasi SS. Patres, qui & in Canone scripturæ consignando salua fide & charitate à se mutuò nonnihil, & à Caluino plurimũ dissentiebãt, & nihil in hoc genere sine Ecclesiæ autoritate scire se liberè profitebantur.

a *2.Cor.12.* b *1.Cor.13.* c *Hebr.11.*

16. Ergone omnes isti cæci fuerunt? an potiùs ipse Caluinus luscus est, q solus videt, quod alius nemo videt, imò qui nec hoc quidẽ videt quod videt, vtpotè oculatissimis etiam inuisum? Certè librũ Sapientiæ à Canone excludit Caiulnus, *quem tamen etiam temporibus proximi Apostolorũ egregij tractatores testem adhibentes, nihil se adducere nisi diuinum testimonium crediderunt.* teste Augustino. *a* a *Aug. lib. 1. de prædest. c. 4.*

17. Sed fo tasse spiritus Dei & arcanum Spiritus sancti test monium sanctissimis illis, quos allegaui, viris defuit, quo certò dignoscerent Verbum Dei à profano? Ill equidem spiritus, qui Caluinum ita videntem reddidit, omnino eis defuit. Sed quis non ex hoc ipso intelligat illum ipsum Caluini spiritum, Dei spiritum non esse, sed diaboli, qui sese in Angelum lucis transfigurauerit, cui sicut conuentio non est cum Christo & discipulis Christi, ita plurima cum filiis Belial communio? Prodidit certè nobis Caluinus, ex quo spiritu loqueretur.

18. An autem fortasse in ipsis sacris libris aliud nescio quid diuini spiritus & energiæ alij quoq; subodorantur Sectarij, ex quo ipsi, vt sunt alioquin nasuti, sacrum librum à profano certò dignoscere possint? Sed cui risum nō moueat hæc odora canum vis? Itáne verò sagaces sunt Sectarij, vt tam probè suis mucosis naribus spiritualia subodorentur, vt quod SS. Patres arrogare sibi ausi non sunt, id Lutherus, Caluinus, Bucerus, Zwinglius, & reliqua eiusmodi ventris & Veneris mancipia, quos sua caro fecit à fide & religione apostatas, tanquam intimi Dei Secretarij certò sint assecuti? Credat hoc quisquis volet. Ego S. Paulo credo: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* 1. *Cor.* 2.

19. Vnum adhuc restat vt videamus, an videlicet ex testificatione mutua, libri sacri innotescant, ita nimirum vt ex vno libro Canonico alter, ex allegationibus quæ extant in nouo Testamento colligatur, quis fuerit Canon scripturæ veteris Testamenti. Ita quidem censet Kemnitius. *a* Sed hæc censura profectò puerilis est, & indigna tanto Censore.

a *Kemnit. in* 1. *part. Examin. sess.* 4.

20. Nam si veteris Testamenti Canon ex nouo Testamento innotescit, sine proponentis Ecclesię autoritate, ipsius noui Testamenti Canon vnde innotescit? an vicissim ex veteri? Crederem si Moyses Matthæum allegaret. An ex seipso, vno videlicet libro alteri testimonium perhibente?

te? Sed hoc nimis friuolum eſt. Nam dato quòd poſteriores quidem libri ſemper allegarent priores, quis tandem allegauerit poſtremum? vt interim taceam vix vllum librum noui Teſtamenti ab alio diſtinctè citari.

21. Quin etiam ſi quàm fieri poteſt clariſſimè veteris Teſtamenti Canon in nouo conſignaretur, & ipſius noui Teſtamenti libri ſe mutuò apertiſſimè velut digito demõſtrarent; vnde obſecro hanc mutuam ſacrorum librorum teſtificationem errore & falſitate carere ſcias, ſine præuia Eccleſiæ propoſitione, ex qua prius conſtet eiuſmodi teſtificationẽ, vtpotè libris ſacris contentam fallacem eſſe non poſſe? An non alioquin meritò dubius & anceps etiam inter lucutentiſſimos teſtes hærebis, ſi non prius nôris eos decipere non poſſe?

22. Sed neq; hoc concedo Kemnitio, propoſito iam ſemel legitimè per Eccleſiam noui Teſtamenti Canone, poſſe iam vltrò per ſeipſum quemque veteris Teſtamenti Canonem ex nouo colligere. Quomodo enim id fiat? Ex allegationibus, inquit, librorum veteris Teſtamenti quę extant in nouo Teſtamento. Ergóne qui allegantur continuo ſacri erunt? Erit igitur Kemnitio ſacer ſcriptor Epimenides Poëta cuius illud allegat Paulus [a], κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, &c. ſacer etiam erit Menander, cuius illum ſenarium ponit [b] φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. ſacer denique erit Aratus, ex quo in teſtem vocato hemiſti-

mistichium illud profert idem Paulus, c τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Sed fortè non tam honorificè citantur Poëtæ isti atq; Prophetæ veteris Testamenti? Sanè Paulus cùm Epimenidem adducit vocat eum proprium Cretensium Prophetam, eiusq; testimonium tanquam verum apertè comprobat: quod vix de Moyse dicit: viderit igitur Kemnitius quos Scriptores sacros nobis producat.

a *Tit. 1.* b *1. Corinth. 15.* c *Actor. 17.*

23. Quid quod neque omnes quidem etiam Sectariorum & Kemnitij iudicio sacri veteris Testamenti libri in nouo allegantur? Certè ex libro Ruth, ex Regum primo, ex libris Paralipomenõ, ex Esther, Iob, Ecclesiaste, Threnis Hieremiæ, Sophonia Propheta nemo facilè inuenerit vllum testimonium in nouo Testamento allegatum, multo minus libros ipsos de nomine citatos. Quid si iam ad partes & capita librorum descenderem, de quibus tamẽ non minus quàm de ipso libro dubitari potest? Ideóne ergo quia nec libri singuli, neque singula librorum capita, neq; singula capitum membra ex veteri Testamento, citantur in nouo Testamẽto, reiicienda erunt? Certè si ex allegationibus noui Testamenti faciendum sit iudicium, ita faciendum erit. Satis ergo patet quàm pueriliter censuerit Kemnitius.

24. Similis omnino Censura esset illius qui existimaret ex ipsis singulorum librorum titulis, satis certò cognosci posse autorem, numerum-

umque librorum Canonicorum. Vel enim ti-
uli partes sunt librorum Canonicorum, quibus
ræfiguntur, vel non sunt. Si sunt, ergo quando
le libri veritate & autoritate dubitatur, de ipso-
um quoque titulorum autoritate dubitari ne-
esse est. Si non sunt, ergo infallibilem autorita-
em ad testificandum non habent, ac proinde
non erit conueniens eorum testimonium, quia
non satis certum.

.5. Taceo quod & apocrypha scripta multa
utorem Prophetam aut Apostolum preferunt.
Vt est Euangelium Thomæ, cuius meminit
Augustinus, *a* Euangelium Petri, quo vsi sunt
Nazaræi, teste Theodoreto, *b* & quo etiam Se-
rapion Catholicus Episcopus ad tempus dece-
ptus fuit, vt est apud Eusebium. *c* Item, Apoca-
lypsis Petri, de qua idem Eusebius, *d* Præterea
Euangelia Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, &
alia huius generis, quæ recensentur à Gelasio. *e*
De quibus verissimè dicit Augustinus. *f Multa, sub nominibus Prophetarum & Apostolorum ab hæreticis prolata sunt, quæ omnia sub nomine Apocryphorum autoritate Canonica diligenti examinatione reiecta sunt.* Patet ergo ex scripturâ, Scripturæ Canonem seposita Ecclesiæ autoritate, colligi nullo modo posse.

a *Cont. Adimant. c.17.* b *Hæret. fab. lib.2.* c *Lib. 6. cap.10.* d *Ibid. c.11.* e *Dist.15. Can. sancta Romana.* f *Lib.15. de ciuit. Dei cap.13.*

26. Accedamus ad Patres & antiquiora Conci-
lia;

lia: quò referri etiam volumus antiquæ Ecclesiæ vsum & praxin. Hîc Sectarij plæriq; conantur ex antiquorum Patrũ & Scriptorum monumentis ostendere, libros quosdam quos iam Catholici pro Canonicis habent, suppositios esse, ex eo, quòd de illis in veteri Ecclesia à nonnullis dubitatum esse constet. Putant enim fieri non posse, vt progrediente tempore libri quidam, de quibus aliquando dubitatum sit, pro Canonicis vnquam Ecclesiæ autoritate legitimè proponantur, vt Kemnitius *a* ex suorum sententia explicat. *Vbi enim*, inquit, *non possunt proferri certissima documenta primitiuæ & antiquissimæ* Ecclesiæ *ex testificationibus veterum, qui non longè post Apostolorum tempora vixerunt, libros illos, de quibus cõtrouertitur fuisse sine contradictione & dubitatione pro legitimis & certis acceptos & commendatos* Ecclesiæ, *non valent vlla humana decreta*.

a *Kemnit. in 1 part.* Examin. *sess.* 4.

27. Contraria est Catholicorũ sententia, posse videlicet etiam libros quosdam, de quibus olim à nonnullis dubitatum fuerit, à posteriore Ecclesia in Canonicis certa & infallibili autoritate numerari: ac proinde non ex sola primę Ecclesiæ testificatione, absq; certa posterioris Ecclesiæ determinatione, libros sacros à profanis certò iam discerni posse, & multo minimè posse Sectarios ex solis eiusmodi antiquæ Ecclesiæ testimoniis, absque præsentis Ecclesiæ Catholicæ autoritate aliqua infallibili, certum aliquod & indu-

indubitatum hac de re iudicium ferre, vt mox patebit.

28. Primùm enim quærere possem, vnde, nisi ex nostræ Catholicæ Ecclesiæ testificatione & traditione, libros veterum Patrum & Scriptorũ, quos solos testes nunc & Patronos asciscunt, aut habeant, aut habere se nôrint? Quod si ita est, fateantur ergô primùm se absque certa aliqua nostræ Ecclesiæ autoritate iudicium de libris sacris ferre nõ posse: deinde agnoscant, malè se facere, dum Ecclesię nostrę Canonem Scripturę proponenti non credunt. Quid enim credis Ecclesiæ asserenti, hic vel ille est Cypriani, Origenis, Athanasij, &c. liber, & non credis eidem certa cum autoritate asseueranti: Hic est Petri, hic est Pauli liber, &c. In hoc fallere potest, in illo, cuius haud dubiè longè minor sibi Deoque cura fuit, fallere non potest?

29. Neq; lubet etiam hîc fusius improperare Sectariis, quòd alioquin ipsi, cum SS. Patrum testimoniis premi se vident, iam hos Clementis libros corruptos, illos Dionysij ψευδεπιγράφους, alterius non γνησίους, epistolas Pontificum, Canones Conciliorum suppositios, sine ratione, sine teste fide digno, pro libito proclamant, tantùm vt rationi, vt testibus non succumbant.

30. Neque illud etiam magnoperè iam vrgeo contra Sectarios, eos palàm quoq; subinde contemnere & nihili ducere consentientem etiam SS. Patrum autoritaté. Certè enim hæc Lutheri

vox

vox est: a *Protestor, aduersus eos qui in me sunt clamaturi quòd contra statuta Patrum, contra receptissimum vsum docuerim, horum nihil me auditurum.* Caluini ista: b *Ante mille & trecentos annos, vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis, &c. Sed abrepti etiam ipsi veteres, fateor, in errorem fuerunt.* Ecce quàm ingenua confessio, plurium etiam profectò catenarum pœnitentia non expianda. Magdeburgenses similiter c fatētur omnes veteres iam à primo sæculo in asserendo libero arbitrio à veritatis tramite declinasse. Et similia passim habent Sectarij. Vt interim nihil dicam quibus Censuris singulos quosque Patres frequenter notent. Quæ cùm ita sint, quid obsecro momenti ex antiquorum Patrum monumentis superest Sectariis, ad scripturæ Canonem; seposita nostræ Ecclesiæ autoritate, certò consignandum?

a *Luther. init. lib. de abrog. miss. priuata.* b *Cal. lib. 3. Instit. cap. 5. §. 10.* c *Magdeburg. Cent. 2. cap. 4. & al.*

31. Istud quæro à Sectariis; an velint testibus primi sæculi, an posteriorum rem transigi? Non primi. Quia Apostoli, de quorum scriptis controuersia est, testes esse non possunt, vt suprà demonstratum. Vel si de quibusdam monumentis Apostolorum extra Canonem positis loquamur, proferri potest Canon 84. Apostolorum, in quo librorum sacrorum Catalogus describitur. Sed hunc ipsi vt adulterinum reiiciunt; neq; mirum,

mirum, quia expressè Machabæos, Iacobi & Iudæ epistolas in Canone collocat. Quid ergo testimonij ex primo sæculo restat? Clementis libri sunt illis adulterati, Areopagitæ spurij, Ignatij epistolæ suppositititiæ vel corruptæ, Cleti, Anacleti reliquorumque Pontificum dicta & scripta exosa. Certè ex Apostolorum sæculo vix reperias aliud. Et tamē bonus vir Kemnitius, *a Omnino*, inquit, *non quælibet sed Apostolica autoritas requiritur, vt in nouo Testamento probetur, scriptum aliquod esse Canonicum seu diuinitus inspiratum.* O egregium Censorem.

a *Kemnit. in 1. part. Examin. sess. 4.*

32. Si ad posteriora sæcula deuenitur, quid agent? volentné vni Pontifici vel approbatò Cōcilio infallibilem hac in re tribuere autoritatem? Si faciunt, habemus intentum, videlicet ex infallibili aliqua Ecclesiæ propositione discēdum, qui libri Canonici sint, qui non sint. Et statim proferimus ex quarto vel quinto sæculo Innocentium I. Gelasium I. Concilium Elibertinum I. Carthaginense III. qui libros iam cum hæreticis controuersos disertè in Canone statuunt. *Locis infra citandis.*

33. Si non faciunt, sed concordem omnium tam antiquorum, quàm posteriorum Patrum, & quidem liquidam testificationem requirunt; primùm quidem hac ratione nimis angusto numero scripturæ libros definire cogentur. Certè vix de quatuor Euangeliis eiusmodi cōsentien-

tia & aperta omnium omnino Patrum testimonia reperiant. Qui enim ex antiquis Patribus librorum sacrorum Canonem consignârunt, facilè numerari possunt. Sanè præter Origenem, Eusebium, Athanasium, Nazianzenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Hieronymum, Ruffinum, Augustinum, Epiphanium, Isidorum, Damascenum, Rabanum, (*Locis infra citandis*) vix alios inueneris. Et quot sunt isti ad alios omnes?

34. Cæteri subinde quidem allegando qualecunq; libris quibusdam testimonium reddunt, Sed quod dubitatione rarò penitus vacet. Neq; enim statim, cùm ad res sacras comprobandas libri cuiusdam testimonium adducitur, pro sacro habetur, vt etiam suprà ostendimus. Deinde nec omnium quidem consensus certam poterit istis fidem facere, nisi Ecclesiæ autoritas securos præstet, nullum vllius Patris Codicem suppositum, nullum adulteratũ esse. Et ita cùm maximè boni isti viri refugient Ecclesiæ autoritatem, in eam pleno impetu incident. Vt interim taceam ex Patrum autoritate Catholicam sententiam de libris Canonicis apertè stabiliri, vt infrà patebit.

35. Et quę est tandem hęc Sectariorum ratiocinatio? In veteri Ecclesia de quibusdam libris à nonnullis fuit dubitatum: ergo perpetuò debet dubitari. Annon de multis aliis rebus nonnunquam dubitatum, vel minus rectè à quibusdam anti-

antiquis existimatum est, quas tamen nemo dixerit, ideò debere perpetuò esse incertas. Certè de origine animæ grauissimè dubitârunt Veteres, Augustinus, Eucherius, &c. Imò eam per traducem gigni maxima pars occidētalium sensit, vt testatur Hieronymus *a*. De mille annis temporalis cuiuspiam regni Christi in terris non solùm dubitârunt, sed etiam falsum errore quodam sibi persuaserunt Papias, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, Apollinarius quidam & Victorinus, Seuerus, &c. qui idcirco Chiliastæ siue Milliarij dicti sunt. Eodem modo S. Cyprianus cum multis Africanis Episcopis, dum censeret ab hæreticis baptizatos rebaptizandos, non solum in re grauissima dubitauit, sed & errauit. Et quis nescit de Apocalypsi olim fuisse à quibusdam dubitatum, & tamen non solùm in Canone à plærisq; veteribus ponitur, sed & ipsi quoq; Sectarij, Caluinus *b* & Magdeburgenses *c* eandem vt Canonicum librum habent.

a *Hieron. in epist. ad Marcell. & Anapsychiam.*
b *Cal. passim.* c *Magdeburg. Cent. 1. lib. 2. c. 4.*

36. Patet igitur non posse vlla ratione, infallibili Ecclesiæ autoritate seposita, libros sacros à profanis sufficienter discerni; sed id ex Ecclesiæ Catholicæ propositione necessariò discendum: Non ita quidem, tanquam si Ecclesia arbitratu suo sine vllis Veterum testimoniis, *facere possit librum Canonicum de non Canonico, & de Canonico non Canonicum; ità vt si Papa vellet, scripturas*

diuina non plus autoritatis haberet, quàm fabulæ Æsopi, vt impudẽtissimè suo more nostram sententiam calumniatur Kemnitius, *a* sed quia consultis antiquorum monumentis & testimoniis, ipsoque populi Christiani communi sensu & consensu, libros quosdam tanquam Canonicos proponere potest, de quibus olim aliquando fuerit à quibusdam dubitatum.

a *Kemnit. in 1. part. Examin. sess 4.*

37. Imò non omnino improbabile est, quod quidam dicunt, posse Ecclesiam etiamnum librum aliquem de nouo in Canonem recipere, non quidem scribendo denuò librum sacrum: aut aliquem qui iam olim omnium suffragiis, vt adulterinus fuerit reiectus, sed alium quempiam iam olim scriptum, proponendo & declarando vt sacrum, qui & in magna pridem autoritate fuerit, neq; tamen citra controuersiam ab omnibus pro sacro agnitus sit. Qualis fortassis esse potest liber Hermetis (discipuli Pauli) qui Pastor dicitur, qui à multis Patribus Clemente, Irenęo, Origene, Athanasio, Eusebio, Hieronymo diligenter citatur & commendatur. Item Constitutiones Apostolicæ à Clemente editæ, & tertius Machabæorum, de quibus in Canone 84. Apostolorum fit mentio. Item tertius Esdræ, & Psalmus 151. quos in Canone ponit Athanasius. *a* Item Canones Apostolorum quos in Canone collocat Cyrillus Hierosolymitanus. *b*

a b *Locis paulò post cit.*

38. Ex

38. Ex quibus facilè statui nunc poterit de librorum Canonicorum numero. Omnes enim omnino qui in Vaticanis Bibliis recens editis seriatim ponuntur, aut qui etiam in aliis Bibliis latinis vulgatæ editionis communiter exstant, si tamen hinc duos duntaxat libros Esdræ nimirum III. & IV. & orationem Manassę Regis excipias, iuxta decretum Concilij Tridentini, tanquam verè sacros & Canonicos amplectimur & tuemur. Et meritò. Nam cum Tridentino illo decreto pulchrè in suis librorum Canonicorum Catalogis ante annos plus mille scriptis consentiunt Innocẽtius I. Gelasius I. Augustinus. Quos postea sequutus est Isidorus, Rabanus, & Concilium Florentinum. *Locis paulò pòst citandis.*

39. Atque vt melius constet quàm luculentis antiquitatis testimoniis conuincantur Sectarij, dum quosdam libros, contra Catholicæ Ecclesiæ propositionem extra Canonem reiiciunt, proponam de singulis, qui aliquo modo in controuersiam veniunt, non incerta, non apocrypha, non ambigua, sed plana, perspicua, & expressa eorum duntaxat veterum Patrum testimonia, qui librorum sacrorum Catalogos, quacunq; de causa conscripserunt, & disertè in Canone libros eiusmodi posuerunt. Itaque librum IOB, Ecclesiasten & Cantica Canticorum quorum librorum authoritati nominatim detrahit Lutherus, omnia Concilia, omnes Pontifices & Patres, tam græci quàm latini qui quacunque de

causâ libros sacros recensere studuerunt, in Canone reponunt. Vt sunt Innocentius I. *a* Gelasius I. *b* Concilium Laodicenum, *c* Carthaginens. III. *d* Origenes apud Eusebium, *e* Epiphanius, *f* Cyrillus Hierosolymitanus, *g* Athanasius. *h* Gregorius Nazianzenus, *i* Hieronymus, *k* Augustinus, *l* Ruffinus, *m* vt omittam Melitonem Sardensem apud Eusebium, *n* & Iosephum. *o* Quos omnes ante annos plus mille testificatos sequuti sunt postea Isidorus, *p* Damascenus, *q* Rabanus, *r* & Concilium Florentinum, *s* atque Tridentinum. *t*

a *In epist. ad* Exuper. b *In prop. decret.* c *Can.* 59. d *Can.* 47. e *Lib.* 6. *hist. cap.* 18. f *In lib. de mensur. & pond.* g *Cat.* 4. h *In synop.* i *In lib. de gen. Script.* k *In Prol. gal.* l *Lib.* 2. *doct. Christ. cap.* 8. m *De symb.* n *Lib.* 4. *hist. c.* 26. o *Lib.* 1. *cont. Apion.* p *Lib.* 6. *Etym. c.* 1. q *Lib.* 4. *de fid. cap.* 10. r *De instit. Cler. lib.* 2. *cap.* 35. s *In summa Concil.* t *Sess.* 4.

40. Libros Esther & Danielis haud dubiè integros, prout nimirum in græca communi olim, & latina editione exstant, pro Canonicis habent, iidem omnes quos suprà dixi (excepto Hieronymo, Athanasio & Nazianzeno, *a* quod quidem ad librum Esther duntaxat attinet) & apertissimè Concilium Tridentinum. Imò etiam Athanasius *b* expressam facit mentionem, Susannæ, hymni trium puerorum, & draconis interfecti. Quæ tamen postrema Danielis capita reiiciunt

ciunt non solùm Iudæi & Hæretici nostri temporis, cũ Erasmo, sed etiam ex Catholicis Driedo: sicut & Esther posteriora capita multi Catholici post Hieronymum repudiant, vt Liranus, Carthusianus, Hugo, Caietanus, & quod mirum est post Concilium Tridentinum, Sixtus Senensis. *c*

a *Locis cit.* b *Locis cit.* c *Lib.1.& 8.Biblioth.*

41. Libri Baruch expresse quidem nulla fit mentio, nisi à Concilio Laodiceno secundum versionem Gentiani Herueti, Epiphanio, Cyrillo, Florentino & Trident. *Locis cit.* Sed haud dubiè ab omnibus etiam aliis sub nomine Hieremiæ in Canone ponitur, hoc ipso quòd cum Baruch esset scriba Hieremiæ, librum eius habuerunt pro parte quadam Vaticiniorum Hieremiæ. Cuius rei signum est certissimum, quòd frequenter testimonia Baruch à Veteribus *a* sub nomine Hieremiæ citantur; quod non aduertit Driedo, qui hunc à Canone excludit.

a *Clem. Alex.lib.1.pædag.cap.10. Ambr.lib.1.de pœnit.cap.8.& lib.3.Hexam.cap.14. Basil.lib. 4. in Eunom. August.lib.18. de ciuit. cap.33. Sixt.1. Fel IV.&c.*

42. Libros Tobię, Iudith, Sapientię, Ecclesiastici, & Machabæorum, numerant *a* in Canonicis Innocentius, Gelasius, Concilium Carthaginense, Florentinum & Tridentinũ, Isidorus & Augustinus, *b* tùm alibi, tùm lib. de ciu. Dei expresse: *Libros*, inquit Machabæorum, *non Iudæi*

causâ libros sacros recensere studuerunt, in Canone reponunt. Vt sunt Innocentius I. *a* Gelasius I. *b* Concilium Laodicenum, *c* Carthaginens. III. *d* Origenes apud Eusebium, *e* Epiphanius, *f* Cyrillus Hierosolymitanus, *g* Athanasius, *h* Gregorius Nazianzenus, *i* Hieronymus, *k* Augustinus, *l* Ruffinus, *m* vt omittam Melitonem Sardensem apud Eusebium, *n* & Iosephum. *o* Quos omnes ante annos plus mille testificatos sequuti sunt postea Isidorus, *p* Damascenus, *q* Rabanus, *r* & Concilium Florentinum, *s* atque Tridentinum. *t*

a *In epist. ad Exuper.* b *In prop. decret.* c *Can. 59.* d *Can. 47.* e *Lib. 6. hist. cap. 18.* f *In lib. de mensur. & pond.* g *Cat. 4.* h *In synop.* i *In lib. de gen. Script.* k *In Prol. gal.* l *Lib. 2. doct. Christ. cap. 8.* m *De symb.* n *Lib. 4. hist. c. 26.* o *Lib. 1. cont. Apion.* p *Lib. 6. Etym. c. 1.* q *Lib. 4. de fid. cap. 10.* r *De instit. Cler. lib. 2. cap. 35.* s *In summa Concil.* t *Sess. 4.*

40. Libros Esther & Danielis haud dubiè integros, prout nimirum in græca communi olim, & latina editione exstant, pro Canonicis habent, iidem omnes quos suprà dixi (excepto Hieronymo, Athanasio & Nazianzeno, *a* quod quidem ad librum Esther duntaxat attinet) & apertissimè Concilium Tridentinum. Imò etiam Athanasius *b* expressam facit mentionem, Susannæ, hymni trium puerorum, & draconis interfecti. Quæ tamen postrema Danielis capita reii-

ciunt

ciunt non solùm Iudæi & Hæretici nostri temporis, cũ Erasmo, sed etiam ex Catholicis Driedo: sicut & Esther posteriora capita multi Catholici post Hieronymum repudiant, vt Liranus, Carthusianus, Hugo, Caietanus, & quod mirum est post Concilium Tridentinum, Sixtus Senensis. *c*

a *Locis cit.* b *Locis cit.* c *Lib.1.& 8.Biblioth.*

41. Libri Baruch expressè quidem nulla fit mentio, nisi à Concilio Laodiceno secundum versionem Gentiani Herueti, Epiphanio, Cyrillo, Florentino & Trident. *Locis cit.* Sed haud dubiè ab omnibus etiam aliis sub nomine Hieremiæ in Canone ponitur, hoc ipso quòd cum Baruch esset scriba Hieremiæ, librum eius habuerunt pro parte quadam Vaticiniorum Hieremiæ. Cuius rei signum est certissimum, quòd frequenter testimonia Baruch à Veteribus *a* sub nomine Hieremiæ citantur; quod non aduertit Driedo, qui hunc à Canone excludit.

a *Clem. Alex.lib.1.pædag.cap.10. Ambr.lib.1.de pœnit.cap.8.& lib.3.Hexam.cap.14. Basil.lib.4. in Eunom. August.lib.18. de ciuit. cap.33. Sixt.1. Fel IV.&c.*

42. Libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum, numerant *a* in Canonicis Innocentius, Gelasius, Concilium Carthaginense, Florentinum & Tridentinũ, Isidorus & Augustinus, *b* tùm alibi, tùm lib. de ciu. Dei expressè: *Libros*, inquit Machabæorum, *non Iudæi*

sed Ecclesia pro Canonicis habet. Epiphanius *c* etiam sapientias Salomonis & filij Syrach in Canone computat.

a *Locis sup. cit.* b *Loc. sup. cit. & li. 2. contra epist. Gaud. c. 23. & lib. 18. de ciuit. c. 36.* c *Loc. cit.*

43. Epistolas S. Pauli quatuordecim, ac proinde etiam illam ad Hebræos, Petri duas, Ioannis tres, Iudæ vnam, Iacobi vnã in Canone habent, omnes omnino illi, *a* qui Canonem scripserunt. Solus Hieronymus *b* illam ad Hebræos vt Canonicam non videtur agnoscere, cùm ait, *eam à plærisque extra numerum poni*, cùm tamen non solùm ij quos dixi contrarium testentur, sed etiam idipsum Origenes *c* omnium antiquorum testimonio disertissimè confirmet. *Quamuis*, inquit, *nonnulli de ea quæ ad Hebræos scripta dubitauerint. Sed ego dico, sicut mihi à Maioribus traditum est, quia manifestissimè Pauli est, & semper omnes antiqui maiores nostri, ita eam vt Pauli epistolam susceperunt.*

a *Supra allegati.* b *In epistol. ad Paulin.* c *Orig. apud Euseb. lib. 6. hist. cap. 18.*

44. Imò ipsemet Hieronymus *a* de epistola ad Hebræos & Apocalypsi Ioannis ita scribit: *Nos vtrumque recepimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum autoritatem sequentes, qui plærumq; vtriusq; vtuntur testimoniis, non vt interdum de Apocryphis facere solent, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.* Apocalypsis Ioannis ab omnibus *b* quoq; in Canone

none reponitur, excepto duntaxat Laodiceno Concilio & Nazianzeno atq; Cyrillo; c Athanasius autem disertissimè d *Est præterea* (in Canone) inquit, *& Apocalypsis Ioannis Theologi à priscis sanctis & spiritu Dei imbutis Patribus velut quæ illius sit accepta & approbata.* Verum quidem est de hac, vt & de aliis epistolis quibusdā à veteribus quibusdam dubitatum, vt Eusebius e & Hieronymus f asserunt. Sed interim à plurimis quoq; pro Canonicis habitæ sunt, vt ostensum est; & tandem communiter ab Ecclesia receptæ: vt de epistola Iacobi & Iudæ disertè testatur Eusebius g cum ait. *Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus pœnè Ecclesiis recipi.* Et Nicephorus h de omnibus istis dubiis ait: *Ecclesiam iam dudum illos pro legitimis & testamentariis recepisse.*

a *Hieron. in epist. ad Dardan.* b *Locis cit.* c *Locis cit.* d *Athan. in syn.* e *Lib. 3. hist. c. 25.* f *De Script. Eccles.* g *Lib. 2. hist. cap. 23.* h *Lib. 3.*

45. Quod si alios qui eiusmodi libros in scriptis suis tanquam sacros allegârunt, memorare vellem, finem non facerem. Eant ergo nunc Tenebriones isti, qui Concilium Tridentinum incusare audent, quasi pro arbitrio, sine iudicio, sine veteris Ecclesiæ testificatione libros quosdam, quos ipsi damnant, quia in eis damnantur, in Canonem receperit. Contra quos liceat illud mihi nunc dicere quod olim dixit Athanasius. a *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per*

manus traditam fuisse hanc sententiam (de scripturæ Canone) *demonstrauimus. Vos autem, ô noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

a *In libro de decret. Nic. Syn. contra Eusebium.*

CAPVT II.

De variis editionibus scripturæ.

46. Variæ sunt scripturæ editiones, vt patet, veteris quidem Testamenti præcipuæ hebraica, græca, eademque varia, Thargum siue Caldaica paraphrasis, & latina, tam ex græco, quàm ex hebraico translata. Noui autem Græca, Syriaca, Latina, Vtriusque etiam vulgares variç, Germanica, Italica, Gallica, &c. Ex istis communiter Sectarij, vt scioli, credo, videantur, qui nihil alioqui sciunt, hebraicam veteris, græcam noui Testamēti tanquam primigenias, ita extollunt, vt ad eas tanquā ad limpidissimum scilicet fontem à nostra lingua vulgata audacter prouocent, hancq; ex illis censendam & corrigendam velint, quasi illæ omni penitus errore vacent.

47. Ineptè sanè. Quamuis enim olim tam hebraica veteris, quā græcā noui omnino authenticæ essent, nunc tamen propter varios errores, quos in vtramq; constat additione, subtractione, immutatione irrepsisse, neutra profectò ita sacrosancta censeri potest, vt ad earum normam latina semper editio inflecti debeat. Neque de

græca

græca plus dico, quàm quod Sectarij vltrò fatentur. Erasmus *a* certè agnoſcit, multa in græco redundare: addo ego, non pauca etiam deſiderari. Beza *b* etiam agnoſcit non rarò vitioſum eſſe græcum textum. Et quis neſcit melius ſubinde eſſe ex limpido riuo, quàm ex turbato fonte aquam haurire?

a *In annotat. ad 6. cap. Matth.* b *In annotat. in nouum Teſtamentum.*

48. Editionem autem hebraicam veteris Teſtamenti, quomodo quæſo audent vſque adeò efferre, cùm manifeſtum ſit ſine punctis citra errorem, vel certè citra præſentiſſimum errandi periculum (ſepoſita verſione latina vel græca) vix ac ne vix quidem vnum caput hebraici textus legi poſſe? Quid enim v. g. ſi quis illud Deuter. *c* vbi iam legimus. *Non addetis ſuper verbum, quod ego præcipio vobis, &c.* minima punctorum facta mutatione ita legeret: *Non deficietis ſuper verbo, etc.* nonné hac ratione inſanus eorum clamor quo hunc locum in nos velut fortiſſimum telum contra inuocationem ſanctorum, cultum imaginum, legem ieiunij, Continentiæ, &c. intorquent, penitus conticeſceret? Et omnino legi ſic poſſet, niſi vulgata editio aliter legendum ſignificaret.

c *Deuter. 4.*

49. Aut fortaſſe volunt illi puncta vnà cum textu, pro ſacroſanctis habere? Certè ſine rubore non poſſunt. Cùm enim puncta primùm poſt

tempe-

tempora S. Hieronymi quadringẽtis & amplius annis à Christo nato transactis, à perfidis Masoretis Iudęis ad textum adiuncta sint, vt refert Iacobus Episcopus Christopolitanus, *d* & R. Elias, *e* quis credat hostes fidei nostræ in punctis addendis nunquam errasse, aut nunquam præiudicato suo errori fauisse: vt omnino quidem fauisse agnoscunt etiam Sectarij, cùm apud Isaiam *f* pro *vocabitur Deus*, legunt *vocabit Deus*. & similiter apud Hieremiam *g. vocabit eum*, pro *vocabunt eum*. vt taceam nullibi facilius, quàm in scriptura hebraica, propter maximam literarum quarundam similitudinem, errores accidere posse.

d *In præfat. in Psal.* e *In præfat. Masoreth. hammasor.* f *Isai. 9.* g *Hierem. 23.*

50. Hoc quidem libenter fatentur docti omnes, gręcum & hebraicum textũ, tùm ad errores librariorum, qui forsitan in nostram vulgatam editionem latinam irrepserint, cognoscẽdos & emendandos (neque enim istos defendimus, vt calumniatur Kemnitius) tùm ad ambiguitatem vocis aut phrasis diiudicandam, tùm ad vim & energiam idiotismi meliùs intelligendam, tùm ad veram lectionem inueniendam, si quando hęc in latino textu variat, vtiliter nonnunquam adhiberi posse si tamen sobriè adhibeatur. Cæterùm latina editio vulgata pro authentica ab omnibus habenda est: neque licet eam, vtpote tam diuturno Ecclesiæ vsu à mille iam aut pluri-

bus

bus etiam annis comprobatam, quouis prætextu reiicere: vt ſapienter in Concilio Tridentino definitum eſt, ſeſs. 4.

51. Vulgaris editio ſcripturæ v.g. Germanica, Italica, Gallica, &c. (ex quibus Eccleſia nullam authenticam agnoſcit) etſi non omnino prohibeatur ab Eccleſia, vt mentitur Kemnitius, *a* rectè tamen non paſſim ſine diſcrimine permittitur omnibus, vt vnitas fidei, pax Eccleſiæ, Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordo, & religionis Chriſtianę maieſtas rectiùs conſeruentur, & ſcandala atque hæreſes cautius deuitentur. Quas ob cauſas prudenter etiam publica Eccleſię officia vulgari lingua non celebrantur. Apud Prædicantes autem quid mirum eſt, ſi lex hæc non viget, vbi è plebe omnes ſunt *αὐτοδίδακτοι* & *θεοδίδακτοι*, omnes Cenſores, omnes Iudices verbi, ſoli autem ipſi miſeri Miniſtri ſunt verbi, quod quia latinè quãdoque non poſſunt, germanicè miniſtrant.

a *In 1. part. Examin. ſeß. 4.*

CAPVT III.

De Verbo Dei non ſcripto ſiue de traditionibus.

52. Cane peius & angue Sectarij noſtri traditiones ſeu Verbum Dei non ſcriptum oderunt, more omnium hæreticorum. Nam & Arianus apud Hilarium *a* proteſtatur: *Nolo,* inquit, *verba, quæ non ſcripta ſunt legi*; & Maximinus eiuſdem

dem farinę apud Augustinum, *b si quid, ait, de diuinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est vt audiamus: Hæ verò voces quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur.* Nunquam sanè Coruus Coruo tam simile crocitauit, quàm Ariani isti nostris Sectariis.

a *Hilar. in lib. contra Constantium.* b *Aug. lib. 1. contra Maxim. initio.*

53. Sed fatendum omnino est, latius patere Verbum Dei, quam Scripturam sacram, atque adeò esse aliquod verbum Dei non scriptum: Verbum enim Dei est; quod annuntiatum est à Christo, quod prædicatum est ab Apostolis: sed & Christus plura docuit, & Apostoli per tot annos plura prædicauerunt, quàm quæ angusto Codice noui Testamenti comprehensa sunt, vt manifestissimum est ex multis scripturæ locis: *a* Ergo latiùs patet Verbum Dei, quàm Scriptura sacra, saltem in nouo Testamento. Et posset idipsum eadem forma facillimè quoque de veteri Testamento probari. Conatur hunc bolum deglutire Kemnitius, *b* sed suffocatur.

a *Ioan. 16. Actor. 1. Luc. 24. Ioan. vlt. 2. Thess. 2. 2. & 3. epist. Ioan.* b *Kem. in 1. part. Exam. sess. 4.*

54. Imò neq; omnia quidem necessaria fidei dogmata in scriptura continentur. Aut si continentur omnia, ostendant ex scriptura, an & quinam sint Canonici libri, ostendant vbi in scriptura doceatur paruulos baptizandos, hęreticos

non

non rebaptizãdos, vbi numerus, materia & forma Sacramẽtorum in scriptura consignetur, vbi Baptismus, Pœnitentia & Eucharistia, dicantur Sacramenta, vbi B. Virginis Mariæ perpetua virginitas contra Heluidium iam olim damnatum asseratur, vbi quòd Pascha die Dominico, quòd die Dominici, quòd festi Apostolorum, &c. per annum celebrandi. *Tu vbi legisti*, inquit Augustinus, a *Patrem Deum ingenitum & innatum, etc. & tamen verum est.*

a *August. lib. 3. contra Maximinum cap. 3.*

55. Et alia plurima eius generis voce tantùm à Christo & Apostolis tradita agnoscunt SS. Patres, asserunt Concilia, tenet vniuersa Ecclesia, *contra quam disputare insolentissimæ insaniæ esse* dudum censuit Augustinus. a Neq; tamen *Romanenses Magistri extorquere volunt*, quod ait Caluinus, b *vt nulla apud nos sit cæremoniola, quæ non pro Apostolica censeatur*; neque tam stulti sumus, vt (quod tamen Kemnitius c nobis affingit) afferamus, *totum Canonẽ missæ*, in quo multorum sanctorum fit commemoratio qui Apostolorum tempore necdum vixerunt, quoad omnes suas partes Apostolicam traditionem esse. Sed quid docere possent Sectarij si non mentirentur: quid probare, quid improbare, si non calumniarentur?

a *Aug. epist. 118. ad Ianuar. cap. 5.* b *Cal. lib. 4. Instit. cap. 10. §. 19.* c *Kemnit. in 1. part. Examin. sess. 4.*

56. Ob-

dem farinę apud Augustinum, b *si quid*, ait, *de diuinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est vt audiamus: Hæ verò voces quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur.* Nunquam sanè Coruus Coruo tam simile crocitauit, quàm Ariani isti nostris Sectariis.

a *Hilar. in lib. contra Constantium.* b *Aug. lib. 1. contra Maxim. initio.*

53. Sed fatendum omnino est, latius patere Verbum Dei, quam Scripturam sacram, atque adeò esse aliquod verbum Dei non scriptum: Verbum enim Dei est; quod annuntiatum est à Christo, quod prædicatum est ab Apostolis: sed & Christus plura docuit, & Apostoli per tot annos plura prædicauerunt, quàm quæ angusto Codice noui Testamenti comprehensa sunt, vt manifestissimum est ex multis scripturæ locis: *a* Ergo latiùs patet Verbum Dei, quàm Scriptura sacra, saltem in nouo Testamento. Et posset idipsum eadem forma facillimè quoque de veteri Testamento probari. Conatur hunc bolum deglutire Kemnitius, *b* sed suffocatur.

a *Ioan. 16. Actor. 1. Luc. 24. Ioan. vlt. 2. Thess. 2. 2. & 3. epist. Ioan.* b *Kem. in 1. part. Exam. sess. 4.*

54. Imò neq; omnia quidem necessaria fidei dogmata in scriptura continentur. Aut si continentur omnia, ostendant ex scriptura, an & quinam sint Canonici libri, ostendant vbi in scriptura doceatur paruulos baptizandos, hęreticos

non

non rebaptizãdos, vbi numerus, materia & forma Sacramẽtorum in scriptura consignetur, vbi Baptismus, Pœnitentia & Eucharistia, dicantur Sacramenta, vbi B. Virginis Mariæ perpetua virginitas contra Heluidium iam olim damnatum asseratur, vbi quòd Pascha die Dominico, quòd die Dominici, quòd festi Apostolorum, &c. per annum celebrandi. *Tu vbi legisti*, inquit Augustinus, *a Patrem Deum ingenitum & innatum, etc. & tamen verum est.*

a *August. lib. 3. contra Maximinum cap. 3.*

55. Et alia plurima eius generis voce tantùm à Christo & Apostolis tradita agnoscunt SS. Patres, asserunt Concilia, tenet vniuersa Ecclesia, *contra quam disputare insolentissimæ insaniæ esse* dudum censuit Augustinus. *a* Neq; tamen *Romanenses Magistri extorquere volunt*, quod ait Caluinus, *b vt nulla apud nos sit cæremoniola, quæ non pro Apostolica censeatur*; neque tam stulti sumus, vt (quod tamen Kemnitius *c* nobis affingit) asseramus, *totum Canonẽ missæ*, in quo multorum sanctorum fit commemoratio qui Apostolorum tempore necdum vixerunt, quoad omnes suas partes Apostolicam traditionem esse. Sed quid docere possent Sectarij si non mentirentur: quid probare, quid improbare, si non calumniarentur?

a *Aug. epist. 118. ad Ianuar. cap. 5.* b *Cal. lib. 4. Instit. cap. 10. §. 19.* c *Kemnit. in 1. part. Examin. sess. 4.*

56. Obi

56. Obiiciunt nobis Sectarij vnum inter omnes Patres maximè Irenæum *a* tanquam si verbum Dei non scriptum respuat, aut quasi nos cum Gnosticis, quos ibidem insectatur Irenęus, scripturæ autoritati detrahamus. Nos autem vnum inter omnes meritò Sectariis opponimus Irenæum loco citato, vt aliorum plurimorum Patrum luculentissima testimonia prætermittam. Perpendat Lector verba Irenæi, & videbit alia nobis opus non esse responsione. Sic autem se habent. *Cùm ex scripturis arguuntur* (hæretici) *in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his qui nesciant traditionem.* Hæc Sectarij de se dicta nobis impingunt: Nunc audiamus quid paulò pòst subnectat Irenæus. *Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos, aduersantur traditioni dicentes, se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem.* Et paulò pòst: *Euenit itaq; neq; scripturis iam, neque traditioni consentire eos. Aduersus tales certamen nobis est ô dilectissime, more serpentum lubrici vndique effugere conantes.* Hæc Irenæus.

a *Iren. lib. 3. cap. 2.*

57. Qui sunt isti tales *more serpentum lubrici*, qui nec scripturæ, nec traditioni acquiescunt,

nonne

nonne Lutherani, Caluinistæ, Zwingliani, Schwenckfeldiani, & alij Sectarij huius temporis, qui cùm ex scripturis publica Ecclesiæ autoritate receptis premuntur à Catholicis, iam hos libros Machabæorum, iam illam epistolam Iacobi, Iudæ, &c. reiiciunt tanquam *non sint ex autoritate*; cùm versione latina impugnantur, *non rectè se habet*, inquiunt; Cùm traditione & communi Ecclesiæ sensu & consensu incessuntur, *aduersantur traditioni, sese Patribus & Apostolis præferẽtes*, hoc solo deteriores illis quos Irenæus insectatur, quòd ne verbo quidem tenus, & in speciem saltem traditiones admittãt. *Ista* profectò *hæresis est*, vt etiam Tertullianus *a* contra sui tẽporis hæreticos loquitur, *quæ non recipit quasdam scripturas, & si recipit aliquas, adiectionibus, detractionibus ad dispositionem sententiæ suæ intervertit. Et si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras, nihilominus per diuersas expositiones, & commentaria peruertit. Tantum veritati obstrepit sensus adulter; quantum corruptor stylus, &c.*

a *Tertull. in lib. de præscript.*

58. Non solùm autem exstant eiusmodi traditiones tam diuinę, quàm Apostolicę, sed etiam quantum opus est cognoscuntur, & quæ legitimę sunt ab adulterinis dignoscũtur, vel ex Conciliorum, Pontificumq; autoritate, aut concordi sententiâ Patrum, si quid à Christo & Apostolis traditum, vel alioquin tanquam ex fide cer-

tum asserunt, quod in scriptura traditum non inuenitur, vt est v. g. perpetua B. Mariæ virginitas, vel ex vnanimi consensu & perpetua praxi fidelium, cùm in vnam omnes sententiam circa rem fidei in scriptura non traditam, conspirant. *Quod enim vniuersa tenet Ecclesia*, inquit Augustinus, *a nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolica autoritate traditum rectissimè creditur.*

a August. lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 24.

59. Verùm doctrina non scripta, inquies, facilè excidit, facilè corrumpitur. Non multò certè faciliùs, quàm scripta, quam toties ferè deprauari contingit, quoties scribitur. Accedit quòd illæ ipsæ traditiones non scriptæ Apostolorum, & diuinæ, diligenter postmodum à maioribus nostris ad posteritatis memoriam literis consignatæ sunt. Neq; enim ideò non scriptæ dicuntur, quia nullibi scriptę sunt, sed quia in Scriptura sacra scriptæ non sunt. Et quid times imposturas modicę fidei? Si censes credendum Ecclesiæ dicenti: Hoc scripsit Paulus, cur non credis eidem asserenti: Hoc dixit Paulus, cùm præsertim nec illud aliunde sciat, quàm ex hoc quòd dixit Paulus. Deus nimirum est qui regit Ecclesiam, quam constituit *columnam & firmamentum veritatis*, *2. Timoth. 3.* sine quo Rectore non minus illa falli posset in scriptura, quàm in traditione, iam in vtroque secura.

60. Pari igitur omnino reuerentia traditiones

diui-

diuinæ, à Christo nimirum Apostolis traditæ; cum doctrina Christi scripta, & traditiones Apostolicæ, cum doctrina Apostolica scripta, recipiendæ sunt, vt etiam diligenter monet S. Paulus. 2. *Theß.* 2. *Itaque fratres tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Quid enim refert scriptum aliquid esse, vel dictũ, si æquè à spiritu Dei procedit vtrumque? cùm præsertim verbi Dei non scripti longè antiquior vsus sit, quàm scripti. Nam per bis mille annos vsq; ad Moysen scriptura nulla fuit vt patet. A Moyse fuit quidem, sed penes populum Israëliticum duntaxat fuit, apud alios qui extra Synagogam crediderũt & salui facti sunt, nulla. Quidnî ergo fieri potuisset, vt doctrina quoq; Christiana sine scripto sincerè propagata, sola apud Christianos in vsu & autoritate esset, si id quidem Deo placuisset? Neque vt scripturæ autoritatem minuamus, hæc dicimus, sed vt ne verbum Dei scripto penitus alligatum, & ex literis autoritatem emendicare existimetur, & vt ita beneficium vnum prædicetur, ne alterum ingrata mente contemnatur.

61. Sed non videmur elabi posse Kemnitio, *à* quin scripturam hac ratione per ingentem blasphemiam, *mutilam, mancam & imperfectam* faciamus; quidquid alioquin verbis negemus, *ne scilicet plebs cõcitetur*. Sed nisi mancam, mutilam & imperfectam mentem habuisset Kemnitius; facilè intellexisset, aliud esse, mancũ, mutilum &

imperfectum, aliud non quauis omnino perfectione siue debita, siue non debita, siue conueniente siue inconueniente præditũ. Anne Kemnitius, vt è triuio exemplum desumam, mutilus, mancus, & imperfectus est, quia cornua non habet, quia asini aures non habet? certè non est. Nisi fortè quòd cum alioquin stupidum satis & stolidum ipse caput prę se ferat, meritò mancum habuisse videri potest, quòd satis auritum non habuerit. Neque valde vrgeo hoc exemplum, cùm sint alia in promptu.

a *In 1. part. Exam. sess. 4.*

62. Nunquid enim mancus, mutilus & imperfectus est homo, quia tres manus non habet? Nunquid mancus, mutilus & imperfectus est Genesis liber; quia de Exitu Israëlis nil scribit? mancum, mutilum, & imperfectum est Matthæi Euangelium, quia non omnes Euangelij Ioannis partes continet? Manci, mutili, & imperfecti erunt singuli scripturæ libri, quia perfectam, Dei, Christi, aut Apostolorum doctrinam singuli non continent? Intelligat ergo Kemnitius, si potest, mancum, mutilum & imperfectum nō dici, nisi quod conuenienti & debita perfectione caret. Nunc demonstrare debuisset Kemnitius, vt nos scripturæ calumniatores probaret, scripturæ debitam esse hanc perfectionem, vt omnem omnino necessariam fidei doctrinam sufficienter comprehendat. Sed quia manifestè hîc mancus, mutilus, & imperfectus ipse factus

est

est demonstrator, perfectus, omnibusq; numeris absolutus euasit calumniator.

CAPVT IV.

De interpretatione verbi diuini & Iudice Controuersiarum fidei.

63. Non satis est habere verbum Dei in charta, in sinu, in ore, sed in mente, in corde habeatur, atque adeò probè intelligatur necesse est. Alioquin mutum erit verbum, & veræ fidei regula non erit, sed errorum & variarum hæreseon occasio, vt semper fuit. *Neque enim*, inquit rectè Augustinus a, *natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaquentia animas, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.*

a *August. tractat. 18. in Ioan.*

64. Necessarium igitur est, vt omnes fatentur, exstare aliquam autoritatem, quę & scripturam interpretari, & de incidentibus quibusuis fidei controuersiis iudicare possit. Neque dubium est, quin ad eundem spectet; scripturam cum autoritate interpretari, & de quauis fidei quæstione suborta iudicare. Quis enim nescit in omni Repub. ad eundem spectare legem cum autoritate interpretari, & iudicium secundum leges ferre?

65. Nemo etiam nescit generatim loquendo

 dupli-

duplicem esse scripturæ sensum, literalem & spiritualem. Ille diuiditur in proprium & metaphoricum, ad quos reuocari potest accommodatitius; hic, in moralem, anagogicum, & allegoricum; quò etiam refertur mysticus siue Typicus. Et potest non solùm vnus scripturę locus plures diuersæ speciei sensus, vt literalem & allegoricum, sed etiam plures literales habere.

66. Quam opinionẽ pulchrè confirmat Augustinus *a*. *Cùm alius dixerit hoc sensit* (scriptor sacer) *quod ego, & alius, imò illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumque potius, si vtrumque verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem vnus Deus sacras literas vera & diuersa visuris multorum sensibus temperauit, etc. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitauit cùm ea scriberet, quicquid hic veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.* Potest autem non solùm à sensu literali, sed etiam à spirituali & mystico firmum argumentum deduci.

a *August. lib. 12. Confess. cap. 31.*

67. Neque difficile etiam est, legitimi Interpretis scripturæ, & cõtrouersiarum Iudicis conditiones generatim ex ipso lumine naturæ describere. Fatendum enim omnino est, cum tali autoritate præditum esse debere. I. Vt in rebus fidei iudicandis, aut scripturæ sensu cum autori-

tatę

tate proponendo, errare non possit, ne qui Magister fidei esse debebat, fiat corruptor. II. Vt cũ autoritate & potestate possit iudicare, ne veritas per eum legitimè proposita sine noxa contemnatur. III. Vt eius sententia clara sit & perspicua, non obscura, non ambigua, quæ discordias pariat, quas componere debuerat. IV. Vt omnibus omnino fidei quæstionibus diiudicandis sufficiat.

68. Quisnam autem in particulari Iudex hic sit, difficilius est statuere, præsertim vbi, cum Iudex inquiritur, sine Iudice disceptatur. Et Sectarij quidem omnes quotquot scripturam accipiunt, scripturam Iudicem fideiq; Magistram sufficientissimam proclamant. Hæc illis vt Lutheri *a* verbis vtar, *facillima est & apertissima, sui ipsius interpres, omnia probans & iudicans, & clarior omnium Patrum Commentariis.*

a *Lutherus in præfat. Assert. artic. à Leone damnatorum.*

69. Sed stat inconcussa Catholicæ Ecclesiæ sententia. Scriptura etsi neq; certitudine careat, nec autoritate publica, vtpote quæ nec errare potest, nec à quoquam impunè negligi vel contemni, non potest tamen esse vllo modo sufficiens Iudex aut Magistra fidei, suique ipsius interpres, neque per se nudè spectata, neq; accedente etiam vlla, quantumuis operosa & accurata cuiusuis priuati hominis interpretatione, qui videlicet aliunde demonstrare non possit, sibi per

legitimam Dei missionem ordinariam vel extraordinariam, infallibilem scripturas interpretandi, & fidei quæstiones diiudicandi autoritatem collatam esse.

70. Ratio certissima petitur à scripturæ obscuritate & sublimitate, nostriq; intellectus imbecillitate; qua fit, vt etsi scriptura secundum se certissimæ veritatis, maximeque conspicua sit, non clarius tamen à nobis conspiciatur, quàm ab oculis vespertilionis clarissimus solis splendor, vt in simillima re docet Aristoteles *a*. Neq; enim cùm scripturam obscuram dicimus, aliquod in ea vitium notamus, sed summam eius excellentiam, nostræque mentis cæcitatem, vt decet, profitemur.

a *Aristot. 2. Metaph. t. 1.*

71. Et omnino scripturam esse nobis obscuram, intellectuque difficillimam, testatur ipsa scriptura, *2. Pet. vlt.* testantur sancti Patres verbo & experimento, dum obscuritatem eiusmodi apertè subinde fatētur *a*, dum tot Commentarios summo labore conscribūt, dum & in scripturæ interpretatione, & in ipsis fidei quæstionibus secundum scripturam decidendis, inter se non rarò discrepant, dum & ipsi nonnunquam humano more à vera fidei sententia veroq; scripturæ sensu aberrant, vt B. Cypriano & Chiliastis illis accidit, & omnibus notum est. Testatur demum apertissimè ipsa quotidiana Sectariorū experientia.

a *Iren.*

a *Iren.lib.2.cap.47. Orig.lib.7.contra Celsum. Basil.& Gregor. Naz. apud Ruffinum lib.11. hist.cap.9. Ambros.in epist.44. Hier.in epist. ad Paulinum & in præfat.Comment.in epist. ad Ephes.& in epist.ad Algasiam. August.lib. 2.doct Christ.cap.6.& lib.12.Confess.cap.14. & epist.3 & epist.119. &c.*

72. Vt quid enim ipsi tot etiamnum, post tot & tanta veterum monumenta, Commentarios in scripturam conscribunt? Vt quid non modò Lutherani à Caluinistis, & ab vtrisq; Zwingliani & Anabaptistæ, sed ipsi etiam Lutherani aut Caluinistę inter se mutuo, imò Lutherus à seipso ita in fidei scripturæque sententia proponenda dissentiunt? An non constat quàm variæ de vnico illo scripturæ loco, qui tamen vnus omnium videtur esse clarissimus: (hoc est corpus meum:) inter ipsos, & quàm irreconciliabiles sint discordiæ? Certè de Iustificatione viginti diuersissimas sententias esse secundum scripturam inter solos Confessionistas fatetur Osiander. *Apolog. contra Philippum.*

73. An non igitur vel obscurissima est scriptura, vel ipsi truncis rudiores & hebetiores, dum apertam scripturam tam parum intelligunt? Accedit ingenua Lutheri *a* confessio (quantumuis hic alioquin Dux cæcorum cæcutiuerit) qui liberè fatetur, ignorare se legitimam habeat nec ne intelligentiam Psalmorum, *& impudentissimæ temeritatis* arguit eum, *qui audeat profiteri,*

vnum scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.

a *Luther. in præfat. operat. in Psal.*

74. Sed quid opus est testibus, vbi res ipsa loquitur? Certè argumenti sublimitas, mira phrasis proprietas, mille testibus præponderat. Vbi tot orationes ambiguæ, tot apparentes contradictiones, tot anticipatæ narrationes, vbi quod secundum literam & voces clarum primo intuitu videtur, sæpè falsum est, nisi ad alium obscurum quidem, sed verum sensum inflectatur. Vbi nec facilè verum inuenitur, & inuentum longè difficilius agnoscitur.

75. Neque ex locorum diuersorum collatione & comparatione statim patescit veritas. Dum enim nescis cum quo loco quisque conferri debeat, vel certè ex duobus locis inter se conferendis, vter ex altero tanquam clariori explicari debeat, est in ipsa collatione rectè instituenda summa obscuritas, summa difficultas, quam & ipsi quotidie experiuntur Sectarij.

76. Verùm ne ignorantes appareant Sectarij, malunt impudentes videri. Quid ergo? Scriptura quidem obscura est, inquiunt, sed imperitis, sed improbis, sed spiritu Dei & interpretationis dono destitutis. Aliis qui in linguis & literis sunt exercitati, qui studio & pietate donum interpretationis, quod nemini piè petēti & studiosè collaboranti negetur, impetrârint, facillima, & apertissima. Quid audio? Ergóne SS. illi Patres,

qui

qui ſcripturam ſibi obſcurã eſſe & profeſſi & experti ſunt, imperiti fuerunt aut impij, quòd ſcripturam toties lectam non intelligerent, tamdiu meditatam non caperent?

77. Quaſi verò iſti Sectariorum Grammaticelli, quibus vix ab vxorum & liberorum reique familiaris cura tantillum temporis relinquitur, quod ad Grammaticam diſcendam aut docendam ſufficiat, doctiores, & à linguarũ cognitione inſtructiores ſint, tot Athanaſiis, Gregoriis, Auguſtinis, Hieronymis, qui totam in literis & libris ætatem conſumpſerunt, qui linguarum, præſertim græcę ſcientiam, vel â nutrice cum lacte ſuxerunt, vel à Pædagogo cùm literis didicerunt; ſanctiores tot Ignatiis, Cyprianis, qui vitam pro fide & veritate poſuerunt: dono interpretationis illuſtriores, quàm totus ille ſanctiſſimorum doctiſſimorumque virorum illuſtriſſimus Chorus. An non hæc Sectariorum impudentia quauis ſcriptura clarior eſt?

78. Quod ſi reuera etiam & ſanctiores eſſent, & dono interpretationis illuſtriores omnibus Patribus, nihilo tamen magis ipſi, vel ex ipſis aliqui, Iudices fidei eſſe poſſent. Nam & omnes hoc iactant, & tamen dum ſibimetipſi contradicunt, neceſſariò aliqui falluntur aut mentiuntur, neque magis ille ſe non mentiri probat, qui fortè non mentitur, quàm qui mentitur: atque adeò dum nullus probat quod dicit, nulli meritò credi poteſt, nullus vt Iudex audiri debet.

79. Quin

79. Quin etiam si scriptura vndequaque clarissima esset, neque sic quidem ipsa posset esse sufficiens omnium fidei Controuersiarum Iudex, quia vt suprà ostensum est, omnia fidei dogmata non continet. Quid si enim de numero librorum sacrorum, de ipso scripturę sensu controuertatur, quis causam decernet? Certè scriptura non potest.

80. Et quemadmodum non rectè prospectũ foret Reipub. si præter scriptas leges tanquam regulas actionum politicarum, Iudicem alium viuum non haberet, qui & leges interpretari, & secundum leges iudicare posset, ita profectò minimè satis consultum Ecclesiæ videri posset, si scripturam tantummodò haberet, nullum præterea alium viuum Iudicem & scripturæ Interpretem. Longè siquidem difficilius est, vt relicta cuiuis libera scripturam interpretandi facultate, tanta multitudo, tanta varietas ingeniorum, & capitum, in vnam sententiam conspiret, quàm vt dispersus volitantium atomorum cumulus in vnum corpus coalescat. In rebus enim eiusmodi dubiis & obscuris, quot capita sunt, tot ferè solent esse sensus & sententiæ.

81. *Non igitur*, vt iam dudum etiam Tertullianus *a* notauit, *ad scripturas* (tanquam Iudicem fidei) *prouocandum est, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Solent enim hæretici*, vt de Pelagianis scribit Augustinus *b*, *non tantùm*

vbi

vbi obscurè aliquid dictum est, sed vbi clara & aperta sunt testimonia, in suos detorquere sensus, more quidem, vt ait, *hæreticorum etiam cæterorum.*

a *Tertull. in lib. de præscript.* b *August. lib. 2. de nupt. & concupisc. cap. 31.*

82. Quis ergo præter scripturam alius ille Iudex? an Christus? an Apostoli? non: quia horum nulla vox alia communiter exstat, quæ quidem ab omnibus palàm audiatur, quàm quæ in scripturis resonat, quæ tamen ipsa per se, vt hactenus ostensum est, ad iudicandum non sufficit. Et posset quidem haud dubiè ille qui Iudex venturus est viuorum & mortuorum per se, vel per Angelos etiam, occurrentes quaslibet fidei controuersias decidere, sed non facit quod potest, vt apertum est.

83. An fortasse SS. Patres iam demortui, Patrumque monumenta Iudices erunt? neq; hoc: Tùm quia non minus aliquando de Patrum, quàm de scripturæ sententia propter ambiguitatem & obscuritatē dubitari potest. Tùm quia singuli Patres fallere possunt; omnium monumenta vel non exstant, vel dubiæ fidei esse possunt. Tùm quia nouæ semper oriri possunt controuersiæ in antiquorum monumentis vix, aut ne vix quidem agitatæ. Neque hîc magnoperè repugnant Sectarij, quibus sæpè suum magis quàm omnium Patrum iudicium arridet.

84. An priuatus quisquam Iudex fidei sit, qui vel reuelationem fingat, quam non acceperit, vel

vel acceperit, quam non possit manifestis vllis indiciis vel signis comprobare? multò minimè. Nam si non accepit quod iactat, iam proprio iudicio condemnatus est. Si enim satis est iactare reuelationem vt Iudex fias, histrio certè quispiam, aut gloriosus miles, aut superbus ex Religioso Apostata maximus sit in fidei controuersiis Prætor futurus. Sed eiusmodi Iudices Sectariis relinquimus, qui tales & habent & fouent: Dignum patella operculum.

85. Si accepit neque tamen vllis manifestis indiciis comprobare suam illam reuelationem possit, non magis profectò tenebitur, aut etiam prudenter quisquam poterit hoc credere, quàm si non haberet, cùm non magis hic se comprobet habere quod habet, quàm qui iactat, quod non habet. Et hoc ipso certè quòd priuatus est, autoritatem iudicandi non habet, cùm non minus facilè eius sententia contemni possit ab aliis, quàm ab ipso pronuntiari. Cùm præsertim reuelationem diuinam priuatam æquè pars vtraq; litigans pro se adducere possit, vel certè iactare. Non immeritò igitur S. Petrus, *omnis Prophetia scripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit*. *2. Pet. 1.*

86. Sed neque Magistratus politicus, qualiscunq; sit, fidei Iudex esse potest. Repugnat enim non solùm veteris Testamenti exemplum, primitiuæ Ecclesiæ, in qua Princeps Christianus necdum vllus fuit, vsus, SS. Patrum & Concilio-

rum,

rum, ipsorumq; Christianorum Imperatorum expressa sententia, sed etiam manifesta ratio. Nam neq; singuli Principum Secularium in sua quisque ditione fidei Iudices (tales qui iudicando falli aut fallere nequeant) esse possunt, cùm, vt ex ipsa dissensione apertissimum est, de facto errent multi. Neq; vnus quispiam est omnium. Certè nullus talis agnoscitur.

87. Hinc Constantini piissimi Imperatoris vox illa semper laudata est, cùm ad Episcopos diceret. *Deus vos constituit Sacerdotes & potestatem dedit, de nobis quoque iudicandi. Et ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, &c. Vos nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos*, vt Ruffinus *a* commemorat: Et illa Ambrosij *b*: *Quid honorificentius, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cùm dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est*. Et in libello ad Valentinianum Imperatorem c; *Quando audisti*, inquit, *Clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo iudicasse?* Et inferiùs. *Quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?*

a *Ruffin. lib. 10. hist. cap. 2. & refert Greg. lib. 4. Reg. epist. 75. ad Maurit. Imperator. Grat. 11. q. 1. Can. Continua.* b *Ambros. in conc. ad Populum contra Auxentium.* c *Ambros. ad Val.*

88. Mul-

88. Multò minus ipsa tota Communitas Ecclesiæ Iudex esse potest. Nam quomodo tanta Capitum multitudo & diuersitas in vnam conspirabunt sententiam? Quòd si non conspirent omnes, vera fidei sententia periclitabitur: Nihil enim obstat, quò minus maior Ecclesiæ pars timore vel amore, imperitia aut malitia in errorem abripiatur, præsertim ex Sectariorum sententia, qui totam clamant Ecclesiam in superstitiones & Idololatriam dissolutam esse. Neque paucorum suffragiis, securè stari poterit. Nam si possunt errare plures, cur non pauciores?

89. Quis ergo tandem hic Iudex erit? initio Ecclesiæ omnium consensu vnicus & supremus in terris fuit Christus, qui eadem quidē in cœlis etiā potestate pollet, sed sine administro nō vtitur, inuisibile etiamnū Ecclesię caput existens *a*, sed aliud interim visibile nō excludens. A Christo eadem potestas deriuata est ad Apostolos, & peculiariter ad Petrum tanquam Principem & caput omnium Apostolorum, totiusq; Ecclesię: vtpote cui dictum est à Christo *b*: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum.* Item *c*: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos d. Pasce Agnos meos,* & *Pasce oues meas, &c.*

a *Coloß.1.* b *Matth.16.* c *Luc.22.* d *Ioan.21.*

90. Quis post Petrum supremus Ecclesiæ Pastor

ſtor fideiq́ue Iudex erit? Nullus? Jmo certè. Quis enim dixerit Eccleſiaſticæ hierarchiæ regimen aut mutatum, aut penitùs ſublatum eſſe? Quis Eccleſiam ſine competente Rectore, ſine Iudice, ſine Capite mancam eſſe relictam? Eſt igitur etiamnum in terris aliquis fidei Iudex, & ille ipſe eſt, quiſquis Petri ſucceſſor eſt. Ecquis ille? Rũpantur Sectarij. Pontifex Romanus eſt: ille, inquam, qui etiamnum per legitimam electionem in Cathedra Romana Epiſcopus ſedet. Et niſi talem ſemper *a* Eccleſiæ ſe ſe exhibuiſſet, niſi omnium ſæculorũ, omnium gentium, omnium Eccleſiarum iudiciis, pro tali ſemper agnitus eſſet Epiſcopus Romanus, tam audacter hoc non dicerem. Quòd ſi Sectarij vel fingendo nobis alium cudere poſſunt Iudicem: proferant obſecro, Erunt illi nobis profectò magni Fictores.

a *Vide & lege Nicolai Sanderi libros 8. de viſib. Monarch. Eiuſdem libros 6. de claue Dauid. Onuphrium Panuinium de primatu Petri. Baron. in Annal. Bellarm. Tom. 1. Controuerſ. 3. præſertim lib. 1. 2. & 3. &c.*

91. Cùm ergo Sectarij, vt hactenus explicatum eſt, aliunde nec acceperint, nec cognouerint Scripturam ſacram, quàm ab Eccleſia Catholica, cùm neceſſariò quaſdam veras traditiones Apoſtolicas extra ſcripturam cogantur admittere, cùm nullum in ſua Eccleſia communem & infallibilis fidei ſcripturæ interpretem, fidei Magiſtrum, & Controuerſiarum Iudicem

E aſſigna-

assignare possint: quid obsecro renuunt ab Ecclesia Catholica doceri, sine qua scire non poterant, an & quid omnino esset discendum? Cur vnam ab Ecclesia traditionem accipiunt & non omnes, cùm eadē omnes fide & autoritate proponantur? Cur iudicium & sententiam eius refugiunt sine qua perpetuò ipsi coguntur dubitare? Credunt Medicinam porrigenti Medico, & non credunt explicanti medicinæ virtutem. Credunt Ecclesiæ Catholicæ Euangelium proponenti, & nō credunt explicanti. Credunt Ecclesiæ asserenti: Hoc scripsit Petrus, & non credunt attestanti: Hoc dixit Petrus. Si fallere potest Ecclesia Catholica, cur credūt Euangelium proponenti? Si non potest, cur non credunt explicanti? Certè si rectè creditur Catholicis laudantibus Euangelium, rectè etiam omnino creditur vituperantibus & condemnantibus Lutherum, & quosuis Euangelij aduersarios, vt optimè contra Manichæos quoque argumentatur Augustinus *a*.

a *August. contra epist. Manichæi cap. 5.*

92. *Cur non igitur*, vt cum Augustino *a* concludam, *apud eos potissimùm diligentissimè requiram quid Christus præceperit, quorum autoritate commotus Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi? Tune mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem si abs te* (sine Ecclesia Catholica) *mihi hoc commendaretur esse credendum. Hoc ergo credidi, vt dixi, famæ cele-*

celebritate, consensione, vetustate (in Ecclesiâ Catholica) *roboratæ. Vos autem* (Sectarij) *& tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui nemini dubium est, quin nihil dignum autoritate proferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? Illis* (Catholicis) *crede, Christo* (aut Euangelio) *esse credendum & â nobis disce quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quicquam docere possent, multò faciliùs mihi persuaderem Christo non esse credendum, quàm de illo quicquam nisi ab his per quos ei credidissem discendũ, &c.* Ita Augustinus prorsus secundum rationem ratiocinatur, Augustinus, inquam, cuius vnius ingenium, pietas, eloquentia, eruditio, sapientia, meritò à quouis sapiente anteponi potest infinitis Lutheris, Caluinis, Zwingliis, Keinniziis, &c.

a *August. in lib. de vtilit. cred. cap. 14.*

FINIS.

In I. partem S. Thomæ.

Disputatio Theologica II.

DE PRÆDESTINATIONE DIVINA AC REPROBATIONE.

Proposita Ingolstadij anno M. DC.XIV.

ORdinis & claritatis causa partiemur hanc disputationem in sex capita. Primum aget de ipsa natura & essentia prædestinationis. Secundum, de effectibus ipsius. Tertium de causis. Quartum de ordine ac progressu eiusdem in mente diuina. Quintum de infallibilitate & concordia eius cum libero arbitrio. Sextum de reprobatione.

CAPVT I.

De ipsa natura & essentia Prædestinationis.

THESIS PRIMA.

PRædestinatio, quasi præcedens destinatio latinè, græcè Προορισμὸς, ex vi nominis, inter

alia,

alia, prædefinitionem, seu præfinitionem, præordinationem, ac prædeterminationem significat. Iuxta quam notionem Deo prædestinanti applicata, duobus potissimum modis phrasi Ecclesiastica vsurpatur. Primò latè, vt quamcunq; Dei æternam præordinationem de re quapiam, ad quemcunque effectum, seu bonum, seu malum significat. Quo modo S. Augustinus *a* ait; *Societatem malorum prædestinatam esse æternum subire supplicium, cum diabolo.* Secundò, & quidem frequentius, ac iuxta præsens institutum, & perpetuam scholæ, imò & ipsius scripturæ phrasin, ex Apostolo Rom. 8. 1. Cor. 2. Ephes. 1. Prædestinatio strictè accipitur, pro æterna, eaq; efficaci quadam ordinatione, seu destinatione diuina intelligentium creaturarum ad bonum aliquod supernaturale reipsa consequendum; seu pro ipso Dei æterno proposito vel decreto, substantiam creatam ad eiusmodi bonum efficaciter ordinante, seu dirigente.

a *Lib. 13. de ciuit. cap. 1.*

2. Vnde patet, cum omnis prædestinatio sit alicuius ad aliquid, conceptu generali prædestinationis, præter Deum prędestinantē, duo comprehendi, videlicet obiectum, quod dicitur prędestinari, (quod sæpe etiam subiectum cui dicitur) & rem, ad quam fit prædestinatio, qui vocari solet terminus prædestinationis. Obiectum in proposito propriè est sola creatura, siue substantia creata intelligens, seu angelica, seu humana *a*.

 Licet

Licet enim etiam persona diuina, puta Verbum, dici possit aliquo modo prædestinata ad naturam alienam, & res quælibet ad suum finem, seu perfectionem (quo modo etiam subinde res diuinitus promissa, adeoq; ipse terminus prędestinationis dicitur nobis prędestinatus *b*) hic tamé loquendi modus aut minus vsitatus est, aut alienus à proposito; loquimur enim de prædestinatione, quæ fit in ordine ad beatitudinem supernaturalem acquirendam, cuius sola substantia creata intelligens capax est; imò principaliter sola persona creata; quamuis etiam natura humana Christi eo ipso, quod ad vnionem cum Verbo prædestinata est, consequẽter etiam prædestinata dici possit ad beatitudinem *c*; etsi aliqui vtrumq; negent *d*; non nemo verò illam ad hanc principaliter, ad illam verò non nisi consequenter prædestinatam asserat *e*.

a *S.Thom. 1. p. q. 23. art. 1. ad 2. & 3. & de Verit. q. 6. art. 1. com.* b *1. Cor. 2 & August. lib. de prædest. Sanct. cap. 17. Vide th. 4. & S.Thom. 1. d. 41. q. 1. art. 2. vbi per hoc etiam distinguit electionem à prædestinatione.* c *Suar. lib. 1. de prædest. cap. 4. n. 8.* d *Thomistæ quidam apud eundem.* e *Scot. 3. d. 7.*

3. Quod ad terminum prædestinationis attinet, non desunt *a*, qui distinguant inter prædestinationem & electionem, vt huius terminus sit gloria ac ipse finis, illius verò gratia, seu media ad illum finem assequendum conducentia.

Cui

Cui loquendi modo præter alios *b* nonnihil fauet Augustinus, prædestinationem ita definiens: *c prædestinatio* Dei, *q̄ in bono est, gratia est præparatio; gratia vero est ipsius p̄destinationis effectus.* Et alibi. *d Prædestinatio*, inquit, *Sanctorū nihil aliud est, quā præscientia & præparatio beneficiorū Dei, quibus certissimè liberantur quicunq; liberantur.*

a *Durand. 1. dist. 41 q. 1. n. 10. & quidam recent.* b *S Thom. q. 23 a. 3. & Vasq disp. 189. n. 59. Sed hi à communi non dissentiunt. vide thes. 16.* c. *l. de præd. Sanct. c. 10.* d. *lib. de bon. perseu. c. 14.*

4. Verum hæc vocum distinctio non solùm aduersatur communi ac recepto Theologorum loquendi modo, sed etiam ipsius Augustini doctrinæ, qui velut pro eodem habens electionem & prædestinationem, illam sæpissimè refert etiam ad gratiam, hanc subinde ad gloriam. *Ipsi sunt*, inquit, *a illi prædestinati & secundum propositum vocati, quorum nullus perit, ac per hoc nullus eorum è bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam* (per ipsam vtique prædestinationem) *sic est ordinatus, & ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam.* Alibi *b* vocat nos, *electos in Christo, & prædestinatos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Et supra: *c Electi sunt ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit. Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinauit impleuit.* Omitto illud, *d* quod Augustini non est: *Ex præscientia*

virtutis prædestinatio fieri solet remunerationis. Consonat his scriptura Rom. 8. *Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.*

a *Lib. de corrept. & grat. cap. 9.* b *lib. de prædest. sanct. cap 19.* c *cap. 17.* d *ex lib. de prædestin. Dei cap. 3.*

5. Atque ad hunc ipsum sensum definitiones illæ prædestinationis ex Augustino allatæ, non difficulter possunt accommodari. Nam & ipsa gloria iuxta Apostolum Rom. 6. & Augustinum suo modo est gratia. Nec obstat quod prædestinatio est pars prouidentiæ versantis tantum circa media, velut terminum suum. Non solum quòd hoc non obstante, etiam ipsa consecutio finis est effectus prouidentiæ, si quando hæc ex mediis reipsa nascitur; quodque ipsa quoq; beatitudinis consecutio habet rationem respectu vlterioris finis; sed etiam quia, vt inferius dicetur, alia quoad hoc est ratio prædestinationis & prouidentiæ; cuius proinde illa potius est *a* pars quasi quædam potentialis vel integralis, quam subiectiua. Quod indicat S. Thomas *b* dum ait, *prædestinationem esse quendam modum prouidentiæ, sed addere aliqua specialia super eam, &c.*

a *Suar. lib. 1. c. 18. Vasq. disp. 87. n. 24.* b *1. d. 40. q. 1. a. 2.*

6. Est igitur prædestinatio in genere sumpta non tantum de mediis adipiscendæ gloriæ, sed etiam de ipsa gloria; ita tamen vt secundum ma-

teriam

teriam subiectam modò soli gloriæ, modò solis mediis, sæpè etiam vtrisque accommodetur. Quod patet etiam ex illa, quam S. Thom. *a magistralem* prædestinationis definitionem vocat: *Est præparatio gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro.* Nec quoad hoc à prædestinatione differt electio, nisi quod hæc preterea separationem vnius ab aliis formaliter includit, illa non item; quamuis reipsa nunquam prædestinatio sine tali separatione seu discretione accidat. Quocirca etiam rectè à Scholasticis, prædestinati vocãtur electi, ceteri autem reprobi & presciti; licet aliàs in scriptura hæc vox etiam electis tribuatur. Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscinit.*

a *1. d 40. q. 1. a. 2.*

7. Controuersum est, in quonam actu formaliter consistat prædestinatio. Non pauci *a* docent, eam formaliter esse actum voluntatis, statuentis, hominem per certa media ad finem vltimum efficaciter dirigere. Cui sententiæ fauet Augustinus, dum, vt dictum *b*, prædestinationẽ & electionem pro eodem actu subinde videtur habuisse. Consonat etiam Damascenus *c*, dum ait; *Prouidentia* (eadem est ratio prædestinationis) *est volũtas Dei, per quam res omnes aptè congrueq; gubernantur.* Complures alij *d* prædestinationem ac generatim etiam prouidentiam, formaliter tradunt esse actum intellectus; nonnulli mediam ineuntes viam, docent *e*, nomine prouidentiæ ac prædestinationis, modò intelle-

 ctus,

ctus, modò voluntatis actum directè & magis principaliter significari. Alij *f* dicunt prædestinationem vtrumq; actum intrinsecè includere.

a *Bonauent. Scot. Arim. 1. d. 40. item Henric. Occam, Almain, Angestus apud Vasq. disp. 87. ca. 3. qui iisdem consentit.* b *thesi 4.* c *lib. 2. de fide. cap. 29.* d *S. Thom. q. 22. art. 1. & q. 23. a. 1. & 2. & de verit. q. 6. a. 1. & Thomistæ omnes. Val. cit. q. 22. p. 1. Bellarm. lib. 2. de grat. cap. 9. item Alensis, Durandus, Marsilius, Capreol. apud Vasq. loc. cit. cap. 2.* e *Suar. lib. 1. de prædestin. cap. 17. n. 12. vbi citat Alensem, Marsil. & Petrum Tarantas.* f *Molin. q. 23. a. 2. d. 2.*

8. Sed quamuis tota hæc controuersia sit de nomine, cum interim ex omnium cõsensu constet, vtrumque actum tam intellectus, quàm voluntatis, in conceptu prædestinationis aliquo modo (in recto vel obliquo) includi, absolutè tamen magis secunda sententia probatur, asserens eam in recto quidem ac formaliter dicere actum intellectus, licet in obliquo simul etiam connotet actum volũtatis, vt inferius dicetur *a*. Significat hoc Scriptura Rom. 11. cum ait: non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, id est, prædestinauit, vt exponit Augustinus *b*. Itẽ, Act. 13. *Crediderunt, quotquot præordinati* (prædestinati) *erant ad vitam æternam.* Ordinare enim rationis est. Augustinus quoque *c* prædestinationem definit, *præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, &c.* Et Boëthius *d* vniuer-

sim

sim ait: *prouidentiam esse ipsam diuinam rationem in summo omnium Principe constitutam, quæ cuncta disponit.* Et ipsum quoque nomen prouidentiæ, vti & prædestinationis (quod præordinationem e significat) actū intellectus potius, quam voluntatis sonare videtur. Quod si Scriptura & Patres prædestinationem quandoq; exprimunt per actum volūtatis, causa est, tùm quia eo quasi consummatur prædestinatio, tum quia is ipse necessario connexum habet actum intellectus, in quo formaliter consistit prædestinatio; tum quia saltem in effectu idem est electio voluntatis, cum prædestinatione seu præordinatione intellectus.

a *Thes.12.* b *lib. de bono perseuer. cap.18.* c *thes. 3.* d *lib.4.consol.prosa.6.* e *S.Thom.in cap.8. Rom.lect.6.*

9. Maior controuersia est, quisnam sit ille actus intellectus, in quo consistit prædestinatio? Nonnulli, fauente admodum S. Thoma a asserunt b, eum esse actum imperij, qui dilectionẽ seu electionẽ ad gloriam subsequatur, ac ipsam voluntatem diuinam potentiamq; executiuam in Deo, efficaciter moueat ad eligenda, vel potius exequenda media quibus electi infallibiliter perducantur ad beatitudinem. Addunt nonnulli c, eum actum imperij formaliter non esse iudicium, vel cognitionem, sed aliam quandam insinuationem vel intimationem, quasi Imperatiuo Fac, expressam, eamq; ad omnem volun-

tatis actum necessariam. Fundamentum præcipuum est. Quia alij actus intellectus aut nō sunt liberi, aut non sunt causa rerum, prædestinatio autem libera est, & simul efficax causa rerum.

a *q.23.a.1.& 2.& de verit.q.6.a.1.* b *Capreol.1. dist.40. Caiet.cit.q.23. a.1. & q.22.a.1. Bannes q.23.a.2.aliiq́; Thomistæ ibid.sig. Bellarm. lib.2.de grat.cap.9.* c *Thomistæ recent.l.cit. & 1.2.q.17.*

10. Sed verius est, talem actum imperij (posterius explicatum) nullum dari *a* nec in Deo, nec in intellectu creato. Tum quia nullus datur intellectus, qui non sit cognitio; tùm quia aut per illum tollitur libertas, si ponatur ipse actus necessarius: aut si liber est, dabitur processus in infinitum. Quod si iuxta veriorem sententiam *b* actus imperij dicatur esse iudicium quoddam intellectus, insinuans voluntati, ac simul hac mediante, potentiis executiuis, executionem electi medij, ne sic quidem in eo rectè constituetur prædestinatio; quia talis actus iam supponit tam electionem, quàm ordinationem hominis efficacem, tùm ad gloriam, tùm ad media reipsa perducentia ad gloriam, quibus vtique actibus transigitur prædestinatio, quam nihilominus liberam esse patebit ex thes. 12.

a *Suar.lib.1. de prædest.c.16. Vasq.disp.87.n.13. & 14. Molin.q.23.a.2.d.2.* b *Suar. Metaph. disp.19.sect.7.nu.12. & 13. ex mente S.Thom. 1.2.q.17.a.3.ad 1.*

11. Non-

11. Nonnulli docent *a*, prędestinationem formaliter consistere in præscientia mediorum & finis (spectante ad scientiam visionis) vt est practica & efficax respectu illorum; adiuncta diuina voluntate, siue quod idem est, in actu præscientiæ, quo Deus ab æterno nouit Petrum per media supernaturalia consecuturum beatitudinem. Sed non probatur: tum quia ante pręscientiam illam, iam per scientiam simplicis intelligentię practicam, & decretum subsequens diuinæ voluntatis, intelligitur homo efficaciter ordinatus ad vitam æternam per talia media. Tum quia scientia visionis non est causa rerum *b*: etsi contrarium hæc sententia supponat *c*.

a *Val. q.23. p.2. Fauet multum August. de bono perseuer. cap.18. & Anselm. th.57. Salmeron tamen tom.13. lib.3. disp.21. explicat August. de præscientia quæ rei existentiam præcedit.* b *Suar. 1. part. lib.3. c.4. n.12. & 13. & opusc. de auxil. lib.1. cap.13. à num.15. Vasq. 1. p. disp. 68. Zum. & Molin. q.14. p.8. post Magist. & com. Dd. 1. dist.38.* c *Val. q.14. p.8.*

12. Vera sententia est, prædestinationem formaliter cōsistere in scientia approbationis (hæc enim est causa rerum *a* de homine per certa media efficaciter perducendo ad finem vltimum. Quæ quidem est ipsa scientia simplicis intelligentię *b*, vt approbata per liberum decretum diuinę voluntatis, quod etsi quidem alioqui ratione posterius sit, scientia simplicis intelligentiæ (vtpo-

(vtpote quæ simpliciter est necessaria in Deo) si hæc nudè secundum se spectetur; tamen prout hæc ab ipsomet illo decreto voluntatis appellatur scientia approbationis, sic ipsa non antecedit, sed tanquā formam extrinsecè denominantem supponit illud voluntatis decretum. Quā de causa etiam prædestinatio libera est in Deo, non necessaria.

a b *Vasq. Zum. Molin. &c. loc. cit. Suar. l. 1. & in 1. p. l. 1. c. 17. n. 14.*

CAPVT II.

De effectibus prædestinationis.

13. Ad effectum prædestinationis in genere requiritur, tum vt proficiscatur ex voluntate diuina perducendi aliquem ad gloriam: tum, vt ad eam reipsā aliquo modo conferat. In specie verò tria sunt rerum genera, de quibus quæri potest, an sint effectus Prædestinationis. Primum est genus, rerum supernaturalium, in quibus præcipuè sunt vocatio congrua, fides, iustificatio, perseuerantia, & glorificatio. Secundum est rerum, seu bonorum naturalium, quales sunt vita, valetudo, vires, &c. Tertium est malorum, præcipuè moralium & culpæ.

14. De rebus primi generis variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima asserit *a*, sola media ad finem supernaturalem, non autem ipsam assecutionem finis esse propriè effectum prædestinationis;

tionis; quos iam supra *b* refutauimus. Secunda è contra tradit, solam consecutionem beatitudinis propriè esse effectum Prædestinationis, non verò media. Sed est ex ibidem dictis non minus falsa *c* & contra communem. Tertia sententia est *d*, vocationem non esse effectum prædestinationis, sed prædestinationem incipere à Iustificatione permanente vsque ad mortem. Quæ sententia cuiuscunq; sit, est contra communem, & S. Augustinum *e* passim, qui nullum ferè effectum prædestinationis frequentius inculcat, quam vocationem secundum propositum.

a *Dur.1.d.41.* b c *thes.3.& 4.* d *Vasq.disp.91.c.5. & d.93.n.2. tribuit eā Iauello & Bonauent.1. dist.41.a.q.1 Sed rectè Suar lib.3.c.5.n.5.negat id apud hunc inueniri.* e *lib. de corrept. & grat.cap.7.8.&c. vid.th.33.*

15. Quarta sententia est *a*, esse duas prædestinationes, vnam ad gratiam, alteram ad gloriam; & illius quidem effectum esse gratiam, non huius. De qua distinctione antiquis parum cognita, ita Viri docti *b* censent, esse quidem probabilem, & in ipso quoque loquendi modo, quo à communi schola videtur abhorrere, fundamentum aliquod habere in Augustino (de quo tamē thesi 3. & 4.) attamen nec necessariam esse, nec satis ex Augustino, & Patribus probari, qui vnam ad vtrumq; terminum, non duas, quarum quælibet sit prædestinatio simpliciter, agnouerint. Addo ego, quod hæc sentētia supponit, electionem

nem ad gloriam esse posteriorem prędestinatione ad gratiam, quæ proinde illius effectus dici non possit, à nobis *c* inferius minus probari.

a *Turrian. opusc. de elect.* b *Vasq. disp. 91. à n. 16. Suar. lib. 1. cap. 5. n. 14.* c *thesi 37.*

16. Communis & vera sententia est *a*, effectū prædestinationis esse tum gloriam, seu consecutionem ipsius, tum vniuersim omnia illa media particularia (vt excludantur media generalia, qualia sunt incarnatio, institutio sacramentorum, &c.) ad ordinem gratiæ spectantia, quibus prædestinatus beatitudinem adipiscitur; siue ea intrinsecè sint supernaturalia, vt sunt ipsa dona gratię supernaturalis, siue extrinsecè tantum, ex fine, ad quem diuina voluntate efficaciter referuntur; vt sunt actiones moraliter bonæ & opportunitates, ad benè operandum diuina benignitate ordinatæ ad spirituale bonum hominis prædestinati, & siue demum sint actiones propriæ ipsius prædestinati (etiam vt sunt à libera ipsius cooperatione *b*) siue sint alienæ, vt prædicatio verbi, & applicatio sacramentorum, orationes piorum, &c. Nam ad gratiam maximè spectat illud Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum*; ad gloriam illud Rom. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Ad vtramq; Roman. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit.* Optimè Fulgentius *c*: *Omnia,*

inquit,

inquit, *& vocationis nostræ initia, & iustificationis præmia in prædestinatione semper Deus habuit.*

a *Val.q.23.p.3. Molin.Bann.Zum.a.2. Suar.lib. 1.cap.5.& lib.3.à cap.3. Vasq.disp.91.c.3.post Dd.1.dist.40.& 41.* b *comm.contr. Gandau. quodl.4.q.19.& quodl.8.q.5.* c *lib.1. ad Monim.*

17. Quod ad res secundi generis attinet, negant quidem nonnulli *a*, ipsum esse naturale hominis (seu existentiam vel productionem ipsius) vna cum adiunctis potentiis naturalibus; naturalem quoque hominis constitutionem & temperamentum, esse effectus prędestinationis. Sed probabilior videtur sententia affirmatiua, quam inter alios *b* satis aperte tradit S. Thomas cum ex Origene ait *c*, *prædestinationẽ etiam esse eius, qui non est.* Et rursum *d* cum Augustino *e*: *Eliguntur à Deo qui non sunt, neque tamen errat, qui eligit.* Idem infra: *Sub ordine,* inquit, *prædestinationis cadit, quicquid hominem promouet ad salutem.* Et ibidem significat, conceptionem Iacob fuisse effectum prædestinationis eius. Eadem verò est ratio omnium. Exemplum habemus in Christo, qui teste Augustino *e*, cum sit *Exemplar nostræ prædestinationis*, prædestinatus est ad hoc ipsum, vt esset filius Dei naturalis.

a *Vasq.disp.93.c.4.n.27* b *Suar.lib.3.c.7.n.5.& lib.1.c.18.n.13 sig citati thes.præced.* c *q.23. a.2. ad 2.* d *a.4. ad 2.* e *serm.11.de Verb.Ap.* f *a.8.* g *lib.de prædest.Sanct.cap.15.*

18. Ratio sumitur ex discrimine prouidentiæ & prædestinationis; nam illa quidem supponit rem vt existentem in præsentia æternitatis, seu iuxta conceptionem diuinæ mentis; hæc verò non item *a*: idque duplicem ob causam. Prima sumitur ex diuerso modo quo vtraque respicit personam, circa quam versatur. Prouidentia enim hanc respicit, tanquam obiectum Cui, & illi vt sic vult, seu superordinat alterius rei accessionem; prædestinatio autem respicit personam etiam vt obiectum quod, quale quidem ab actu practico supponi non debet; cum & prouidentia, quia versatur circa media, vt obiectũ quod, non supponat media, sed procuret, seu ordinet. Altera causa est, quia hoc ipso, quòd prędestinatio est etiam ordinatio, seu destinatio ad finem ipsum primarium, iuxta supradicta *b*, non debet ipsa supponere, saltem intentionis ordine, rem vt existentem, cum eiusmodi finis sit primum, in intentione, ita, vt simul ac eâdem voluntate res ordinetur ad esse, propter suum finem primarium *c*. Hinc valde probabile est, subinde etiam alia opera creationis, vel gubernationis, esse effectum prædestinationis electorum *d*: in quibus etiam sunt mors ipsius prædestinati, & circumstantiæ eius, iuxta illud Sapient. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*: & Matth. 24. *Propter electos breuiabuntur, &c.*

a *S.Thom. q.6. de verit. art.1.* b *thes.6.* c *Suar. lib.1. cap.18.* d *S.Thom. loc. cit. Suar. l.3. c.7.*

19. Quod

19. Quod ad mala attinet; primum de malis quidem pœnæ, vt paupertate, cæcitate, morbis, morte, &c. quæ prædestinato quandoque, Dei nutu, absq; cuiusquam peccato obueniunt, non est dubium, quin possint esse effectus prædestinationis *a*. Non minus certum est, malum quidem ipsum culpæ, licet dici possit prædestinationis materia circa quam; tamen quà formaliter peccatum est, nullo modo esse effectum diuinæ prædestinationis; quia non cadit sub diuinam voluntatem; nec adeo sub scientiam approbationis, vt ex Concilio Tridentino patet *b*. Quin imò nec materiale peccati *c* secundum esse naturale dici potest effectus prędestinationis, saltem loquendo de actu, cui intrinsecè annexa est malitia; quia licet Deus ad hunc actum concurrat, non tamen concursu specialis prouidentiæ, nec etiam ex se, & quasi suapte propensione illam vult & intendit.

a *Thesi præcedenti.* b *Seß.6.can.7.* c *Suar.lib.3.c.8.n.2. Vasq.d 93.n.7.comm.*

20. Controuersia existit de permissione peccati, seu in ipso prædestinato, seu in aliis, an dici possit effectus prædestinationis tunc, quando ipsi prędestinato est occasio maioris seu constantioris gratiæ, cum finali perseuerantia coniunctæ; vt quidem per accidens esse posse supponunt omnes *a*. Negant nonnulli *b*. Sed verior videtur esse sentẽtia affirmatiua *c*, cui fauet primùm scriptura, quæ significat Deum quandoq;

ex peculiari intentione salutis electorum, subtrahere gratiam, seu permittere lapsum, seu proprium, seu alienum, vt cum 2. Reg. 16. ait Dauid: *Dominus præcepit ei, vt malediceret, &c. Dimitte, &c. Si fortè respiciat Deus humilitatem meam.* Et 1. Tim. 1. Quidam *traditur Satanæ* (vtiq; non sine permissione peccati) *vt discat non blasphemare.* Idem quoq; indicat S. Augustinus *d* cum ait: *Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumq; peccatum, vnde sibi displiceant.* Et alibi *e*: *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, vsq; adeo prorsus omnia, vt etiamsi quidam eorum deuiant atq; exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atq; doctiores, &c.* Et rursum *f*: *Tanta ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerant Euangelio, propter nos.* Ratio est; quia nulla conditio ad effectum prædestinationis requisita huic permissioni deest; quam quidem etiam ante præuisionem peccati *g* præfiniri dicendum est.

a *Gloss. & S. Thom. in illud ad Rom. 8. Diligentibus Deum, &c.* b *Vasq. disp. 93. à nu. 8.* c *Zumel. q. 23. a 3. Franc. à Christ. 1. dist. 40. & 41. q. 3. significat S. Thom. & gloss. loc. cit.* d *lib. 14. ciuit. cap. 13.* e *lib. de corrept. & grat. cap. 9.* f *lib. de prædest. Sanct. c. 16.* g *Suar. l. c. n. 4.*

21. Bonum verò ex peccati permissione consequens, tanquam quiddam potius volitum ac inten-

intentum, prædefinitur quidem ante præuisionem peccati (si modo non habeat essentialem respectum ad preteritum peccatum) vt est etiam profundior humilitas, maius & firmius odium seu detestatio peccati, ablatio occasionum peccandi. Si verò dicat respectum intrinsecum ad peccatum commissum, vt est pœnitentia, etsi nec tunc quidem desint, qui asserant *a* definiri ante peccatum præuisum: attamen probabilius videtur, tale bonum à Deo non prædefiniri ante peccati præuisionem; foret enim aliâs prefinitio talis virtualis voluntas peccati *b*.

a *Thomistæ recent.* b *Suar. lib. 3. c. 8. nu. 13. com.*

CAPVT III.

De causis prædestinationis.

22. Dari causam aliquam prædestinationis ex parte ipsorum obiectorum seu effectuum, nullum est dubium. An etiam ex parte ipsius actus Dei prædestinantis? Negat S. Thomas *a*. *Nullus enim*, inquit, *fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita* (Christi seu aliorum) *esse causam diuinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis*. Sed vt rectè alij notârunt *b*, duobus modis intelligi potest, ex parte ipsius actus prædestinantis, non dari causam prædestinationis. Primò vt sermo sit de causa propriè dicta & realiter influente, & sic certum est, nullam eius causam dari, nec eternam, nec temporalem, quia volitio seu predestinatio

natio diuina est ipsa simplicissima, & vt ita dicam, penitus infactibilis essentia diuina: Secundò, vt latius accipiatur causa, prout dicit quamcunq; rationem, vel conditionem obiectiuam; & sic nil obstat, quo minus detur causa prædestinationis, ex parte quoq; ipsius actus diuini, non quidem secundam suam absolutam entitatem spectati, sed vt liberè terminatur ad hoc vel illud obiectum.

a *q. 23. art. 5. & com. Dd. 1. dist. 44. & 45.* b *Eck. in Chrysopas. cent 3. n. 34. Suar. lib. 2. cap 22. Vasq. d. 91. n. 2. & d 94 n. 31.*

23. Deus est causa omnium effectuum prędestinationis, tum efficiens, tū finalis. In quo causæ genere etiam iuxta S. Thomam *a* ratio reddi potest, cur Deus quosdam (indefinitè loquendo) eligat, & quosdam (post præuisum peccatum, aut reprobatione negatiua *b*,) reprobet. Sicut enim *c* ad repręsentandam, vt decebat, variè diuinę naturę perfectionem, opus erat in genere naturæ, varios gradus & ordines rerum esse, quarum quædam supremum, aliæ infimum, medium alię locum tenerent; ita etiam ad declarandam maiestatem suam, velut autoris ordinis supernaturalis, voluit conuenienter Deus, in creaturis intelligentibus, quæ solæ capaces sunt finis supernaturalis, varios ordines & gradus esse, vt scilicet in iis quidē, quos prædestinat, suam ostenderet bonitatem, per modum misericordiæ parcendo; in aliis verò, quos reprobat, (ob

præ-

præuisum peccatum, seu reprobatione negatiua *d*,) eiusdem suæ naturæ perfectionẽ demonstraret, per modum iustitiæ puniendo. *Et hanc causam*, inquit S. Thomas, *aßignat Apostolus* ad Rom. 9. cum ait: *Volens Deus ostendere iram, id est, vindictam iustitiæ* (post præuisionem peccati) *& notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permisit in multa patientia, vasa iræ apta ad interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Et 2. Tim. 2. dicit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam, &c.*

a c *eq. 23. a. 5. ad 3. Thomistæ ibid. Gerson, Eck. Perer. infra thes. seq.* b d *sig. S. Thom. cit. q. 23. art. 3. cum ait, reprobare esse permittere aliquos à suo fine deficere. vide thes. 64.*

24. Sed complexum hoc, quare Deus (supposita vtrinque præuisione peccati) *hos eligat in gloriam*, (eadem est ratio gratiæ congruæ) *& illos reprobet, non habet rationem*, inquit S. Thomas *a*, *nisi diuinam voluntatem*. Iuxta illud Roman. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat, &c. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et Rom. 11. *O altitudo, &c.* In quem sensum etiam Augustinus ait *b*: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.* Et alibi *c*: *Cur illis potius, quam illis detur misericordia, quis cognouit sensum Domini?* Et rursum *d*:

Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum, sed caueat præcipitium. Et iterum: *Quare huic ita, & huic non ita, homo tu quis es qui respondeas Deo; & cur isti sic, illi aliter, atque alij aliter vocentur, vt reformentur, absit vt dicamus iudicium luti esse, sed figuli.* Et demum f: *Sed si iam, inquis, hoc oportebat, vt damnatis non omnibus, quod omnibus deberetur, ostenderet Deus, atque ita gratius suam gratiam in vasis misericordiæ commendaret, cur in eadem causa me potius, quam illum puniet, aut illum, quam me potius liberabit? Hoc non dico, si quæris quare, quia fateor me non inuenire quid dicam, &c.* Prosper g quoque ob hoc ipsum reprehendit Pelagianos: *quod secundum ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est diuinæ ratio voluntatis, &c.* Ratio est, quia in pari hominum conditione, nulla causa est, cur Deus det vni gratiam congruam, alij non item. Neque tamen idcirco Deus vllius iniustitiæ argui potest: *Quia*, vt rectè S. Thomas *h*, *in his, quæ ex gratia dantur potest aliquis pro libitu suo dare cui vult, plus vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, iuxta illud*, Matth. 20. *Tolle quod tuum est & vade, an non licet mihi quod volo facere?* Idem habet Augustinus.

a *q 23 art. 4 ad 3 Thomistæ ibid. Eck in Chrysopas. cent 2. à n. 20. Dur. Gers. apud eundem. Perer. in c. 9 Rom. d. 12, nu. 70 & d. 13 ex August. lib. de prædest. Sanct. c. 8. & 9.* b *tract.*

26. in

26 in Ioan. c *de bono persever. c. 11.* d *ep. 105.* e *respons. ad 2 q. Simpliciani.* f *de bon. perseu. c. 8. & multa similia habet, lib. de correpț. & grat. cap. 8.* g *ad excerp. Ianuen resp dub. 5.* h *cit. art. 5.*

25. Christus est causa meritoria seu efficiens moralis omnium effectuum prædestinationis, qui in nobis peraguntur *a*. An etiam ipsius prædestinationis? Affirmamus *b*. Quia merita Christi (vt abstrahunt ab eius passione ac morte) sunt priora in mente diuina, nostra prædestinatione *c*. Idem significatur Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Controuersia de nomine potius, quam de re est, an Christus simpliciter promeruerit, omnes omninò effectus prædestinationis nostræ. Negant illi, qui in his ipsis effectibus numerant Incarnationem ac merita Christi, etiam in genere & secundum se spectata *d*. Nos contrarium supponentes *e*, affirmamus. Excipimus tamen opera ac merita Christi, si quæ ex speciali eius intentione efficaciter huic vel illi prędestinato fuere applicata *f*: Hæc enim applicatio supponit electionem diuinam eiusdem prædestinati, tanquam effectus causam. Quod si loquamur de electione formaliter, vt est electio aliquorum præ aliis, verius est, causam eius ex parte Christi nullam assignari posse *g*. Quod declaratur exemplo testatoris, qui si præcipiat hæredi, vt centum virgines in matrimonio elocet, clarum quidem est, ipsam eloca-

tionem etiam in particulari spectatam, vt est talium Virginum esse effectum testamenti; attamen elocationis harum potius, quam illarum, causa est in sola hæredis voluntate posita.

a *Communis.* b *Suar.lib.2.c.24 n 12 & 34. & 3.p.tom.1.disp.41 Sect.4. Vasq.d 94.c 3 & 4. Mol.& alij, contra Adamum Sasbot in epist. ad Rom.* c *vid.thes.* d *Dur.3.dist.11.q.3.ad 2.Val.q.23.p 4. §.1.* e *ex thes.16.* f *Suar.lib. 2 c.24.n.32.* g *Suar.l.c.n.12. & 21.contrarium significat Vasq.cit.disp.94.c.3.*

26. Nullus homo purus est *a*, aut de facto esse potest causa prædestinationis nostræ, quoad omnes suos effectus; inter hos enim ipsa quoq; eiusmodi opera numerari debent *b*: nec ipsius prędestinationis in se; quia prędestinatio seu decretum eiusmodi operum nō antecedit in mente diuina electionem, seu prædestinationem nostram ad gloriam *c*. Etsi homines etiam mortales ad prædestinationis executionem, respectu quorundam effectuum cooperari & efficaciter conducere posse constet. *Fortaßis enim sic prædestinati* (quidam) *sunt*, inquit Augustinus *d*, *vt nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint esse, atq; efficiantur electi.*

a *S.Thom.q.23.a.8 Suar.l.2.c.24.num.2 contra Vasq. c.d.94.* b *sup.thes.16.* c *thes.37. & 49.* d *lib.de bono perseuer. c.22.*

27. Cum certum sit, inter effectus prædestinationis vnum esse causam alterius, imò sibi mutuo

mutuo ac viciſſim in diuerſo genere cauſas eſſe *a*: gloria enim eſt cauſa finalis meritorum; merita è contra in adultis ſunt cauſa moralis efficiens gloriæ: gloria item eſt cauſa finalis gratię, hæc verò eſt ſemen ſeu inſtrumentum glorię acquirendæ; ita vt gloriæ cauſa quaſi efficiens ſint merita, meritorum gratia; contra finis gratiæ in adultis ſint merita, meritorum gloria: illud dubium eſt, an ex parte prædeſtinati detur cauſa, vel ratio moralis vllo modo motiua, ſeu per modũ alicuius meriti, ſeu impetrationis, ſeu diſpoſitionis, aut conditionis remouentis obicem, ſiue ipſius prædeſtinationis terminatæ ad omnes ſuos effectus, ſiue ipſorum effectuum omnium prædeſtinationis, ſaltem qui in ipſo prædeſtinato peragũtur, & ipſius eſſe naturale ſupponunt: quod ferè tantundem eſt, ac ſi quæras, deturnè cauſa ſeu ra o prędeſtinationis ad gratiam congruam electo um propriam, per quam diſcernuntur electi à non electis.

a *S.Thom.quæſt.23. art.4.*

28. Qua in re ante omnia hos contra fidem errores damnamus. Primum, Manichæorum *a*, qui cum negarent in nobis liberum arbitrium, totam cauſam noſtræ prædeſtinationis, & beatitudinis retulerunt in certum corporis temperamentum ex certa aſtrorum diſpoſitione prouenicns. Secundum, Caluini *b*, ita etiam in ſolum Deum cauſam noſtræ prædeſtinationis referentis, vt nullum libero arbitrio locum in ordine

ad

ad vllum effectum prædestinationis relinquat. Tertium, Origenis, qui docuit *c*, causam prædestinationis *d* esse merita, quæ in priori vita præcesserint. Quartum, Pelagianorum, qui dicebant, hominem prædestinari etiam ad vitam æternam ob præuisa eius condigna merita, & iustitiam solius liberi arbitrij ex viribus naturæ *d*.

a *Apud August. lib. 1. ad Simplic. q. 2.* b *lib. 2. instit. c 3. & lib. 3. c. 21. & 22.* c *apud S. Thom. q. 23. a. 4. post Epiphan. in Panar. & epist. ad Ioan. Episc. Hieros. & Hieron. epist. 29. ad Auitum, etsi neget Mirand. in apol. concl 7. & subdubitent Eckius cent. 2 n. 27. Vasq. disp 91. num. 6.* d *contra Concilia Mileuit. & Arausicanum.*

29. Quintus error est Semipelagianorum, seu Massiliensium, qui bifariam errabant: Primò enim quod ad adultos attinet, sentientes *a* saltem initium rectè operandi esse ex nobis, consequẽter etiam dicebant in nobis esse rationem, seu causam meritoriam ipsius fidei, & gratiæ iustificantis, necessariæ demum ad promerendum vitam æternam. Iidem deinde prędestinationem & reprobationem infantum, & ex parte etiam adultorum, saltem quoad illum effectũ, qui est auditio prædicationis Euangelicę, referebant ad quædam merita *b* seu demerita conditionata, ipsorum seu infantum seu adultorum, quamuis reipsa etiam nunquam existentia, quasi videlicet propterea infantes quidam (hoc in statu infantili

tili morientes) prædestinati sint ad gratiam & gloriam, quia Deus scientia conditionata viderit eos, si viuere sinerentur, rectè vsuros liberò arbitrio; alij verò reprobati sint, quia viderit, non rectè vsuros libero arbitrio, &c. Apertè tum contra Script. Sap. 4. *Raptus est, &c.* Lucæ 10. *Si in Tyro & Sidone, &c.* tum contra naturalem æquitatem. Cuius enim iustitiæ esset, punire aliquem ob peccata solum sub conditione præscita, re ipsa existentia, aut futura nunquam? Vide Augustinum ex instituto hunc errorem refellentem *c.*

a *Apud Aug. lib. de prædest. Sanct. Hilar. Prosp. Fulgent. &c. SS. Patres Græci, vt Chrys. &c. quibus eundem errorem tribuit Vasq. d. 91. c. 8. iure defenduntur à Suar. lib. 2. c. 8.* b *apud Prosp. & Hilar. in epist. ad August. & ipsum August. lib. de prædest. Sanct. c. 12 & 13.* c *l. de prædest. SS. c. 12. & de bono perseuer. c. 9.*

30. Jnter Catholicos nonnulli primùm asserunt quidem, dari ex parte prædestinati, causam meritoriam de condigno *a*, vel de congruo *b* omnium effectuum prædestinationis: sed interim verbis potius, quam re ipsa à communi sententia discrepant; vel quia inter effectus prædestinationis ponunt solam gloriæ consecutionem *c*: vel quia eius effectus incipere existimant primùm à gratia sanctificante, quæ tamen fundamenta superius *e* conuellimus. Alij re dissentientes à communi, asserunt causam seu ratio-

nem

nem (saltem per modum cuiusdam dispositionis seu impetrationis mouentem) prædestinationis ad primam gratiam congruam esse merita, non quidem antecedentia gratiam; sed consequẽtia, per scientiam conditionatam præuisa, tamen reipsa quandoque extitura. Addunt aliqui *g* eiusmodi præuisa merita esse causam prædestinationis de congruo, non vt à gratia procedunt, sed vt à libero arbitrio. Sed hæc sententia meritò cẽsetur improbabilis *h*. Tum quia multis non datur ea gratia à Deo, qua si daretur, ipsi rectè vsuri essent: tum quia ille bonus vsus gratiæ est effectus prædestinationis etiam vt est à libero arbitrio *i*.

a C. *Occam*, b d *Iauellius &c.* e *thes.16.* f h i *apud S.Thom. q 25. a.5.* g *Gandau. quodl.4. q.19. & quodl.8. q.5. & ex parte Eckius in Chrysop. cent.2. n.94. & cent.3. n.21. & cent.4. n.2. & 13. licet aliter cent.2. n.32.*

31. Alij docent *a*, dari aliquid ex parte prædestinati adulti, ex viribus naturæ profectũ, quod sit totius prædestinationis, secũdum omnes suos effectus vel causa per accidens, per modum remouentis obicem; vel etiam causa moralis per se, saltem per modum dispositionis, aut etiam impetrationis *b*. De qua sentẽtia alij aliter censent *c*, nobis ea quidem minimè probatur: ne & initium salutis dicatur esse ex nobis, contra Augustinum *d*: Imò & Apostolum Rom. 11. *Quis prior dedit illi?* & nos ipsi nos discernere videamur,

mur,

tiaut; contra eundem 1. Cor. 4. & vtriusque hac in re pereat admiratio, sæpius exclamantis, *O altitudo, &c. e.*

a *Aureol. 1. dist. 41. a. 1.* b *Scot: Gabr. Caiet. &c. apud Vasq. disp. 91. cap. 10* c *aliter Vasq. d. 91. c. 10. aliter Suar. lib. 2. cap. 6. 7. & 18.* d *lib. de prædest. SS. cap 3.* e *vide thes. 24.*

32. Sed nec illi placent *a*: qui veriti admittere causam prædestinationis meritoriam aut impetratoriam; seu minimam dispositionem, dixerunt arbitrium nostrum, eiusq́; cooperationem esse causam, vel, vt cautius aliqui loqui maluerunt, conditionem ipsius sine qua non: eò quod totus effectus prædestinationis in nobis non sit sine nostra cooperatione: tum quia ipsa cooperatio est effectus prædestinationis, ad quam ipsa non potest esse conditio sine qua non: tum quia ad primam gratiam non requiritur cooperatio, velut conditio, cum illa sit prior omni cooperatione, eiusque causa. Alij *b* quamuis fateantur, non dari causam seu rationem in prædestinato prædestinationis respectu primæ gratiæ, saltem secundum se spectatæ, adeoq́; nec respectu omnium effectuum prædestinationis: Sentiunt tamen, dari causam seu rationem ipsius prædestinationis ad gloriam. Vera sententia, si præuisio meritorum in adultis prior esset electione ad gloriam, de quo infra.

a *Gand. Ioan. à Bononia & Bart. Cam. apud Vasq. d. 91. c. 7.* b c *Val. Vasq. Mol. &c. vide thes. 37.*

33. Nos

33. Nos hic contrarium supponentes, duo asserimus. 1. Prædestinationis secundum se spectatæ, etiam vt liberè ad sua obiecta terminatur, nullam dari in prædestinato causam vel rationē vllo modo meritoriam, respectu vllius effectus, ne gloriæ quidem *a*. Alterum, dari quidem in prædestinato adulto causam meritoriam prædestinationis ex parte aliquorum *b* effectuum, non autem omnium. Id enim nihil aliud est, quàm dari causam meritoriam ipsorum effectuum: qualem quidem dari respectu quorundam certum est, siue loquamur de causa meritoria de congruo, siue de condigno. E contra ipsius primæ gratiæ congruæ ex parte prædestinati, nulla datur causa meritoria, nec dispositiua quidem, aut vlla etiam conditio sine qua non, mouens ad eius largitionem: ad quam proinde etiam potissimum respexit Augustinus, cum toties *c* prædestinationem ac electionem, itemq; vocationem secundum propositum, seu placitum diuinę voluntatis, electorum propriam, inculcat, palam professus, ab homine comprehendi nō posse, cur vni obtingat, alteri non item *d*. Quocirca etiam dicere, Deum in gratia eiusmodi distribuenda, se æqualiter ad omnes habere, Augustino non videtur consonum *e*. Eodem spectat verum illud & commune dictum *f*: *Prædestinauit Deus sine meritis, quos non saluat sine meritis.*

a b *S. Thom. hic art. 5. & 3. contra gent. c. 161. & 163. Ferrar. ibid. Caiet. Thomist. recent. citati à Suar.*

a Suar. lib. 2 de prædest. c. 24. Bellarm. l. 2. de gratia à c. 14. post Magistrum. Scot. Durand. Aur. Capreol. Ægid. Richard. Maior 1. dist. 40. & 41. Antonin. Abul. Cordub. &c. c *de correptione & grat. c. 7. 9. & 13. & de prædest. SS. c. 3. 5. 16. & 18.* d *Vide thes. 24.* e *Vide Vasq. disp. 101. n. 3. & d. 96. c. 4.* f *Refert & approbat Salmer. in cap. 8. Rom. disp. 19.*

CAPVT IV.

De ordine ac progressu prædestinationis.

34. Sermo est de prædestinationis ordine, quē habet in mente diuina, secundum rationem nostram. Et controuersum imprimis est; an electio seu prædestinatio ad gloriam antecedat voluntatem efficacem & præscientiam meritorum vel contra. Prima sententia ait *a*: nullum esse ordinem inter præscientiam meritorum & prædestinationem ad gloriam, sed Deum vnico simplicissimo decreto absq; vlla instantium, aut signorum ordine consummasse prædestinationem, quo nempe alicui voluerit seriem aliquam mediorum, quibus per scientiam conditionatam cognouerat eum peruenturum ad gloriam. Sed est sententia improbabilis, & solum effugij causa excogitata, quia nisi vniuersim negetur ordo rationis inter actus diuinę mentis negari in proposito talis ordo non potest, cum obiecta sint subordinata per modum finis & mediorum, vt constat.

 a *Ar-*

a *Arrim. Petr. de Candia. Aliac. &c. apud Eck. Chrysop. cent. 2. n. 12. & Suar. lib. 1. c. 8. n. 3.*

35. Secunda ſententia *a* eſt, præſcientiam ac prædeſtinationem, ſeu voluntatem efficacem meritorum ratione priorem eſſe prædeſtinatione ſeu electione ad gloriam. Quod etiam ſeruata proportione aſſeritur de paruulis: eos videlicet non fuiſſe efficaciter electos ad gloriam, niſi ea præſcientia mediorum & iuſtificationis *b*. Et eſt ſanè ſententia probabilis, tum propter auctoritatem Doctorum, qui eam ſequuntur, tum ob rationes non contemnendas: quicquid eam non nemo *c* grauius improbet. Addunt nonnulli *d*, præſcientiam abſolutam cooperationis perſeuerantis vſque in finem, fuiſſe etiam quadam ratione ſimul cum decreto cuiuſlibet effectus prædeſtinationis, & ipſius adeò primæ gratiæ & cooperationis, prout ſunt effectus prædeſtinationis. Sed hoc non probatur *e*, non ſolum quia prima gratia congrua eſt effectus prædeſtinationis; etiam qua ratione prior eſt noſtra cooperatione, eiuſque cauſa: ſed etiam quia præſcientia abſoluta cooperationis ſequitur prædeſtinationem eiuſdem, etiam vt formaliter eſt effectus prædeſtinationis.

a *Argent. 1. d. 41. a. 2. Valent. q. 22. p. 4 §. 3. 4. 5. 6. Molin. q. 23. a. 4. d. 1. memb. 8. Vaſq. d. 89. c. 2. vbi citat etiam præter non paucos recentiores Profeſſores Theolog. innominatos Franciſcum Turr. item Barthol. Camer. Oſorium,*

&

& Guil. de Rubione. Idem sentiunt Græci Patres, nec pauci Latinorum apud Perer. in c. 8. Rom. disp. 22. & Bened. Iustin. in cap. 9. Rom. & apud citatos. vide etiam Prosp. epistol. ad August. b *Vasq. d. 89. n. 86.* c *Zum. a. 3. & 4. d. 2.* d *Val. q. 23. p. 4. §. 4.* e *Vasq. d. 92. n. 9.*

36. Tertia sententia *a* dicit, aliquos quidem eximiè à Deo dilectos, fuisse prædestinatos ad gloriam, ante præuisionem meritorum, vt beatam Virginem (quam quidam solam excipit) Ioannem Baptistam, Apostolos, aliosq; his similes: cæteris verò, adeoque maiori parti fuisse decretam gloriam post merita preuisa. Quam sententiam quoq; nō nemo *b* vocat *magis quàm & benignam, ac populari captui magis accommodatam.* Et est quidem nō improbabilis: non solum quia pars vtraq; ex qua constat, per se probabilis est, sed etiam, quia nil obstat, quo minus Deus pro maiore sapientiæ & bonitatis suæ manifestatione, talem varietatem in sua prouidentia & prædestinatione seruarit: quicquid rursum alius *c* hanc sententiam vocet *temerariam, & peiori nota dignam.*

a *Occam, Gabr. 1. dist. 41. Cathar. lib. 1. de prædest. cap. vlt. & l. 3. à princip.* b *Eck. cent. 2. n. 58. & cent. 3. à n. 25.* c *Zum. a. 4 d. 2.*

37. Quarta, ac nostro iudicio probabilior sententia vniuersim prædestinationem seu electionem ad gloriam, respectu omnium tam hominum, seu adultorum, seu paruulorum: quam an-

gelorum, factam asserit ante præuisionem meritorum, seu mediorum, quibuscum iidem saluandi essent. Cuius sententiæ præter cæteros *a*, imprimis videtur esse S. Thomas *b* dum ait: *Certus est Deo numerus prædestinatorum* (tum formaliter, tum materialiter) *non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis.* Idem alibi *c*: *Electio Dei, qua vnum eligit, & alium reprobat, rationabilis est, nec tamẽ oportet quod ratio electionis sit meritum, &c. quãuis enim meritum possit esse causa effectus prædestinationis, non tamen potest esse prædestinationi causa, &c.* Cum igitur alibi *d* referens quorundam sententiam, asserentium, *Deum prædestinare aliquos, quia præscit eos bene operaturos*, subiungit: *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis, &c.* plus non significat, quàm contrariam sentẽtiam non esse improbabilem, quod & nos fatemur.

a *Capreor. Herv. Sot. Bann. & Thomistæ omnes. Item Albert. Scot. Dur. Ægid. Maior. Richar. 1. dist. 40. vel 41. &c. Item Bellarm. lib. 2. de grat. c. 15. Suar. l. 1. c. 8. n. 32. & opusc. de auxil. l. 3. c. 16. n. 9. Henriq. de fine hom. c. 11. n. 3. Pererius in c. 8. Rom. disp. 22. Sal. d. 20. & 21. sign. Bened. Iustin. in cap. 9. Rom. item Driedo. Ruard. & Sixtus Senensis apud Vasq. disp. 89. n. 59. Cord. lib. 1. q. 56. opin. 5. Cabrer. 3. p. q. 1. a. 3. d. 1. num. 172. Zum. q. 23. a. 4. d. 2.* Eandem

etiam

etiam Eck.*cent.1. à nu.13. cent.2. n.18. approbat, vt veriorem & magis communem, imò ab omnibus ferè assertam & defensam.* b *q.23. a.7. qui etiam art.4. ait, prædestinationem secundum rationem præsupponere electionem ad bonum salutis æternæ. c. q.6. de veritate. a.7. & 1. dist. 40. d. in cap. 8. Rom. lect. 6.*

38. Eiusdem sententiæ videtur Augustinus, quem nō solum ij qui sunt eiusdem *a*, sed etiam multi oppositæ *b* sententiæ authores hactenus ita intellexerunt. Præcipua verò loca sunt hæc: *Quis*, inquit c, *prior dedit ei, & retribuetur?* Nul*lum elegit dignum, sed eligendo fecit dignum, &c. Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, sed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor & de Israël, reliquiæ per electionem gratiæ* SALVÆ *factæ sunt; & ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est, & adiunxit, si autem gratia, iam non ex operibus.* Et alibi d: *Non quia credimus; Sed vt credamus elegit nos, ne priores ipsum elegisse dicamur.* Et rursum e: *Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris: hæc enim omnia,* inquit, *bona, operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ, &c. non præcedentium meritorum suorum: quia gratia est illis omne meritum, &c. Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt, &c. Electi autem sunt ad* REGNANDVM *cum Christo.* Et infra: *Cùm*

itaque audimus, nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est, illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos *ergo elegit ad obtinendum* REGNVM *suum, &c.* Quæ verba secundò repetita apertè excludunt responsionem eorum, qui dicũt S. Augustinum in his, & similibus locis, vbi electionem asserit ante præuisionem operum, solummodo loqui de electione ad gratiam vocationis congruam: minus probabilis videtur ea responsio, S. Augustinum tantum exclusisse præuisionem meritorum ex solo libero arbitrio sine gratia procedẽtium, cum constet, in iis locis Augustinum maximè etiam locutũ de electione ad primam gratiam congruam, cuius prorsus nulla possunt assignari merita, nec antecedentia gratiam, nec consequentia.

a *Prosper. & Hilar. epistolis ad August. Fulgent. l. 1. ad Monim. c. 8. & 13. Hugo Victor. q. 225. in epist. ad Rom. Mag. sent. S. Thom. & Scholastici ll cc. item Dried. lib. de concord. liber. arbitr. & prædest. 1. p. c. 2. & 4. Perer. l. c. & in cap. 9. Rom. disp. 7. 8. & 13. Tolet. ibid. annot. 19. & 21.* b *Sixt. Sen. lib 6. Biblioth. annotat. 251. & 252. Cathar. Camer. Osor. apud Vasq. d. 89. n. 59. & 10. Aliter Valent. l. c. & Vasq. c. 8. &c.* c *lib. 5. contra Iulian. c. 3.* d *lib. de prædest. sanct. c. 19.* e *lib. de corrept. & grat. c. 7.*

39. Nec obscurè huic sententię fauet Scriptura, Luc. 12. *Complacuit* (ex benignitate vtiq; non

ex

ex debito iustitiæ, si intentionis ordo spectetur) *Patri vestro, dare vobis regnum.* Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non præuisa proinde prius mei electione. Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent, vt secundum electionem* (non preuisionem operum) *propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi,* (qui typus est electorum) *Esau autem odio habui* (qui typus est reproborum) Ibidem. *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis,* (id est, operantis iuxta præuisionem Dei.) *Sed miserentis est Dei.* Rom. 11. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ* (gratuitam) *saluæ factæ sunt: si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, &c.* (non quos presciuit sanctos & immaculatos.) *Qui prædestinauit nos in adeptionem filiorum, &c. secundum propositum voluntatis suæ,* non ob merita, vel post præuisionem meritorum. Et infrà: *Prædestinati secundum propositũ eius, qui operatur omnia secũdum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauim⁹ in Christo.* Quæ licet autores oppositæ sententiæ ferè ad solam electionem ad gratiam restringant, tamen nonnulla ex ipsis verbis, & iuxta interpretationem contextui magis accommodatam, generalem

ſenſum habent *a*: præterquam, quod etiamſi ad gratiam electorum propriam iſta referantur, res tamen ferè eodem recidit *b*, videlicet adultos, ante præuiſionem cooperationis, ſine qua adulti non ſanctificantur, multoque minus perſeuerant, prædeſtinatos fuiſſe ad gratiam in finem vſque feliciter ipſis aſſiſtentem, quæ infallibiliter habeat gloriam annexam. De hac enim inprimis loquitur Apoſtolus, & expreſsè Auguſtinus *c* cum ait: *Quicunque ab illa Originali damnatione iſta diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, vſque in finem perſeuerant: & ſi quando exorbitant correpti emundantur: & quidam eorum, etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt; & nõnulli accepta gratia, in qualibet ætate periculis huius vitæ, mortis celeritate ſubtrahuntur, &c.* Et infrà: *Ex iſtis nullus perit, q̃a oẽs electi ſunt, etc.*

a *Vide Bellarm. lib. 2. de grat. c. 10. Perer. & Tol. ll. cc.* b *Suar. l. 1. cap. 8. n. 34.* c *de correp. & grat. c. 7. Vide ſimilia loca citata th. 33. lit. c.*

40. Ratio eiuſdem ſententiæ (præterquam quod maieſtate diuinæ prouidentiæ, eiuſque in electos gratuita beneuolentia dignior eſt; nec vlla ferè premitur difficultate, quæ non in omni probabili *a* ſentẽtia locum habeat) petitur, tum à prædeſtinatione Chriſti, (*luminis prædeſtinationis & gratiæ noſtræ*) *qui & ipſe nullis humanis* præ-

præcedentibus meritis, cum ipse sit homo, liberator factus est hominum, vt argumentatur Augustinus *b*. Tum quia in omni proba consultatione, prior seu natura, vt in nobis, seu ratione solum, vt in Deo, solet esset intentio finis, quàm electio seu voluntas mediorũ, si modo & finis ipse cum mediis sit in potestate operantis, & ille simul quiddam secundum intẽtionem etiam operantis potius (quale non est brauium à principe certantibus propositum, respectu ipsius principis) quàm media. Atqui gloria habet se vt finis, respectu meritorũ, & est quiddam potius à Deo intentum, quam media; vtrisque interim in Dei vtiq; potestate plenissimè constitutis. Ergo, &c. Secus accidit parenti, qui non efficaciter prius vult filio gradum Doctoratus, quàm alimenta, quibus in studiis ad eum gradum, aptetur; eo quod nec in sua potestate habet gradum Doctoratus, quem filio desiderat; nec omnia media, quæ necessaria sunt, ad eius consecutionem, puta eruditionem, &c.

a *Vide th 44. & 55.* b *lib. de præd. sanct. c. 12. & 15.*

41. Obiicitur pro contraria sententia, illud Rom. 9. *Quos præsciuit, & p̃destinauit.* Et Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.* 1. Petr. 1. *Electis aduenis secundum præscientiam Dei Patris.* Respõdetur primò: si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam gratiam congruam (de qua etiam locutum esse Apostolum negari non potest) datam esse ob merito-

rum, seu post meritorum pręscientiam, quod tamen nemo verè dixerit. Respondetur secundò: non esse hic sermonem de præscientia absoluta meritorum, aut vlla omnino scientia visionis, sed de scientia approbationis erga electos *a*, quę in quantum quidem nudè præscientia est, ratione prior est prædestinatione.

a *Optimè Bellarm. de grat. & lib. arbit. l. 2. c. 13. Perer. in cap. 8. Rom. disp. 21. Bened. Iust. ibid. & ferè Salmeron d. 19 in cap 8. Rom. vbi præscire dicit idem esse, quod diligere.*

42. Pro aliis locis tum Scripturæ, tum etiam Augustini explicandis, aduertendum, duplicem esse *a* voluntatem Dei, conferendi efficaciter hominibus gloriam. Prior voluntas est per modum intentionis, quę ad prædestinationem pertinet, & est sine præuisis meritis, vt dictũ, quanquam & hac decerni gloriam velut mercedem ob merita mox prædefinienda nil obstat. Altera est voluntas executiua, seu ad ordinem executionis pertinens, quæ est ipsa dispositio executionis in mente diuina, post præuisionem meritorum. Postquam enim Deus vidit iam prædestinatos ad gloriam per certa media rectè vsuros auxiliis præparatis, voluit illis etiam in ipsa executione conferre gloriam tanquam brauium ob præuisa merita. Simile quiddam cernitur in gratuita & benefica voluntate vendendi equum opportunè huic potius quàm illi; item in liberali voluntate Principis dandi brauium vincẽti, &c.

a Bel-

a *Bellarm.cit.lib.2.cap.14. Suar.l.1.c.8.n.50. & lib.3.de aux.c.18.n 4. Cordub.lib.1.q.56 notab.4.opin.5.post Scotum Lychetum,&c.*

43. Obiiciunt etiam nonnulli *a*, hac sententia facilè adigi posse homines ad desperationem seu licentiam vitæ,& à benè agendo retrahi,&c. Sed vt probè aduertit vir doctus *b*, *istæ obiectiones aduersus Augustini sententiam non sunt nouæ, nec recens inuentæ, cum & hæ ipsæ olim, viuente etiamnum Augustino, à Maßiliensibus, aliisq; Galliæ Episcopis aduersus ipsum obiectæ sint c.* Certè hæc Massiliensium apud Prosperum *d* Philosophia est, *Deum eos qui credituri sunt, quiue in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt, præsciuisse ante mundi constitutionem.& eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Hoc autem propositũ vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reiiciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuerit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem tepôris afferre; & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necesitatem.* Quo tamen non obstante, Prosper ibidem asserit *d*; *Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ, occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam.*

a Ca-

a *Cathar. &c.* b *Perer. in epist. ad Rom. c. 9. d. 15. n. 78.* c *Vide epist. Hilar. & Prosp. ad August. & August. de corrept. & grat. c. 4. & seqq. & de bon. perseuer. c. 14. & 15.* d *epist. ad August.*

44. Deinde verò respondetur, hęc omnia itidem obiici posse contra quamlibet de prædestinatione sententiam, saltē ratione absolutæ illius præscientiæ, sine qua prædestinatio non existit. Nam æquè etiam præscientia Dei ab æterno stat immutabilis, cuius præscita nulla ratione falsa reddi possunt. Optimè ergo Augustinus *a*: *Sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat: siue nunc rectè viuatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos; ita nos à confitenda Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum eam prædestinatione sanctorum deterrere non debent, &c.* Multò verò magis hæ obiectiones oppugnāt communem illam & (communi Dd. iudicio) certam sententiam, quę asserit saltem discretionem gratiæ congruæ, sine præuisione meritorum, aut vllius dispositionis ex parte prædestinati, esse factam. Denique addo, Deum timentibus, aut ratione duci solitis, nullum esse scandalum, si modò hæc tria mente reposta maneant, quæ in omni sententia de fide certa persistunt. Primum, prædestinatione nullo modo impediri libertatem arbitrij ad bene vel malè operandum *b*. Secundum, rectè vsque in

finem

finem operantes, (vt cum gratia Dei possunt omnes) certissimè gloriam consecuturos, adeoque prædestinatos esse; alios verò si sua culpa malè operando gratiam perdant, & sic ex hac vita decedant, damnandos esse, & hoc ipso reprobos. Tertium, Homines ordinaria Dei lege nec posse, nec debere infallibiliter scire, an prædestinati sint, an reprobi, vt sic nempe omnes inter spem & metum nec depressi nimium, nec elati, salutari sollicitudine coërceantur. Præclarè ad hoc propositum S. Augustinus c: *Miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promißionis Dei. Sed ignota est mihi inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? tuane tibi voluntas de teipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cum igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemq; committit?* Idem infra d merito reprehēdit Massilienses, *quod nisi aliquid sibi aßignent, quod prius dent, vt retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant.*

a *De bon. persev. c. 15.* b *vide thes. 55.* c *lib. de prædest. Sanct. cap. 11.* d *cap. 12.*

45. Porrò iuxta eandem sententiam asserimus a: decretum quoque illud prędestinationis ante præuisionem operum, respectu omnium & singulorum, qui prædestinati sunt, fuisse determinatum etiam ad certum gradum gratiæ & gloriæ, tam essentialis, quam accidentalis, quæ tamen non necessariam habitudinem ad commissum

missum peccatum diceret; quin imò ipsos etiam actus supernaturales singulos electorum; imò etiam alios bonos actus eorundem, & media specialia singula, quibus efficaciter perducuntur ad beatitudinem, siue fiant à solo Deo, siue cooperatione liberi arbitrij, siue non, in indiuiduo, & iuxta omnes circumstantias, fuisse à Deo in decreto prædestinationis prædefinita: cum hoc tamen discrimine, quod actus qui necessario supponunt peccatum, vt est pœnitentia, non fuerunt prædefiniti, ante præscientiam talis peccati, secus est de aliis. Fauet huic doctrinæ tum Scriptura, Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, &c. vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Et Ephes. 2. *Ipsius factura sumus creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit, vt in ipsis ambulemus.* Tum etiam Augustinus *b*, dum ait: *Nullus prædestinatorum ex bono in malum mutatus finit vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus vt nō pereat, sed habeat vitam æternā.* Et rursum a: *Non quia credidimus, sed vt credamus elegit nos, &c. Agit quippe Deus, quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur, quod manus eius & consilium prædestinauit fieri.* Et alibi d: *Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt ex infidelitate veneritis ad fidem, accepta voluntate obediendi; & accepta perseuerantia maneatis in fide, &c.* Idem alibi effectus, qui ex vi diuinæ prædestinationis subsequuntur fusè commemorat *e*.

a Suar.

a *Suar.l.1.de prædest.c.10.n.4. & c.13.n.3 & 10. & lib.3. de Aux.c.17 à n.8. Henriq.l.vlt.c.5. §.1.& c.11.§.6.Mascaren.d.2.p.4.n.29.cum Mag. Scot. Dur. Heru. Bassol.Maior.Lichet. Arrim.Ferrar.Capr.Palat.Dried. Carthus. Viguer.Veg Caietan.Ban Zum. & commun. Thomist. significat August. lib.de prædest SS. c.12. & de bon.perseu. à c.9.& S.Thom.q.23. a.4.& 1.2.q.112.a.4.* b *l.de correpi.& grat. c.9.* c *de prædest.Sanct.c.19.& 20.* d *de bon. perseu.c.22.* e *de correpi.c.7.*

46. Idem quoque dicendum est *a* de actibus supernaturalibus, pertinẽtibus ad bonum commune prędestinatorum, vt fuit consensus B. Virginis, item voluntas Christi, qua mortem acceptauit, prædicatio Apostolorum, &c. An idem de actibus supernaturalibus reproborum sentiendum sit, res magis incerta est *b*, & extra propositum. Ratio verò est, quia secundum consuetum ordinatæ intentionis modum, qui efficaciter intendit finem, prius vult ea media, quæ sunt propiora fini, quam quæ ab eo remotiora; atqui liberi actus boni, sicut & ipse gradus gratiæ sanctificantis libera cooperatione prædestinati acquirendus, sunt media propiora fini, quam quæ à solo Deo efficiuntur, & in prima vocatione congrua consistunt: ergo illa prius ratione sunt à Deo volita, quam ista; ergo si vt omnes fatentur, hæc fuerunt prædefinita ante præscientiam liberæ cooperationis nostræ, multò magis illa.

a *Suar,*

a *Suar. loc. cit. Zumel. &c.* b *contra Zumel. q. 23. a. 3. d. 2.*

47. Alia quæstio est, an prædestinatio supponat electionem ac dilectionem in Deo. S. Thomas vtrumque constanter asserit *a*: Non solum, quia vt dictum *b*, videtur ipse prędestinationem constituere in actu imperij, supponente iam electionem voluntatis, quacunque demum ratione is actus imperij explicetur: quo sensu, etiam respectu eiusdem termini, electio prior est prædestinatione: sed etiam quia is prædestinationẽ in primis considerat prout immediatè (instar prouidentię) respicit media, eamque vt sic comparat cum electione ad ipsum *bonum salutis æternæ*. Quo sensu licet à quibusdã *c* ea S. Thomę doctrina negetur, à nobis tamen ex dictis *d* planissimè admittitur. Quod si electionẽ cum prædestinatione respectu eiusdem termini comparemus, tum iuxta nostram quidem sententiam ea doctrina sic defendi poterit, vt scientia illa approbationis, in qua diximus formaliter consistere prædestinationem, ideò dicatur posterior electione, quia hęc est forma denominans, à qua scientia illa approbationis vt sic, extrinsecè denominatur, vt supra dictum. Neq; verò dilectio & electio, (quarum hæc iuxta eundem S. Thomã *e* illâ posterior est) absolutè sunt duo actus, sed vnus diuersimodè spectatus, tum absolutè scilicet, tum comparatè; quæ consideratio vtiq; posterior est.

a c q.

a *eq.23.a.3.* b *thes.9,* c *Molin.a.4.disp.1.memb.7.& 8.&c.* d *thes.37.*

48. Ex quibus iam hic ordo actuum concurrentium ad prædestinationem in mente diuina (nulla in præsenti habita ratione Christi, & præuisionis peccati, de quibus infra *a*) cõstituitur *b*. Supposita etenim scientia conditionata, atque inefficaci voluntate salutis, quæ ad communem prouidentiam pertinet. Primò Deus ex tota vniuersitate creaturarum intelligentium possibilium, quosdam iuxta suum beneplacitum, certo numero, & in indiuiduo efficaciter ordinauit seu elegit, adeoq; etiam creare decreuit ad gloriã reipsa consequẽdam, siue vt brauium per merita acquirendum respectu adultorũ, siue solũ vt hæreditatẽ paruulis. Secũdò ordinauit ac voluit eisdẽ imprimis quidẽ ea media, quæ propius ad salutem ęternam concurrunt, vt pręter gratiam sanctificantem certo gradu definitam, in adultis quidem sunt actus meritorij ac supernaturales, in paruulis autem applicatio sacramẽtorum, &c. Deinde verò etiam alia media pręuenientis gratiæ, quo spectant variæ opportunitates & occasiones salutis, omnisq; illa variorum auxiliorum gratiæ series, qua cum antea per scientiam mediam, eos cum finali perseuerantia iustificandos, & in iustitia perseueraturos cognouerat. Tertiò, vidit absoluta præscientia tum adultos sic cooperaturos, tum paruulos ad finem vsq; perseueranter iustitiam conseruaturos. Quartò, vo-

a *Suar. loc. cit. Zumel. &c.* b *contra Zumel. q. 23. a. 3. d. 2.*

47. Alia quæstio est, an prædestinatio supponat electionem ac dilectionem in Deo. S. Thomas vtrumque constanter asserit *a*: Non solum, quia vt dictum *b*, videtur ipse prędestinationem constituere in actu imperij, supponente iam electionem voluntatis, quacunque demum ratione is actus imperij explicetur: quo sensu, etiam respectu eiusdem termini, electio prior est prædestinatione: sed etiam quia is prædestinationē in primis considerat prout immediatè (instar prouidentię) respicit media, eamque vt sic comparat cum electione ad ipsum *bonum salutis æternæ.* Quo sensu licet à quibusdā *c* ea S. Thomę doctrina negetur, à nobis tamen ex dictis *d* planissimè admittitur. Quod si electionē cum prædestinatione respectu eiusdem termini comparemus, tum iuxta nostram quidem sententiam ea doctrina sic defendi poterit, vt scientia illa approbationis, in qua diximus formaliter consistere prædestinationem, ideò dicatur posterior electione, quia hęc est forma denominans, à qua scientia illa approbationis vt sic, extrinsecè denominatur, vt supra dictum. Neq; verò dilectio & electio, (quarum hæc iuxta eundem S. Thomā *e* illâ posterior est) absolutè sunt duo actus, sed vnus diuersimodè spectatus, tum absolutè scilicet, tum comparatè; quæ consideratio vtiq; posterior est.

a e q.23.a.3. b thes.9, c Molin.a.4.disp.1.memb. 7.& 8.&c. d thes.37.

48. Ex quibus iam hic ordo actuum concurrentium ad prædestinationem in mente diuina (nulla in præsenti habita ratione Christi,& præuisionis peccati,de quibus infra *a*) cõstituitur *b*. Supposita etenim scientia conditionata, atque inefficaci voluntate salutis, quæ ad communem prouidentiam pertinet. Primò Deus ex tota vniuersitate creaturarum intelligentium possibilium, quosdam iuxta suum beneplacitum, certo numero, & in indiuiduo efficaciter ordinauit seu elegit,adeoq;etiam creare decreuit ad gloriã reipsa consequẽdam, siue vt brauium per merita acquirendum respectu adultorũ, siue solũ vt hæreditatẽ paruulis. Secũdò ordinauit ac voluit eisdẽ imprimis quidẽ ea media, quæ propius ad salutem ęternam concurrunt,vt pręter gratiam sanctificantem certo gradu definitam,in adultis quidem sunt actus meritorij ac supernaturales, in paruulis autem applicatio sacramẽtorum,&c. Deinde verò etiam alia media pręuenientis gratiæ, quo spectant variæ opportunitates & occasiones salutis,omnisq; illa variorum auxiliorum gratiæ series, qua cum antea per scientiam mediam,eos cum finali perseuerantia iustificandos, & in iustitia perseueraturos cognouerat. Tertiò, vidit absoluta præscientia tum adultos sic cooperaturos, tum paruulos ad finem vsq; perseueranter iustitiam conseruaturos. Quartò, vo-

luit ac ordinauit denuo voluntate quadam executiua, seu per modum vsus, vt potentia executiua, post totum ordinem intentionis, quod statutum esset, executioni mandaret incipiendo à medio, quod in electione fuit postremum, (iuxta Apostolum Rom. 8. *quos prædestinauit, hos & vocauit, &c.* Et Augustin. superius adductum *c*) vt sic reipsa tandem electis in primò instanti, sine præscientia meritorum vel auxiliorum, efficaciter obtingeret gloria, seu tanquam hæreditas paterna paruulis, seu etiam tanquam brauium adultis, ob præuisa iam merita.

a *Thes. 49.* b *Suar. lib. 1. c. 14. & l. 3. de aux. c. 19. n. 16.* c *thes. 39.*

49. Sed dubium adhuc restat, quisnam sit ordo prædestinationis ad gloriam respectu prædestinatorum omnium, tam hominum, quam Angelorum, tum inter se, tum per comparationem ad Christum, & permissionem peccati. De qua re inter varias admodum sententias hæc videntur probabiliora. 1. Omnes tam homines, quam Angelos fuisse electos ad gloriam simul, & in eodem signo rationis *a*. 2. Omnes Angelos fuisse electos ante præuisum peccatum, non solum angelorum, sed etiam Adami & posterorum, imò & ante voluntatem illud permittendi *b*: quia effectus prædestinationis in Angelis nullam habent necessariam dependentiam à permissione peccati. 3. Idem probabilius videtur de homine *c*, tum ob eandem ferè rationem, tum quia con-

consentaneum est credere, similem vtrorumq; esse prædestinationem. Neque enim credimus, hominem prædestinatum quasi per accidens, & solum ad resarciendam ruinam Angelorum *d.* Quoties verò August. (& ex eo S. Thomas) prędestinationem explicat per *separationem à massa damnata*, aut loquitur de prædestinatione consummata respectu etiam certorum quorundam mediorum supponentium peccata; aut quasi per effectum declarat causam; accommodatè ad faciliorem captum etiam eorum, quos alioqui graues in hac tota materia aduersarios sentiebat; præsertim cum ipsemet etiam S. Thomas *e propositum miserendi* ab Augustino in definitione prædestinationis positum ita explicet, vt peccatum non supponat.

a *Zumel q.23.a.4 d.1. Suar. l.1.c.12.n.4. vbi vocat hanc sent. communiorem Dd. contra plerosq; auth. cit. th.35.* b *comm. apud eundem.* c *Suar. cit. c.12. n.5. & 8. post Scot. 3. d.7. q.7. Heru. Ægid. Arim. Capreol. Marsil. Eck. contra Vasq. d.93. Molin. q.23. a.4. & 5. d.1. m.7. Val. q.14. p.4. Bellarm. l.2. de grat. c.9. Zum. & Thomist. recent. qui putant, etiam Christum prædestinatum post præuisionem peccati.* d *sig. August. lib.11. ciuit. c.9. & l.12. c.1. & in Enchirid. c.29. Anshelm. in elucidario. S. Thom. q.23. a.1. ad 3.* e *q.23. a.1. ad 3.*

50. Quartò asserimus etiam Christum, abstrahendo à carne passibili, vt caput Angelorum &

hominum electum ac prædestinatum fuisse, ante electionem hominum & Angelorum, adeoq; etiam ante præuisionem absolutam peccati, etsi quoad subsistendi consequentiam non omnino independenter à permissione peccati. Significat id satis apertè Script. Coloss. 1 *Qui* (Christus) *est primogenitus* (ordine intentionis) *omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, &c. vt sit ipse in omnibus primatum tenens*. Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et: *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*, id est, eius gloriam, 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei.* Idem significat Concilium Trid. sess. 6. c. 7. definiens causam finalem nostræ sanctificationis esse gloriam Dei, & Christi, &c. Idem docent non solum omnes illi, qui existimant Christum etiam venturum fuisse, quamuis homo non peccasset, sed etiam ex aliis nonnulli *a*, cum nihil obstet quod ordine intentionis prius est volitũ altero; quoad subsistendi tamen consequentiam non prius esse volitum; quia non omnino independenter ab altero volitum est, vt si sanitas sit volita dependenter ab vno remedio, &c.

a *Albertin. princ. b. cor. 1. n. 25.*

51. Ordo igitur omnium actuum, quem in tota hac rerum vniuersitate liberè decernẽda ac constituenda respectu electorum seruauit Deus,

ex dictis ita se habet. Nimirũ post scientiam tam simplicis intelligentię, quàm conditionatam rerũ omnium, Deus primò voluit gloriam suam, adeoque seipsum velut supremum finem rerum omnium. 2. Gloriam & exaltationem Christi (dependenter tamen à permissione peccati) vt nẽpe ipse qua homo caput esset & princeps hominum simul & angelorum, adeoq; finis necessarius omnis puræ creaturę. 3. Voluit creare homines & angelos ad propriam beatitudinem, quam proinde omnibus quidem voluit antecedente voluntate; quibusdam *a* ad hoc singulariter & in indiuiduo præ cæteris electis, etiam efficaci & absoluto decreto. 4. Voluit totam reliquarum rerum inferiorum vniuersitatem producere, vt homini ad suum finem cooperarentur & ministrarent: speciatim verò electis tam hominibus, quam angelis prædefiniuit ea media, quæ nullum necessarium respectum includunt, ad præsuppositum peccatum: cum ordine tamen quodam vt propiora fini prius decernerentur quàm remotiora. 5. Voluit permittere peccatum, tam in hominibus, quam angelis. 6. Prædefiniuit ea media electis, quæ necessario supponunt peccatum; tum generalia, tum particularia, vt passionem & mortem Christi, pœnitẽtiam, mortem ac certamina Martyrum, &c. Quod si vt multi faciunt, tam Christi, quàm aliorum hominum prædestinatio postponatur prę uisioni peccati originalis, tùm ex eorum qui-

dem sentẽtia, qui prædestinationem ad gloriam, factam docent post præuisa merita, hic ordo constituetur. 1. Voluit Deus creare hominem, cum iustitia originali, eumq; simul affectu simplici ordinare ad vitam æternam. 2. Voluit permittere peccatum originale. 3. Voluit Christum tanquam redemptorem. 4. Ex præuiso merito & satisfactione Christi præparauit omnibus adultis sufficientia auxilia gratiæ; adde, a quibusdam tamen specialiter ad hoc electis, ea etiam auxilia, quibuscum eos antea per scientiam mediam cognouerat infallibiliter cooperaturos: aliis non item. 5. Absolutè præuidit quosdam benè, alios malè vsuros præparatis auxiliis gratiæ. 6. Ex illa præuisione quosdam efficaciter prædestinauit ad gloriam: alios ad mortem & damnationem: Iuxta nostram verò, & aliorum sententiam, manentibus quidem prioribus signis (licet & hic nonnulli varient) dicetur, 4. Deum quosdam, secundum beneplacitum suum certo numero elegisse ad gloriam, cæteris in massa damnationis relictis. 5. Non solũ præparasse omnibus sufficientia auxilia gratiæ, sed etiam prædestinatis ad gloriam efficacia, quibus infallibiliter gloriam consequerentur. 6. Ob præuisa peccata, eos qui damnantur reprobasse.

a *Ex thes. 24. 33. & 55.*

CAPVT

CAPVT V.

De infallibilitate prædeſtinationis, & concordia eius cum libero arbitrio.

52. De fide eſt, prædeſtinationem Dei (tam materialiter, quam formaliter) *a* certiſſimam eſſe, & vndequaque infallibilem; *Firmiſſimè tene,* inquit Fulgentius *b*, *& nullatenus dubites, omnes quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante conſtitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei, prædeſtinatos à Deo, neque perire poſſe aliquem eorũ, quos Deus prædeſtinauit ad regnum cœlorum, nec quenquam eorum quos non prædeſtinauit ad vitam, vlla poſſe ratione ſaluari.* Et in eundem ſenſum Auguſtinus *c* de prędeſtinatis; *Horum,* inquit, *ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Quocirca illi qui dixerunt, *d* non omnes qui ſaluantur eſſe prędeſtinatos (hoc nomine ſolum intelligentes eos, quibus ante præuiſionem meritorum gloria fuit decreta,) item numerum quidem prædeſtinatorum eſſe certum, (in ipſa ſcilicet diuina prædefinitione,) non autem ſaluandorum, ſaltem in modo loquendi *e* errarunt. Addimus nos ex dictis, *f* cum S. Thoma, numerum prædeſtinatorũ tam materialiter, quam formaliter eſſe certum, nõ ſolum ex diuina præſcientia, ſed etiam ex vi *principalis præfinitionis.* Neq; aliud eſt liber vitæ, in quo ſcripti ſunt prędeſtinati, quàm ipſa infallibilis notitia diuina fa-

ctæ g prędestinationis, seu specialis ordinationis ad vitam æternam; in quo proinde libro qui absolutè ac simpliciter (non secundum solam præsentem iustitiam) scripti sunt, ex eo nunquam delentur *h*.

a *S. Thom. q. 23. art. 8.* b *lib. de fide ad Petr. c. 35.* c *de corrept. & grat. c. 7.* d *Catharin. lib. 1. de prædest. cap. vlt. Sixtus Senens. olim lib. 6. Biblioth. annot. 248. Et ex parte Maßili in epist. Hilar. ad August.* e *Suar. lib. 1 c. 8. n. 31. Vasq. d. 101. c. 1.* f *thes. 37.* g h *S. Thom. q. 24. a 1. ad 4. & seqq.*

53. Etsi verò Deus absolutè potuit numerum saluandorum multò auctiorem statuere, eumq; etiam maioré, quàm reproborum, contrarium tamen non absq; ratione *a* decreuit, iuxta illud Matth. 7. *Pauci sunt qui inueniunt eam.* Et Matt. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* tum quia hoc postulabat conueniens proportio, (soli Deo nota) quam electi velut partes principales habere debent ad totum vniuersum: tum quia vniuersim bonum excedens communé naturæ statum reperitur in paucioribus, & deficit in pluribus: tum quia sic magis elucescit diuina bonitas erga prædestinatos. Adde si absolutè loquamur, numerum prædestinatorũ non esse paruum, sed quasi innumerum, iuxta Apocal. 7. Et tamen interim quocunque numero etiam centuplo maiori posito, dubium non est, quin Deus ad huc tanto altero maiorem facere potuerit, in infini-

tum

tum syncategorematicè, vt proinde nullius sit rationis, quęrere, cur Deus maiorem numerum prædestinatorum non designarit. *Quòd pauci,* inquit Augustinus *b, in cōparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et lib. 21. de ciuitat. cap. 12. *In seueritate vltionis,* inquit, *multò plures sunt, quam in gratia redimentis, vt sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet: Quia verò tam multi exinde liberantur, est, vnde agātur maximè gratiæ gratuito muneri liberantis.* Licet autem quidam dicant, tot ex hominibus saluatum iri, quot angeli ceciderunt: quidam verò, quot angeli remanserunt; alij quot angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt angeli creati; rectius tamen dicitur, *Soli Deo cognitum numerum electorum in superna felicitate locandum.* Plures Christianos saluatum iri, quam damnatum, non probatur *d.*

a c *S. Thom. q. 23. a. 7.* b *lib. de corrept. & grat. c. 10* . d *Carol. Reg. in Orat. Christ, lib. 9. cap. 15. ex SS. PP.*

54. Sed hinc oritur difficultas, quomodo cum prędestinatione consistat libertas arbitrij nostri, quam stare soli hæretici negāt *a.* Et illi quidem, qui prædestinationem ad gloriam postponunt præuisioni cooperationis & meritorum, videntur

tur sibi nullam hac in re habere difficultatem, quia infallibilitas & certitudo prædestinationis oritur, inquiunt, ex præscientia, quæ cum ratione sit posterior ipsa libera cooperatione hominis, nullum potest libertati creare præiudicium. Iidem verò tanto hinc magis (vtique veritatis eruendæ causa) vrgent absolutæ ac prædefinientis prædestinationis assertores, quasi hi vix ac ne vix quidem cum prædestinatione cōciliare possint libertatem arbitrij. Id enim, aiunt, quod necessariò fit necessitate antecedenti, liberum non est; omnis autem effectus prædestinationis, ac imprimis ipsa cooperatio (cum præsertim in indiuiduo præfinita dicitur,) iuxta eam sententiam, inquiunt, necessariò fit, ac impletur necessitate antecedente, ergo, &c. Minor probatur. Quia iuxta Anselmum *a* communiter receptū, necessitas antecedens est ea, qua aliquid necessariò fit ex hypothesi, re & ratione antecedente liberum vsum arbitrij, sed cooperatio prædestinati necessario sequitur ex ipsa hypothesi eiusmodi prædestinationis, quæ vt illa sententia supponit, re & ratione antecedit liberum vsum arbitrij: ergo, &c.

a *Opusc. de concord. prædest. & præscient. & lib. 2. cur Deus homo. cap. 18.*

55. Sed reuera hoc argumēto premuntur omnes illi, qui admittentes scientiam mediam, rectè asserunt, Deum ante præuisionem cooperationis nostrę, prędestinatis gratis decreuisse eam

gra-

gratiam, qua cum antea per ſcientiam mediam præuiderat eos cooperaturos, &c. Quo ſuppoſito, neceſſe eſt fateri, cooperationem prædeſtinati (vtiq; tantam, talem, & hanc numero) neceſſariò ſequi ex hypotheſi, re & ratione antecedente futurum liberum vſum arbitrij. Neceſſariò enim ſequitur ex illo ipſo decreto talis gratię ſupponente quidem ſcientiam mediam, ſed antecedente ipſam cooperationem futuram, velut effectum; adeoq; etiam præuiſionem abſolutam talis cooperationis; quia quod Deus ſcientia media præuidit infallibiliter futurum ex aliqua hypotheſi, id impleta hac hypotheſi eo ipſo neceſſariò ac infallibiliter futurum eſt, ne alioqui ſcientia Dei reddatur fallibilis; ſed iuxta hos autores, Deus ante præuiſionem abſolutam liberæ cooperationis, per ſcientiam mediam præuidit, hominem infallibiliter cooperaturum, ſi decerneret illi talem gratiam congruam, etiam ſecluſa interim præſcientia abſoluta eiuſdem cooperationis, quæ iuxta eoſdem etiam poſterior eſt hoc decreto: ergo poſito decreto gratiæ illius congruæ, quod, vt dictum, ratione antecedit præſcientiam abſolutam cooperationis, adeoq; etiam ipſam cooperationem futuram, neceſſariò ſequitur in prædeſtinatis cooperatio. Simile argumētum ſpeciatim fieri poteſt contra eos *a*, qui aſſerunt, ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum, quorum ſolutionem qui recipient, nullam hic amplius habebunt difficultatē.

a *Val. q. 14. p. 5. &c.*

56. Re-

56. Respondemus igitur, principium quod ad probandum primi argumenti minorem refertur ex Anselmo, sub illis terminis non probari, nec vel apud Anselmum reperiri; vel ita communiter receptum esse. Anselmus *a* ita loquitur: *Est necessitas praecedens, quae causa est, vt sit res,* (seu vt inferius ait) *quae facit rem esse,* quādo nimirum vt ipse loquitur alibi *b; ideò res erit, quia necesse est, vt sit) & est necessitas sequens, quam res facit* (quando scilicet res *ideò necessitate futura est, quia futura est) aut quae nihil efficit:* quocirca etiam infra *c illam necessitatem vocat efficientem, hanc nihil efficientem, & quae nihil esse cogit.* Sensum existimamus esse: necessitatem antecedentem respectu alicuius effectus producti à causa secunda esse, quae oritur ex causa physica ac ita efficaciter operante, vt ex sola vi & efficacitate ipsius physica, (ante omnem liberam determinationem causae secundae) necessario sequatur effectus. Necessitatem verò consequentem esse, quae vel consequitur ac supponit rem ipsam, vt visio suum obiectum, aut certè non oritur ex causa physica, eaq; ita efficaciter operante, vt ex sola vi physica ipsius (ante liberam determinationem causae secundae) necessario sequatur effectus. Qualis necessitas in proposito cernitur in actibus humanis diuina voluntate ac scientia, (seclusa interim semper interna praedeterminatione physica) praedefinitis, qui ex sola vi ac efficientia physica eiusmodi praefinitionis,

nis, seu vllius rei alterius, antecedentis liberam determinationem arbitrij humani necessariò non sequuntur. Quod tanto clarius est, si ex sententia probabiliori supponamus, scientiam ac voluntatem Dei per se ad extra physicè nihil operari, sed illam quidem solum vt dirigentem, hanc verò vt applicantem & impellentem, per potentiam executiuam ratione distinctam, effectus creatos producere, alios quidē necessarios, alios verò liberos, pro diuersitate mediorū, quorum in executione vsus est; supposita tamen interim etiam scientia media, sine qua prædefinitis effectibus nulla *e* competere posset libertas.

a c *Lib.2.cur Deus homo.c.18.* b d *opusc.de concord.præscient.& prædest.* e *Suar.opusc.1.de auxil. l.1.c.16. Mascaren.disp.2.part.4.& c. contr.Thomist.recent.*

57. Esse verò hanc doctrinam & autoris menti, & rationi consonam præter ea quæ diximus, probatur tum ex eo, quod nec intelligi quidem posse videtur, vt causa alioquin sua natura respectu alicuius obiecti, & secundum certas circumstantias in agendo libera, necessariò agat, nisi modus ipsius connaturalis in agendo, (quod absq; physico quodam præuio influxu fieri non potest) physicè immutetur; quod tamen ex vi solius præfinitionis extrinsecæ non fit: tum quia idē Anselmus *a* ita expressè videtur seipsum declarare: *Quamuis*, inquit, *necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur, quædam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ea necessitate,*

te, quæ præcedit rem, & facit, sed ea quæ rem sequitur; non enim ea Deus, quamuis prædestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua eam potestate dimittendo. Quocirca etiam libertatem operationum humanarum cum diuina voluntate & scientia concilians, eo minimè confugit, vt asserat, decretum diuinæ voluntatis & scientiæ esse posterius libera determinatione humanæ voluntatis, eiusq; præuisione; sed id potius, velut aliquo modo causam eius prius esse supponens, ex efficacitate ipsius, cum respectu ad liberum arbitrium, velut causam secundam, nulla physica vi necessitatam, concordiam extruit. Verba ipsius sunt *b*; *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem* (nulla scilicet interim interna vi seu actione physica physicè necessitatam:) *tum necesse est voluntatem esse liberam.* Eodem modo loquitur idem Anselmus *c* de diuina scientia (visionis vt apparet, quam etiam causam rerum, adeoque his priorem esse indicat:) *Non debes*, inquit, *dicere, præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum, vel peccaturum sine necessitate. Et ita sequitur, quia siue peccaueris, siue non peccaueris, vtrumque sine necessitate erit, quia præscit Deus futurum esse sine necessitate hoc quod erit.* Ad eundē modum philosophatur Augustinus *d* item S. Thomas *e*, & tota

tota ferè Theologorum *f*, præcipuè antiquiorum, Schola. Quod si principio illi insisteremus, vix video, quomodo aut Christus non necessario pro nobis mortuus, aut mater Dei, sanctiq; Apostoli suas illas dignitates liberè cõsecuti sint, aut quomodo verum sit, quod iuxta scripturam asserit Augustinus *g*: *Deus sine dubio habet humanorum cordium, quo placet* (etiam salua libertate) *inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

a b c *Opuscul. de concord. præscient. & prædest.* d *lib. 5. ciuit. c. 9. & l. 3. de lib. arb. c. 4.* e *q. 22. art. 4. & q. 23 a 6 & 7.* f *Capreol. Ferrar. & Thomist. omnes. Suar. lib. 1. c. 8. & opusc. 1. de auxil. lib. 1 cap. 16. Mascaren. d 2 part. 4. nu. 29. & apud eosdem Dur. Carth. Dried. &c.* g *de corrept. & grat. cap. 14.*

58. Communis illa causæ liberæ definitio, quæ videlicet omnibus prærequisitis ad agendum positis, potest agere & non agere, etiam iuxta nostram sententiam, libero arbitrio quantumuis diuinitus ad certas operationes prædestinato, planissimè conuenit. Tum quia prædefinitio illa prædestinationis nostræ, ad agendum prærequisita non est; tùm etiam quia illâ supposita, intrinsecè ac in sensu diuiso nihilominus arbitrium nostrum æquè potest non agere, ac agere ex dictis *a*. Quò fit, vt omnis, quæ ex prædestinatione oritur necessitas, solum sit consequens, non antecedens; consequentię, non consequentis; hypothetica, non absoluta; in sensu composito,

sito, non diuiso; infallibilitatis, non physica, seu coactionis, seu naturæ. Vulgaris autem illa ratiocinatio; si sum, aut non sum prædestinatus, quicquid agam, &c. apertissimè in omni sententia falsa & impia est.

a *Thes. præcedenti. vide etiam thes. seq.*

59. Vtraque hæc propositio *a* prædestinatum damnari, vel reprobum saluari, est impossibile; item prædestinatus potest dãnari, in rigore dialectico est vera: procedit enim illa in sensu composito, hæc in sensu diuiso. Quod sic intelligendum *b*, non solũ quia is, qui prædestinatus est, si à prædestinatione abstrahamus, potest damnari; sed etiam quia prædestinatus, dum reipsa supponitur prædestinatus, damnari potest, quãdiu illa suppositio in vim prædicati non transit. Hoc autem si fiat, reddetur sensus compositus & falsus; qualis cernitur in his propositionibus: fieri potest, vt aliquis sit simul prædestinatus & damnandus; seu vt simul iungatur prædestinatio cum damnatione, seu quod idem est, hæc propositio, prædestinatus damnabitur, est possibilis.

a *Eck. cent. 4. n. 34.* b *Suar. l. 3. c. 9 n. 10.*

60. Quæstio illa, vtrum prædestinatio sit in nostra potestate, in re non habet difficultatem; constat enim ex dictis, non esse quidem in nostra potestate omnes prædestinationis effectus, cum in ea non sit prima vocatio congrua; attamen esse in nostra potestate (cum diuina gratia) aliquid,

aliquid, videlicet iustificationem & perseuerantiam; quod si reipsa in opus conferamus, certò sumus prædestinati. Quæstio de nomine est, an rectè absolutè dici possit, in nostra potestate esse prædestinationem, seu prædestinari, aut esse prędestinatos. Affirmant absolutè nonnulli *a*; quidam dicunt *b*, prædestinationem in nostra potestate esse à posteriori, non autem priori. Sed absolutè rectius loquuntur *c*, qui secuti Augustinum *d* negant. Tum ob dictam antea caussam, tum quia ad præteritum non datur potentia. Non ergo rectè dicitur, si non es prędestinatus, fac vt prædestineris: sed dicendum; si non ita vixisti, vt prædestinato conuenit, viue sic imposterum, & certò nôris, te prædestinatum, &c.

a *Vega l.12. in Trid. c.22. fauet Aug. c.22. de bon. perseuer.* b *Val. q.23. p.4. §.8.* c *S. Thom. q.23. a.6. ad 3. Vasq. d.92. c.2. Suar. l.5. c.8. n.6. Mol. q.14. art.13. d.16. & q.23. a.4. d.1. m.11.* d *lib. de spir. & lit. c.34. & l.1. ad Simpl. q.2.*

CAPVT VI.

De Reprobatione.

61. Reprobi quasi reprobati, seu reiecti, dicuntur omnes homines, vel angeli, qui beatitudinē non consequuntur. Vocantur iidem etiam *vasa iræ.* Rom.9. seu *vasa in contumeliam* 2. ad Tim.2. item à Theologis *a præsciti.* Reprobatio alia est actiua (propriè in Deo *b*, & huius loci

propria) alia passiua. Illa est actus quidam liber mentis diuinę; intellectusne pręcipuè an voluntatis, non secus controuertitur, quam de prædestinatione *c* cumqua illius parem censemus esse rationem *d*. Est pars diuinæ prouidentiæ, non quidem subiectiua, sed quasi integrans *e*. Est & reprobratio alia *f*, positiua (quæ simpliciter talis est) consistens in actu positiuo, quo aliqui velut indigni reiiciuntur siue à gloria, siue etiam à gratia *g*. Alia negatiua, in sola electionis, seu prædestinationis diuinæ omissione consistens, aut certè alium actum non continens, quam ipsam voluntatem non eligendi ad gloriam & gratiam electorum propriam.

a *Thes.6.* b *contra Aureol.1.d.41.a.3.* c *thes.7.* d *S.Thom. q.23. a.3.* ę *Suar.l.5.c.2. num.5.* f *Scot.1.d.41.sig.S.Thom.cit.q.23.a.3.* g *communis. licet aliter loquatur Molin.q.23. a.5. d.5. Suar.l.5.c.7.n.7.& 8.*

62. Reprobationis effectus (de quibus nefariè Caluinus *a*) sunt tantum duo, peccati scilicet permissio *b*, & damnatio æterna *c*. An omnis permissio, dubitatur. Ea duplex est *d*: vna, quæ præcedit quoduis peccatum reprobi, & nihil est aliud, quam nuda negatio gratiæ efficaciter præseruantis à peccato, & actualis concursus positiuus ad materiale peccati, quorum hic est effectus solius generalis prouidentiæ; illa verò propriè nullius omninò, nec adeo reprobationis, nisi negatiuæ *e*; & quidem respectu eorum

rum tantum peccatorum reprobi, quæ ipsi efficaciter sunt causa damnationis (siue sint propria ipsius & personalia, siue originale latè sumptum *f*,) qualia quidem propriè non sunt peccata remissa, nisi in quantum ea in effectu quodam suo (ingratitudinis) per peccatum subsequens redire dicuntur. Alia permissio peccati subsequitur peccatum, qua nempe Deus aliquem in pœnam peccati præcedentis deserit, & velut indignum reiicit à gratia congrua, delente peccatum præteritum, vel præseruante à futuro, in quo homo finaliter sit perseueraturus, quæ etiam sæpe dicitur *Induratio*, vel *excæcatio*. Sanctus Thomas *g* vocat etiam *derelictionem à Deo* iuxta illud Eccles.7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*. Et hanc etiam rectè dici censemus effectum reprobationis positiuæ *h*, iuxta illud Exod.7. *Indurabo cor Pharaonis, &c.* Rom. 2. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum;* & Rom.9. *Sustinuit in multa patientia* (permittendo ipsorum peccata) *vasa iræ, &c.*

a *Lib.3.Inst.cap.24.* b c *Com.S.Thom.q.23 a.3.* d *Val.p.3.* e *Suar.l.5.c.7.n.7.& 8.* f *S.Thom. l.c.contr.Suar.l.c.* g *l.c.* h *S.Thom. l.c.com. contr.Suar.l.c.*

63. De causa reprobationis ex parte reprobi (omisso impio Caluini *a* errore) Catholici in tribus conueniunt. Primò nullam dari causam, ex parte reprobi, primæ permissionis peccati.

Secundò, dari causam ipsius reprobationis quoad æternam damnationem & pœnam. Tertiò ipsum quoque peccatum primi parentis esse aliquo modo causam reprobationis cæterorum omnium, quoad vtrumque effectum. An verò simpliciter detur causa ex parte reprobi totius reprobationis, quoad vtrumque effectum, controuersia est de nomine potius *b*, quàm de reipsa.

a *l.3.instit.c.22.& 23. Bez.respon.ad acta colloq. Mompelg.p.2.* b *Vas.d 91.n.7.*

64. Nobis hæc probabiliora 1. reprobationis negatiuæ, seu omissę prædestinationis & præelectionis illius ad gratiam vel gloriam, nullam dari causam ex parte reprobi *a*, iuxta Apostolum. Roman.9. *Antequam quicquam boni agerent, vel mali, &c. Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, videlicet secundum quasi effectum, seu interpretatiuè non ita diligendo *b*. Et ibidem: *Cuius vult miseretur* (Deus) *& quem vult indurat, etc.* Idem significat passim Augustinus *c*. Ratio est, quia permissio prima peccati, & negatio primæ gratiæ congruæ præcedit omne peccatum reprobi; & in quo instanti (ante omne præuisum meritum *d*) quidam sunt electi ad gloriam, alij non sunt electi, vt infra dicetur *e*.

a S.Thom.q.23.a.5. Caiet. Ban. Zum.ibid. Suar. l.5.c.5 post Scot. Bassol. Cord. & alios recent. & quoad grat. Vasquez. l.c. & d.95.num.53. b *S.Thom. artic.3. ad 1.* c *lib. 1. ad Simplic. quæst.*

quæst. 2. & de bon. perseu. vide thes. 24. d *th. 31.* e *thes. 66.*

65. Dicimus secundo, idem probabilius videri de actu diuinæ voluntatis non præeligendi reprobos ad gratiam vel gloriam *a*; tum quia hæc voluntas in Deo moraliter eadem est cum ipsa non electione; tum quia diuina voluntas non potest se habere negatiuè ad ea, quæ in tempore non sunt futura *b*. Tertio asserimus, nõ solum reprobationis positiuæ, sed absolutè quoque & simpliciter loquendo reprobationis *c*, adeoq; & reiectionis, ac exclusionis, tam à gratia, quàm à gloria, dari causam ex parte reprobi: aliter tamen in paruulis, quam in angelis & hominibus adultis qui ob peccata personalia damnãtur. Etenim omnes quidem reprobantur & excluduntur à vita æterna ob peccatum, quo cum ab æterno præuidentur statum viæ conclusuri; attamen *a* gratia velut indigni non ob aliam causam reiiciuntur paruuli, quam quia peccauerunt in primo parẽte. Cæteri verò à gloria, & partim etiam à gratia reiiciuntur ob peccata sua propria, in quibus ad finem vitę seu vię perseuerant. Quartò denique idem iudicamus de voluntate absoluta non conferendi gloriam *d*, quę à voluntate illa non prędestinandi seu pręeligendi ad eam diuersa est; & vt sine præuisis meritis facta non sit, diuinam bonitatem admodum decet.

a *Suar. & quoad gratiam Vasq. l. c. aliiq; citati.* b *Vasq. l. c.* c d *Aug epist. 105. & 106. cc. lib. 3.*

contra Iulian. c. 8. & de bon.perseu.c.8. & 14. Prosp. respon. 3. & 7. ad Gall. & respon. 11. ad Vincent. Val.p.3.Suar.lib.5.cap.3.n.2. Vasq. disp 91.c.5. & 6. Molin.&c.com. contr. Alliacum 1.d.41.a.2. Sotum in fin.4. & ferè Cordub. l.1 .q.56. not.4. opin.5. &c. qui etiam opin. 4. citat Magist. & S. Thom.1. d.41. &c. Sed quos ipsemet postea de reprobat.negatiua explicat.

66. Vnde colligitur primò, voluntatem reiiciendi, excludendi, reprobandi à gloria, imò & voluntatem absolutam non conferendi gloriam supponere præscientiam peccatorum ad finem vsque vitę permansurorum *a*. Secundò voluntatem quoque obdurandi in peccato perpetrato, supponere præscientiam aliquam peccati ipsius reprobi, non quidem ad finem vsque permansuri (hæc enim permansio velut conditionem sine qua non supponit indurationem) sed vt simpliciter futuri *b*. Tertio, voluntatem permittendi primum peccatum non supponere scientiam absolutam vllius peccati futuri, sed solum conditionatam, secus est, si loquamur de voluntate permittendi consequentia peccata, quæ in pœnam nonnunquam peccati præteriti permittuntur *c*. Quartò, si de nuda omissione electionis ad gloriam, vel etiam voluntate non eligendi ad gloriam, aut non conferēdi primam gratiam congruam loquamur, factam esse ante pręscientiam absolutam peccati ipsius reprobi.

Eius

Eius enim nulla ex parte reprobi datur causa *d*.

a *Molin. Vasq. Valent. Suar. &c. Comm. contra Alliacum 1. d. 41. a. 2. & ferè Cordu. l. 1. q. 56. notab. 4.* b c *thes. 64. & 65. Molin. a. 5. disp. 3. &c.* d *thes. 64.*

67. Ex quibus totum negotium in prædestinandis & reprobandis hominibus sic ordinari debet. In primo instanti Deus omnibus tam reprobis, quam saluãdis, voluntate simplicis complacẽtiæ, his vero actu etiam efficaci, voluit gloriam. Circa reprobos autem quoad eiusmodi actum negatiuè se habuit *a*; licet simul eam ipsam negationem volendo *b*, voluerit eos non eligere ad gloriam. Secundo efficaciter voluit electis gratiam congruam, & media salutis æternæ reipsa profutura. Circa reprobos vero eiusmodi actum nõ habuit, volens potius ipsis non conferre gratiam congruam, sed aliam sufficientem; qua ratione simul etiam voluit permittere peccata reproborum. Tertio vidit scientia visionis malos sua culpa non cooperaturos gratię destinatæ, sed quouis modo peccatum contracturos, cumque eo finaliter decessuros; contrarium præuidit de electis. Quarto voluit Deus reprobos punire ob eiusmodi peccata præuisa in hac quidem vita, si peccator adultus esset, derelictione, & quandoque aliorum peccatorum permissione, qua in reprobum sensum dati, à suo fine magis alieni futuri essent; post hanc autem vi-

tam, æterna pœna ſeu damni & ſenſus ſimul, ſi peccata eſſent perſonalia, ſeu damni ſolius, ſi originale tantum: quoad electos autem locum hic habet voluntas executiua prædeſtinationis de qua ſupra *d*. Qui ordo nec angelos quidem excludet, ſi in quarto inſtanti pœnæ huius vitæ ſecludãtur; cum angeli ſtatim poſt primum peccatum fuerint in termino, & pœnæ æternæ addicti: Vnde tandem etiam colligitur in diuina mente prædeſtinationem priorem fuiſſe *e* reprobatione.

a *Scot.1.d.41.q.1.&c.vide theſ.64.* b c *Suar.l.2. c.4.n.5.& theſ.65.* d *theſ.42.* e *Eck.cent.4. num.87.poſt Vorrilon.1.d.41.a.2.& conſeq. Scot.&c.*

68. Reprobationem concordare cum libero arbitrio, patet ex dictis *a*; an in poteſtate hominis ſit reprobari, vel non reprobari, ſiue etiam non prædeſtinari, vel non carere prædeſtinatione, controuertitur. Affirmant ſimpliciter aliqui, nonnulli ſaltem de reprobatione poſitiua à gloria aſſerunt, de reprobatione verò negatiua, ac excluſione à gratia congrua negant. Et hoc rectè. De reprobatione poſitiua diſtinguendum cenſemus: vel enim loquimur de reprobatione actiua, aut ſecundum ſe, aut ſecundum ſuos effectus. Priori modo non eſt in noſtra poteſtate, quia ad præteritum non eſt potentia; poſteriori modo quoad quoſdam effectus eſt in hominis poteſtate; quoad alios non item, ex dictis. *c* Aut

loqui-

loquimur de reprobatione passiua, seu quod idem est, de executione actiuæ reprobationis, & hæc itidem partim est in nostra potestate, videlicet quoad exclusionem à gloria; partim non est, quoad carẽtiam primæ gratiæ congruæ *a*. Concludimus cum Concil. Valentino *e*: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere bonum meritum; in damnatione verò periturorum meritum malum præcedere iustum iudicium Dei, &c. Prædestinatio verò prædicanda est,* inquit Augustinus f, *vt non in homine ac nobismetipsis, sed in Domino gloriemur.*

a *thes.62.* b *Suar.l.5.c.8.n.4. Vasq.d.95.num.55.* c d *thes.64 & 65.* e *sub Lothario.c.3.* f *lib.de bon perseu.c.24.*

F I N I S.

In I. partem S. Thomæ.

Disputatio Theologica III.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

Proposita Ingolstadij anno M. DC. XIII.

Commodioris methodi causa diuidemus hanc disputationem in quatuor capita. Primum aget de personis diuinis, earumq́ numero, & perfectione secundum se, & in genere. Secundum de processione, ac ordine diuinarum personarum. Tertium de relationibus, notionibus, proprietatibus, originibus personarum, & constitutione earundem. Quartum de personis singulis in specie.

CAPVT I.

De personis diuinis, earumq́ numero & perfectione secundum se, & in genere.

THESIS PRIMA.

TRinitas latinè, græcè τριὰς, licet ex vi ac prima impositione nominis, quarumlibet rerum

rerum ternarium numerum significet, Ecclesiastico tamen loquendi vsu, cum absolutè ponitur, singularem illum ac incomprehensibilem personarum diuinarum ternarium *a*, adeoque ineffabile Trinitatis mysterium designat, quo tres sunt in Deo personæ, & vna numero simplicissima essentia seu natura, ab ipsis personis inter se realiter distinctis, non nisi ratione distincta *b*.

a *S. Thom. q. 31. a. 1.* b *vide thes. 34. & 35.*

2. Hoc mysterium gentiles ignorant, Iudæi negant, hæretici complures impugnant. In quibus olim præcipui Sabelliani ac Samosateniani, directè pluralitatem personarum diuinarũ; Arriani ac Macedoniani, earundem consubstantialitatem propriè impugnantes. His nostro seculo accedunt, quos ab erroris argumento vocamus Trinitarios, passim per Poloniam, Hungariam, Transyluaniam sparsos; quorum alij, duce Michaële Serueto Geneuæ combusto, Sabellium; alij, duce Valentino Gentile Bernæ capite plexo, Arrium sequuntur; quos ex instituto refellere non est huius loci. Etiam Lutherus his aduersus vult videri. Mirum si seriò, qui & ipsam Trinitatis vocem à tota vbique Ecclesia vsurpatam exosus, ex Litaniis Germanicis submouit, expuncta illa precandi formula, *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*: tam parum vtiq; propitiam habiturus S. Trinitatem, quam parum illi se supplicem præstitit.

3. Hanc

3. Hanc personarum Trinitatem in Deo obscurius quidem exposuit, non tamen omninò tacuit scriptura veteris Testamenti. Primò enim S. Augustinus *a*, aliique viri doctissimi *b*, prima statim verba Geneseos, *In principio*, cum illis, quę paulo post sequuntur: *spiritus autem Domini, etc.* ad S. Trinitatis mysterium referunt: quasi idem sit, *in principio*, quod in filio. Non malè, nec improbabiliter. Licet enim apud Hebræos nomen *Bereschit* ex vi vocis generatim principium, seu in principio significet, in hoc verò loco determinatè etiam principium temporis, iuxta cap. firmiter de summa Trinitate, &c. vel simpliciter exordium rerum conditarum; nil obstat tamen, hoc ipso nomine velut per excellentiam, etiam primam ex Deo procedentem substantiam, adeoque Verbum ac Vnigenitum Dei filium, *per quem fecit & secula* Hebr. 1. intelligere; ad eum modum, quo primogenitus in scriptura *principium liberorum* Deuter. 21. vel *principium dolorum* Genes. 49. dicitur. Quali etiam phrasi, in diuerso tamen rerum genere, vtitur scriptura, cum Behemoth *principium viarum Dei* appellat Iob 40. Fauet huic sensui, quod scriptura nō semel principij nomen Filio tribuit Colos. 1. *qui est principium.* Et: *Primogenitus omnis creaturæ* Apocal. 3. *Principium creaturæ Dei.* Apocal. 1. & 22. *principium & finis.* Probabiliter etiam Ioan. 8. *Principium, qui & loquor vobis.* Nec repugnat, eiusdem scripturæ loci plures esse sensus litterales,

les, vti in eum ipsum scripturæ locum sapienter scripsit Augustinus *c*.

a *lib. de Genes. ad lit. imperfect. c. 1.* b *Origen. & Rupertus in eundem locum, & c. contra Vasq. 1. p. d. 108. c. 2.* c *l. 12. confess. c. 30. & 31.*

4. Multi etiam *a* egregiè docti ac pij ad Trinitatis mysterium referunt illa, quæ in eodem capite Genesis paulò post subsequuntur verba. Vbi enim nos legimus *creauit Deus*, textus Hebraicus habet: *Bara Elohim*; quod si verbum verbo reddas, idem est, quod *creauit Dij*: quasi hac voce Moyses pluralitatem seu Trinitatem personarum diuinarum; illâ verò vnitatem Essentiæ voluerit significare, alij verò *b* hanc phrasin omni Mysterio vacare rati, eam ad solum Hebraicæ linguæ idiotismum referunt. Nos idiotismum agnoscimus in eo, quod Deus communiter apud Hebræos non singulariter Eloah, sed pluraliter Elohim, sicut etiam non Adon, sed Adonai dicitur; hoc verò ipso idiotismo ex Dei eius linguæ auctoris mente pluralitatem diuinarum personarũ licet obscurè significari, probabiliter existimamus. Jncredibile enim videtur, linguam omnium simplicissimam ac maximè propriam plurali numero plerumque Deum fuisse expressuram, nisi quædam in Deo personarum pluralitas esset. Minus credibile, Moysen contra consuetam alioqui etiam Hebræorum syntaxin, statim secundo sui operis verbo, ac in re tanta, vbi pluralitas numeri maiestati seruire

poterat,

poterat, singularem verbi cum plurali nominis, fuisse iuncturum, si etiam naturæ in Deo pluralitas esset. Eadem probabilitate illud eiusdem 1. Genes. *Faciamus hominem, &c.* ad Trinitatis mysterium significandum refertur *c.*

a *Magister aliiq; scholastici 2. sentent. d. 1. item. Burg. Lyra. Galat. Eugub. Cathar. Suarez l. 1. Trinit. c. 2. Salm. tom. 1. proleg 10. quinqu. 2. can. 8.* b *Abul. Caiet. Delrius, Pererius, Bell. l. 2. de Christo cap. 6. Vasq. 1. p. d. 108. c. 2.* c *Basil. Ambros. Salm. Delrius, &c.*

5. Sed & Genes. cap. 18. tres viri Abrahæ apparentes, & ab eodem singulari numero reuerenter consalutati verbis illis: *Domine, si inueni gratiā in oculis tuis,* SS. Patribus *a* SS. Trinitatis mysterium rectè adumbrasse videntur. A quibus etiam originem sumpsit celebre illud & peruulgatum dictum: *Tres vidit & vnum adorauit.* Præclarè Augustinus b: *Cum tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel ætate, vel potestate maior cæteris dictus est, cur non hîc accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis vnam eandemq; substantiam.* Et infra *c* etiam similem Lothi ad duos Angelos sermonem Genes. 19. ad duas personas vnius essentiæ, Filium & Spiritum sanctum refert.

a *comm. omnium SS. Patrum expositio apud Perer. ibidem. Rupert. &c.* b *l. 2. de Trinit. c. 11.* c *c. 12.*

6. Huc

6. Huc etiam spectat Trisagios hymnus, quem primo SS. Trinitati cecinerunt Seraphim Isai. 6. in hanc formam: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius.* Iterarunt deinde quatuor animalia, quæ requiem non habebant die ac nocte dicentia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Apocal. 4. Communi denique vsu, miraculo cælitus confirmata *a*, recepit vniuersa tam Latina, quàm Græca Ecclesia, cum in hunc modum personat: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus Immortalis miserere nobis.* De qua re cum Epiphanio *b* Damascenus c: *Quid causæ est quamobrem Seraphini nec bis, nec quater, Sanctus dicant? An non, vt trium personarum numerum significent, in vnam diuinitatē & dominationem coëuntium. Ternarius quippe numerus*, vt idem inferius ait, *tria significat, vnitas autem vnū. Quapropter Sanctus, Sanctus, Sanctus, & ter Sanctus, quia tres personæ; Dominus autem, quia tres personæ vnus Deus sunt.*

a *Damasc. lib. 3. orthod fid. c. 10. & epist. de Tris.* b *in ancor.* c *epist. de Tris.*

7. *Nam quod non de filio dumtaxat*, inquit idem alibi *a*, *sed de sancta Trinitate dictus sit ille ter sanctus hymnus, testantur diuus & sacer Athanasius, Basilius & Gregorius, ac totus diuino Numine afflatorum Patrum chorus: nempe quod sancta illa Seraphim per triplicem Sanctitatem tres superessentialis diuinitatis personas nobis subindicent; per*

vnam

vnam autem dominationem, vnam diuinæ Trinitatis substantiam imperiumq́; declarent. Atq; ob hanc ipsam etiam causam tantoperè sibi inuigilandum censuerunt SS. PP. *b* ne tantum mysterium adulterina quadam additione ab hæreticis deprauaretur; reiecta speciatim illa Petri Cnaphei appendice, quam ad Trisagion Ecclesiæ assuerat, dicendo, *qui crucifixus es pro nobis, &c.*

a *l.3.orthod.fid.c.10.vbi de Petri Cnaphei appendice plura.* b *Damasc.l.c. & 5.Synodus Constantinop.act.1.Nicephorus l.4.c.46.*

8. Omissis cæteris Prophetarũ vaticiniis, quæ præter personam Patris, passim etiam Filij personę meminerunt, in scriptura noui Testamenti hæc multò luculentiora SS. Trinitatis testimonia extant: Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Io. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, &c.* Et infrà: *Paraclitus autẽ Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Ioan. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, etc. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia* (enim) *quæcunq́; habet Pater, mea sunt, &c.* Gal. 4. *quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritũ filij sui in corda vestra, clamantẽ Abba Pater.* 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dãt in cœlo, Pater, Verbũ, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Quod tam luculentũ Trinitatis testimoniũ maluit Luthe- (rus Erasmi *a* fortè vestigia secutus) quorũdam scripto-

ſcriptorum & exemplarium vacillante indicio, in ſuis bibliis prætermittere, quàm certiorem aliorum Codicum ac SS. PP. fidem, & communem prioris Eccleſiæ traditionem, atque vſum, iam nunc etiam Concilij Tridentini, ac Romani Pontificis auctoritate comprobatum conſectando, adeò manifeſtus SS. Trinitatis aſſertor fieri.

a *Annot. in eundem locum.*

9. Sola autem vi naturali intellectus, & ſecluſa reuelatione, demonſtrari hoc myſterium non poteſt *a*; nec vllo etiam ſupernaturalis fidei exercitio, iuxta legem Dei ordinariam ipſius euidentia acquiri *b*. Etenim vniuerſa quæ in rebus creatis (procedentibus à Deo vt vnus eſt) extant tenuia quidem SS. Trinitatis veſtigia, ſecluſa reuelatione, nec ſuſpicionem quidem eius myſterij ingenerare nobis potuiſſent. Sic atteſtante ſcriptura, Matth. 11. *Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare.* Matth. 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi, &c.* Nulla etiam cognitio eiuſdem quidditatiua extra viſionem beatificam *c*, multò minus per ſpeciem propriam naturalis ordinis *d*, poſſibilis eſt; etſi cognitionem eius euidentem abſtractiuam quoad quæſtionē an eſt, per alienas ſpecies, & medium ſaltem extrinſecum, puta reuelationis diuinæ, dari poſſe, nil dubitemus *e*.

a b *S. Thom. q. 32. a. 1. contra Raymundum Lullum, cui nonnihil fauet Gerſon alphab. 13. lit.*

H. & Henric. quodl 8. q. 14. item Richard. Victorin. l. 1. de Trin. c. 4. c *S. Thom. q. 12. art. 2. Dur. Capr. & Vasq. d. 134. contra Scot. Maio. Bassol. Aliac. Occam.* d *com. contra Scotum. 4. d. 49. quæst. 11.* e *Suar. l. 1. cap. 12. com. cont. mod. loq. Vasq. d. 135. & contra Bann. 1. 2 q. 5. art. 1.*

10. Jn Ecclesia mysterium hoc semper quidem creditum, & firmissimè propugnatum fuit, vt ex omnibus symbolis liquet, attamen de vocibus nonnullis quandoque dubitatum. Tales sunt, Persona, Hypostasis, subsistentia, οὐσία, substantia, Homousios. Nunc re liquidiùs explicata, de fide certum est, nomen personæ (τοῦ προσώπου græcè) in diuinis propriè locum habere f, iuxta receptam g Boëthij h definitionem: *Est rationalis* (intelligentis) *naturæ indiuidua* (incommunicabilis) *substantia*; quicquid eam definitionem olim nonnulli i improbarint. Et verius est, personam vniuoce de omnibus personis, prædicari k, non tamen velut vniuersale l, nec quidditatiuè propriè, nec simpliciter etiam denominatiuè m, quia substantialiter.

f g *S. Thom. q. 29. art. 1. & 3. com. ex Symbolo Athan. Concil. Lateran. sub Innocent. III.* h *l. 2. de duabus natur.* i *Rich. Victor. Scot. 1. d. 23. Valla. l. 6. eleg. c. 34.* k *S. Thom. q. 30. a. 4. Vasq. d. 130. Suar. l. 1. c. 3. nu. 8. com.* l *S. Thom. q. 30. a. 4. com.* m *Suar. l. 1. c. 3. n. 19. contra Scot. 1. d. 28.*

11. Vo-

11. Vocabulum *personæ* directè quidem & formaliter non significat *n* solam negationem, nec intentionem secundam, sed substantiam, vel hypostasin; directè verò & materialiter in diuinis relationem in concreto, (v.g. Patrem.) Hæc enim est, cui in diuinis conuenit esse hypostasin, & incommunicabiliter subsistentem; quamuis formaliter & expressè nomine Personæ Relatio, quà talis, non significetur *o*. Essentiam autem significat & connotat consequenter, & in obliquo; quorum hoc ex definitione patet; primum ex identitate personę cum essentia. Et hæc planè est sententia S. Thomæ *p*, cum ait: *Significare relationem vt subsistentem, seu per modum hypostasis.* Item: *Significare relationem in recto, & essentiam in obliquo, non tamē relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.*

n *S.Thom.q.30.a.4.cont.Scot.Dur.&c.* o *Vasq. d.127.com.contra Gaiet.* p *q.29.a 4.*

12. Sub voce *Hypostasis* S. Hieronymus *r* olim velut sub melle venenum latere suspicatus (quandoquidem, vt ipse aiebat, *tota secularium litterarum schola nihil aliud hypostasin, nisi οὐσίαν nouit;* quo sensu etiam quidam SS. PP. non tres, sed *vnam in Deo hypostasin* esse dixerunt) nil dubitauit, super hac re sententiam ac iudicium S. Damasi Romani Pontificis supplex exposcere: *Obtestor*, inquit, *beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, vt mihi*

epistolis tuis sine tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas. Jam res extra controuersiam posita est, & certum, ea voce nihil aliud significari, quàm suppositum, seu in natura quidem intelligente, personam, ita vt quod prima substantia, res naturæ, suppositum, & hypostasis in qualibet natura substantiali, nomen personæ in natura rationali seu intelligente significet *s*. Sicut ergo tres in Deo personæ, ita tres hypostases, seu, vt loquitur S.Hieronymus *t*, tria Enypostata, sine vlla prorsus dubitatione confitenda sunt. Eadem *subsistentiæ* ratio est; quanquam & hæc vocula nonnunquam pro natura legatur accepta *u*.

r Epist.57. s *com.S.Thom.q.29. a.2.post Conc. Ephesin.Chalc. &c.* u *Rusticus Diacon.contra Aceph.apud Vasq.d.124.n.10. Sed hoc interpretis est, qui ita vocabulum hypostasis vertit.*

13. Græcum nomen οὐσία, sicut & φύσις, sine vlla controuersia essentiam siue naturam significat *x*, quicquid olim nonnulli Arriani *y* eâ non minus, quàm hypostasis voce abstinendum callidè censuerint. *Substantiæ* vocula licet non olim tantum, sed & nunc quoque subinde bifariam accipiatur *z*, videlicet pro quidditate seu natura cuiusque rei, & pro hypostasi seu Ente subsistente, adeoque supposito; quo sensu S. Hilarius *a* asserit: in Deo non malè dici *tres substantias*, tamen in hac materia vsu loquendi iam factum

factum est, vt ferè priori tantùm significatu accipiatur, & sic absolutè in diuinis vna substantia seu tres personæ vnius substantiæ, non autem tres substantiæ dicantur *b*. Vnde etiam Augustinus *c*: *Quia nostra*, inquit, *loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere vnam essentiam, tres substantias.*

x *Damasc. l. 1. Instit. c. 1. com.* y *in Concil. Sirm. & Arrimin.* z *S. Thom. q. 29. a. 2. Concil. Florent. sess. 19.* a *de Synod.* b *S. Thom. q. 30. art. 1. com. post Concil. Tolet. 11.* c *l. 5. de Trin. c. 19.*

14. *Homousion*, hoc est, consubstantialem Trinitatem paulò ante sine controuersia à S. Hieronymo vocatam vidimus. Idem post exortam Arrij hæresin fuit omnium Catholicorum stylus; qui etiam hac quasi tessera ab Arrianis discernebantur *a*, proque ea velut pro aris & foris acerrimè dimicabant, reiectis illis, quas eius loco obtrudere hæretici conabantur, vocibus, *Heterusios*, *Omœusios*. Et tamen infelix Lutherus *b*, pro suo eximio scilicet in SS. Trinitatem affectu ait: *Anima mea odit hoc verbum Homousios*: quin etiam seu malitia excæcatus, seu inscitia deceptus, non est veritus addere *c*, *S. Hieronymo quoque d eam vocem displicuisse, quòd nescio quid veneni latere in syllabis arbitraretur.* Apertè falsum. Circa vocem enim *hypostasis*, vt vidimus, non *homousios*, hesitauit S. Hieronymus *e*. *Rectè*

autem homousion patri filium dicimus, inquit Ambrosius *f*, *quia verbo eo & personarum distinctio, & naturæ vnitas significatur.*

a *Conc. & Symb.* Nicæn. b *contra Latom.* c *l. 2. & l. de cõcil.* d e *Epist. 57. ad Damasum.* f *l. 3. de fide c. 7.*

15. Non pauci Theologi sentiunt *a*, præter tres subsistentias & hypostases personales, dari in Deo aliquam subsistentiam absolutam, communem tribus personis, adeoque non personalem; quæ ratione prior sit tribus subsistẽtiis personalibus, & constituat non quidem personam, sed indiuiduum concretum Deitatis, quod est hic Deus. Sed contrarium verius censemus *b*. Tum quia non solùm in philosophia, sed etiam apud SS. PP. inauditum videtur, *subsistentiam* (nisi cum subinde significat substantialem existentiam per se, & non in alio velut subiecto) ab hypostasi, adeoque supposito, seu suppositalitate differre. Tum quia nisi pro arbitrio nominum significata mutentur, de ratione subsistentiæ (prout dicit modum superadditum Essentiæ vel existentiæ substantiali) est, vt reddat naturam incommunicabilem, cum det esse per se & non in alio, non solùm velut in subiecto, sed nec velut in complente substantialiter ipsam naturam, quod non facit illa subsistentia absoluta.

a *Caiet. q. 93. a. 4. Mirand. annot. ad 6. Syn. Bannes. q. 40. a. 4. d. 2. Molin. q. 29. a. 2. d. 3. Zum.*

q. 30.

q.30. a.1. Suar.l.4.c.11. & in 3.p.t.1.d.11.ſ.3. &c. b *S.Thom.q.29. art.2. & 3.p.q.3.a.3 ad 1. & q.9.de potent.a.3. & 5.Genebrard.l.2.de Trin.Valent q.13.p.3.Vaſq.d.125. vbi probat hanc eſſe communem.*

16. Nomen *Deus*, velut concretum ſubſtantiæ formaliter quidem ſignificat ipſam naturam diuinam ſingularem, materialiter vero aliquid, ſeu quicquid eſt ſubſiſtens in tali natura; ita vt quamuis ſuppoſitio illius termini ſit particularis ex parte diuinitatis, tamen ex parte ſubſiſtentiæ ſit communis, & abſtrahens à tribus perſonis, quà tales perſonę. Quocirca etiam ratione prius intelligitur hoc concretum diuinitatis, quàm hæc perſona, eo modo, quo vniuerſale prius dici ſolet particulari *a*. Subſiſtentia verò non magis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quàm perſona, quæ ſub ratione quidem particulari, vt eſt hæc vel illa perſona, talis non eſt *b*, eſto ſub ratione communi, vt à particulari perſona hac vel illa abſtrahit, talis dici poſſit.

a *Ariſtot.c.2 poſt prædic.* b *theſ.41.*

17. Cum perſonæ diuinæ ſecundum quantitatem virtutis, quæ eſt ipſa perfectio eſſentiæ diuinæ, ſe inuicem non excedant, nec adeo in ipſis ſit aliquid maius vel minus, rectè dicuntur inter inter ſe æquales *a*; & per conſequens etiam ſimiles *b*: *quia æqualitas ſecundum quantitatem virtutis includit in ſe ſimilitudinem, & aliquid amplius, quia excludit exceſſum c.* Huc etiam

spectat æqualitas quoad durationem, ob quam personæ diuinæ dicuntur coæternæ. Has relationes nonnulli *d* existimarunt esse reales, sed verius est, esse rationis *e*. Quia relationes istæ reales esse non possunt, nisi etiam fundamentum (quod per se primò dici debet simile & æquale) sit reipsa distinctum in subiectis, quæ dicuntur æqualia vel similia *f*. Similitudo inter personas non est secundum relationes *g*, sed secundum naturam, non quòd hæc ipsa similis sit in personis, sed quia omnes similiter habẽt eandem naturam *h*.

a b *Symbol. Athan.* c *S. Thom. q. 42. a. 1.* d *Scot. 1. d. 31. quæst. 1. &c.* e f *S. Thom. q. 42. a. 1. com.* g h *August. lib. 6. Trin. c. 4. & l. 5. c. 6. S. Thom. q. 35. a. 2.*

18. Ad modum loquendi hæc pertinent. Nomina essentialia substantiua, & quæ substantiuè vsurpantur, non dicuntur in Deo pluraliter, cum ad hoc requiratur pluralitas formæ *a*; seu naturæ; & in concretis etiam suppositorum *b*: adiectiua verò dicuntur pluraliter. Ad hęc enim sufficit pluralitas suppositorum *c*. Vnde rectè dici possunt *d* tres habẽtes Deitatem (non plures dij vllo sensu) item tres existentes, tres sapientes, tres æterni, increati, immensi, omnipotentes, &c. Quod dum negat Athanasius *e*, voces istas substantiuè accepit. Vulgare illud *Deus ter Opt. Max.* tolerari potest, sic nempe, vt vocula ter significet in tribus personis Opt. & Max. Ad cum

eum modum, quo antiquus scriptor *f* Trinitatem vocat, *Triplex alterum, & ter vnam substantiam:* quam etiam ita confitendo collaudat: *Tres ergo vnum: & ter ergo vnum: ergo ter tres vnum. O beata Trinitas.*

a c *com.* b *S. Thom. 3. p. quæst. 3. a. 7. com. contra Vasq. d. 155. Scot. Capreol.* d *cap. firmiter de sum. Trinit.* e *in Symbol.* f *Marius Victorin. hym. 1. & 3. de Trin.*

19. Nomina essentialia etsi per se abstrahant à personis in particulari, quandoque tamen ratione prædicati, vel adiuncti, suppositio eorum determinatur ad personã vnam vel plures *a*, iuxta illud: *Deus de Deo:* quocirca propositio illa, *Deus non generat*, iuxta verborum proprietatem est falsa *b*. Filius quidem alius est à Patre, non tamen aliud, nec alius Deus *c*. Vocula solus non potest in diuinis addi termino absoluto per modum categorematis *d*, dicendo v.g. Deus est solus; per modum syncategorematis potest *e*, dicendo, solus Deus creat. Termino quoq; personali non potest addi, cum prædicatum est absolutum, secùs cum est relatiuum *g*.

a *S. Thom. q. 39. art. 4. com.* b *S. Thom. ibid. ad 3. com. contra Aureol. Durand. & Nominales.* c *S. Thom. ibid. ad 4. & 5. com.* d e f g *S. Thom. q. 31. a. 3. & 4. com.*

20. Nomina personalia substantiua possunt de essentia tam in concreto, quàm in abstracto prædicari, propter realem identitatem essentiæ

& personæ, dicendo: Deus siue essentia diuina, est Pater & Filius & Spiritus sanctus, est Trinitas, est tres personę *a*: sicut econtrà, Trinitas siue tres personæ sunt Deus, & essentia diuina *b*. Vtraque hæc propositio: Pater est Deus, & Deus est Pater, est per se *c*: hæc quasi indirecta, & in secundo modo dicendi per se, illa directa, & in primo modo per se. *d*. Patri velut principio cæterarum personarum appropriatur potentia; sapientia & veritas, quia ad intellectum pertinent, Filio: Bonitas Spiritui sancto, quia procedit per voluntatem, cuius obiectum proprium est bonum *e*.

a b *S.Thom q 39.art.6.com. Concil. Lateran. sub Innocent. III. can.2. contra Abbatem Ioach.* c *S.Thom.l.c.com.* d *Vasq.d.155.* e *S.Thom. 7. & 8.com.*

CAPVT II.

De processione & ordine diuinarum personarum.

21. Cum pluralitas personarum in Deo, sine processione vnius ab altera, seu aliis, non existat; imò nec per vllam potentiam esse possit, quod ex fide à posteriori scimus; clarũ est, dari in Deo veram & realem processionem personarum *a*, non quidem velut causæ in effectum, nec effectus ex causa; hæc enim ex parte termini dicit esse dependens ac limitatum, ac proinde saltem

numero

numero distinctum ab esse ipsius causæ (quicquid ex scholasticis nō nemo *b* de vi ac vsu eius vocis aliter philosophatus sit) sed velut termini producti, à principio producēte *c*. Græci etsi liberiùs nomē *αἰτίας* seu causæ Deo ad intra producenti tribuunt *d*, latiùs accepto causæ vocabulo, nempe pro simplici origine, seclusa omni limitatione & dependentia ex parte termini *e*) tamen vocabulum effectus, multoq; magis creaturæ, à personis diuinis, contra Arrium, diligenter remouerunt.

a c *S.Thom.q.37.a.1.* b *Aureol.1.d.29.* d e *Concil.Florent.sess.vlt.*

22. Processiones diuinæ licet ex ipsa fæcunditate diuinæ Naturæ (velut ex se communicabilis pluribus personis) ortum habeant, immediatè tamen non sunt ab ipsa natura, quà talis est *a*, quicquid malè nonnulli dixerint *b*, sed more aliarum productionum, à vi quadam operatiua, seu per operationem propriam eius naturæ *c*: non vtiq; transeuntem; quia sic productus terminus identicè Deus non esset, sed immanentem; quales sunt operationes intellectus, & voluntatis *d*. Ex quibus duæ tantùm *e* existunt processiones, ac totidem productiones personarum; vna per intellectum; nempe generatio, seu dictio propria Patris, cuius terminus productus vocatur Verbum seu Filius; altera per voluntatem, spiratio, communis Patri & Filio; cuius terminus productus vocatur Spiritus sanctus.

acde

a c d e *S.Thom.q.27.art.1.& seqq.com.* b *Dur. 1.d.6.& 10. & peius Hier.Zanch.l.5.cap.vlt. de Trinit.*

23. Dubitatur verò, an actus intelligendi & amandi sint principium quo producendi personas, an ipsa productio? Et non desunt *a*, qui affirment prius; ad eum nempe modum, quo potentia animæ est principium quò operationis animasticæ. Sed contraria sententia vt communior *b*, ita verior videtur. Quia in omni natura intellectuali creata, ipsamet intellectio est actio productiua, seu productio verbi; quod proinde etiam, si propriè verbum est, terminus est intellectionis, vt actio est; nec vspiam intelligere est principium physicũ effectiuum alterius actionis producentis verbum. Et quamuis S. Thom. *c* neget actionẽ in Deo esse, quatenus ea motum inuoluit aut connotat, non tamen negat esse sub communi ac propria etiam ratione, vt à motu & reliquis imperfectionibus quasi materialib⁹ abstrahit. Passio tamen in Deo, nulla est, nisi grammaticalis, vt ait idem S. Thomas *d*, quia in ipso nulla est receptio.

a *Henric.quodl.6.q.1.Suar.l.1.c.8.n.2.* b *Val.q. 1.p.3 Vasq.d.111.& 112.n.9.Molin.27.a.1.d.8. q.4.ad4. Torres & Thomist.com.significat S.Thom.q.37.a.2.* c *q.41.a.1.*

24. Sed cum Intelligere, ac Velle, seu amare commune sit omnibus personis; quomodo non etiam dicere seu generare ac spirare? Ob hanc

causâm

causam Henric. *a* Gandau. docet, Filium & Spiritum sanctum non qualibet intellectione, & dilectione produci, sed speciali quadam (quam notionalem vocat) eaque singulari modo perfecta. Sed meritò reiicitur ab omnibus, quia absurdum est dicere, ipsum Intelligere ac amare essentiale, ac commune omnibus personis non esse omni modo perfectissimum, aut vnam personam habere perfectius intelligere, quam alteram.

a *quodl. 6 quæst. 1.*

25. Quidam *a* alio modo actiones intellectus ac voluntatis in Deo distinguentes, intellectui paterno duas actiones tribuunt, easque inter se minimè subordinatas; vnam vocant intelligere, alteram dicere, aiuntque illam esse communem omnibus personis, sed minimè productiuam verbi; hanc verò propriam Patris, & productiuam verbi, seu potius ipsam verbi productionem. Sed nec istud probatur *b*. Tum quia sic Verbum diuinum intelligendo non produceretur; quod nō videtur satis consonum scripturæ & SS. PP. nec rationi; cum sit proprium Verbi, terminum esse Intellectionis, præsertim iuxta communem ac veram Philosophiam ab istis etiam contra quosdam *c* receptam, quod verbum mentis non sit res distincta ab actu intelligendi, prout est qualitas mentis in facto esse.

a *Scot. 1. d. 2. q. 7. & d. 23. q. 1. & 2. & quodl. 2. &c.*
b *com.* c *Ferrar. Caiet. &c.*

26. Alij

26. Alij *a* ratione saltem duplex Intelligere (eadem est ratio dilectionis) distinguentes in Deo, notionale scilicet, & essentiale, hoc commune, illud propriũ Patris dicunt, quoquo producatur Filius. Quod alij *b* sic explicant, vt dicant, intellectionem à dictione seu productione verbi differre, vt inclusum ab includẽte: hanc enim, præter ipsum intelligere, includere quoq; relationem productionis ad verbum, veluti terminum productum. Sed primò nulla causa est, cur duplex intelligere Deo tribuatur, vt dicetur. Deinde si cæteroquin idem est intelligere, manet quęstio, cur in patre habeat relationem producentis annexam, & non in aliis personis, cui quæstioni auctores isti non satisfaciunt.

a *Thomist. recent. apud Torrem. q. 27. a. 5.* b *Val. q. 1. p. 3. Vasq. d. 112. c. 2. & ferè Molin. a. 5. d. 2.*

27. Verior sententia *a* in his pronunciatis consistit. I. Propriè ac in rigore verborum vnum tantùm esse intelligere *b* adæquatum in Deo, non solùm reipsa, sed etiam iuxta nostrum modum concipiendi; quia vna natura intellectualis, & vnus intellectus, & vna denique solùm cuiusq; attributi diuini adæquata ratio est. II. Esse tamen diuersum modum habẽdi vnum & idem simplicissimum intelligere in diuinis personis; quia pater illud habet ex se, Filius communicatum à Patre; & vniuersim persona producens per actum aliquem aliam personã, ita habet actum illum, vt quatenus in tali persona est, iuxta ra-

tionem

tionem, nostram, non iam aliunde per eum supponatur productum, quicquid ad intra per eum produci potest; quæ proinde etiam velut conditio ex parte quasi subiecti requiritur, vt actus ille habeat rationem productionis, quatenus in hac vel illa persona est.

a *Suar. l.1.c.7.à nu. 5. post Aureol. Capreol. Torrem. &c.* b *S. Thom. q.41.a.6.*

28. Tertiò asserimus, hanc ipsam proinde rationem discriminis satis esse, vt Pater intelligendo generet, non Filius: vterque amando spiret, non Spiritus sanctus. Nam si iam prius ratione, quàm alicui personæ communicetur, per actum aliquem productum est, quicquid per eum produci potest, nihil iam amplius restat producendum. IV. Denique est, intelligere & dicere differre, vt inclusum & includens, quia dicere includit ipsum intelligere; sed præterea quoq; non solùm dicit relationem ad verbum, velut producentis ad terminum productum; sed etiam ex parte quasi subiecti connotat ac deposcit conditionem superiùs explicatã. Idem seruata proportione ad voluntatem quoque seu amorem applicari debet.

29. Processionem verbi esse generationem propriè dictam *a*; iuxta receptam illam *b* eius definitionem: Origo seu processio viuentis à principio viuente coniuncto, in similitudinem (vel identitatem) naturæ; idq; scilicet *c* ex vi sua propria, qua formaliter talis, & à tali potentia

est;

est; constat ex scriptura Psalm. 109. *Ex utero ante Luciferum genuite.* Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius* (Verbi) *gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* 1. Ioan. 5. *Vt simus in vero Filio eius, &c.* Et ex Symbolo Nicæno & Athanasio. *Genitum, non factum;* Ex quibus etiam liquet, Filium verè esse homousion & consubstantialem Patri; iuxta illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.*

a b *S Thom. q. 27. a. 2. com.* c *com. contr. Torrem. & Vasq. d. 113. c. 6.*

30. Non minus de fide certum est, Spiritus sancti processionem, generationem non esse; nec adeò etiam Spiritum sanctum esse Filium, cum in scriptura Ioan. 1. & 4. & in Symbolo Nicæno filius dicatur *vnigenitus*: sicut & in Apostolorum symbolo *vnicus.* At verò, qua de causa hæc processio non sit generatio, non est ita facile dicere. Et sanè doctissimi quique ac sanctissimi *a* non erubescunt suam hac in re fateri ignorantiam, quam in rebus adeò arduis & scitu non admodũ necessariis profiteri, semper ingenuum est, turpe nunquam.

a *Greg. Naz. Aug. Damasc. Magist. Arim. Gab. Maior. & ferè Scot. 1. d. 13.*

31. Nonnulli recentiores *a* asserentes, Spiritum sanctum non minus, quàm Filium ex vi suę processionis procedere similem in natura; dicunt eius rei rationem esse, quia non procedit, vt imago Patris; eo ipso, quod non procedit per

modum

modum verbi formaliter repræsentatiui rem cognitam. Quasi aut recepta definitio generationis bona non sit; aut quòd ex vi suæ processionis formaliter suo principio simile est, imago ipsius non sit; quorum neutrum credimus. Vera & communis *b* sententia est, ideo generationem non esse, quia Spiritus sanctus non procedit, vt similis in natura suo principio, ex vi processionis, qua formaliter talis, hoc est, à tali potentia (nempe voluntatis) est; etsi procedat similis ex vi suæ processionis, qua veluti materialiter, & ex parte subiecti seu entitatis suæ talis, hoc est, diuina, & ad intra est.

a *Torres q.27.art.2. Vasq.d.113.c.5.* b *S.Thom. q.27.a.4.*

32. Non obstante æqualitate, de qua supra *a*, est realis inter personas diuinas ordo, non quidem durationis, dignitatis, perfectionis, aut causalitatis, sed originis, secundum quem vna persona est ab alia. Eum S.Thomas *b* vocat ordinem naturæ, non quòd vna persona sit prior natura, quam alia *c*, talis enim prioritas propriè non est nisi inter causam & effectũ, aut ea, quorum vnum prius est secundum subsistendi consequentiam; sed quia est talis, quem ipsa rerum natura exigit *d*.

a *thes.15.* b c *S.Thom. quæst.43. art.3.* d *Suar. l.4.c.16.*

33. Quæstio nominis est, an ideò etiam prioritas aliqua inter personas concedenda sit; aliqui-

bus affirmantibus *a*; aliis negantibus *b*. Equidem sentio rectè concedi prioritatem , non absolutè & simpliciter, sed cum addito originis *c*. Qui ordo inter ipsas quoque origines passiuas reperitur *d*. Quia verò non obstante processione vnius ab altera, omnes personæ secundum se totas in essentia idem sunt, eademq; essentia omnibus inest; ideò ratione essentiæ omnes personæ non tantùm secundum essentiam, sed etiam secundum suas relationes personales *e* sunt in se inuicem, iuxta illud Ioan. 14. *Ego in Patre, &c.* quæ mutua immanentia seu existentia vnius in alia à Theologis circumsessio dicitur, relatio vtique non realis, sed rationis *f*.

a *Scot. 1. d. 28. quæst. 3.* b *S.Thom. c. a. 3. cum suis.* c *Suar. lib. 4. c. 15. Vasq. d. 166.* d *Vasq. d. 168. contra Durand.* e *Vasq. d. 169. Suar. l. 4. c. 16. com. contra Henric. Dur.* f *com.*

CAPVT III.

De relationibus, notionibus, proprietatibus, originibus, & constitutione diuinarum personarum.

34. Dari inter personas diuinas aliquas relationes reales, de fide est *a*; tum ex scriptura, quæ nomina relatiua personis tribuit; tum ex Conciliis passim. Jn Florentino *b* expresè habetur, personas diuinas *esse ad aliquid*. Ratio est, quia adsunt termini reales realiter inter se distincti; & ratio

ratio fundandi realis; nempe ipsa processio realis vnius personæ ab alia, cum sufficiente vi, ex qua tales processiones emanent. Cum autem singulis processionibus diuinis duæ respondeant relationes reales, eædemque oppositæ, quarum vna sit procedentis à principio, altera ipsius principij, sequitur in Deo quatuor relationes reales esse *c*, videlicet paternitatem & filiationem, respondentes generationi; spirationem actiuam, & passiuam seu processionem *d*, quę ob inopiam vocabulorum ipsius processionis seu originis, cui respondent, nomina retinent. Ex his solùm tres illæ, nimirum, paternitas, filiatio, & spiratio passiua inter se realiter distinguuntur *e*, atque etiam personales dicuntur, quia hæ solùm & personas multiplicant, & sibi inuicem opponuntur; duæ quidem priores formaliter & secundum se; postrema verò prioribus ratione originis seu spirationis actiuæ.

a *S.Thom.q.28.a.1.& de potent.a.1.* b *sess.18.19. & 25.* c d e *S.Thom.q.40.a.3.& 4.com.*

35. Ab ipsa verò essentia relationes ante operationem intellectus actu & formaliter nullo modo distinguuntur, quicquid nonnulli *a* modaliter, seu ex natura rei, non nemo etiam realiter *b* distingui dixerit; quæ sententia iure damnata est in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. adlaborante etiam S. Bernardo *c*. His consentiunt alia Concilia *d*, & apertè scriptura 1. Ioan. 5. *Hi tres vnum sunt.* Quod si relationes ab essen-

tia diuina re ipsa distinguerentur, vtiq; facerent compositionem, quæ iam à diuinis procul est, quandoquidem personæ inter se collatæ non vniuntur: si verò ad essentiam comparentur, in illa simplicissimè vnum sunt.

a *Dur.1.d.33 q.1.& d.34.q.2.& fauent Scot.1.d. 2.& 4.Occam. Marsil.Gabr.* b *Gilbert.Porret.* c *vide serm.80.in Cant & lib.5. de considerat.& Baron.tom.12.Vasq.d.120.* d *Concil.Later.cap.damnamus.& cap.firmiter.de sum.Trinit.Concil.Florent.sess.25.*

56. Distinguuntur nihilominus relationes ab essentia ratione *a*, solius tamen viatoris seu abstractè cognoscentis *b*, cum fundamēto in re *c*; idq; magis, quàm ipsa attributa absoluta *d*, quæ nec inter se, nec ab essentia plus quàm ratione differunt. Rectè ea distinctio vocari potest rationis ratiocinatæ *e*, seu virtualis *f* ex natura rei *g*; quo nomine aliud non significatur, quàm ea, quæ re ipsa omni modo vnum sunt, esse tam eminentis entitatis, vt hæc ipsa ob suammet infinitatē, & illimitatam perfectionem ęquiualere & identificari possit pluribus re distinctis: quod in nulla creata entitate accidit: quo fit etiam, vt ea ipsa distinctio virtualis æquiualeat, seu potius eminenter contineat actualem ex natura rei, qualis esse solet inter naturā & hypostasin creatam.

a *Concil.Florent.l.c.com.* b *Molin.q.28.a.2.d.3. Suar.l.4.cap.4.num.17.Vasq.d.118.post Capreol.*

preol.contra Henric.Torr.&c. c d *communis* e g *Molin.cit.a.2.d.2. Suar.lib.4.cap.4.* f *Vasq.q.13 p.1. Molin. Suar. ll.cit. Alb. in princ.7.coroll.1.*

37. Cum autem etiam inter ea, quæ ratione distincta sunt, vnũ possit esse de ratione & conceptu alterius, sicut superius de ratione inferioris, definitio de ratione definiti; quæstio est, vtrum relationes, & vniuersim attributa diuina (positiua) sint de essentia, ratione, & conceptu adęquato ipsius diuinitatis, deque ipsa in abstracto formaliter prędicentur, dicendo essentia diuina est Pater, seu paternitas, &c. Aliqui vniuersim affirmant *a*; alij de absolutis attributis affirmant, de relatiuis negant *b*. Quidam *c* ait: Relationes siue diuisiuè (copulatiuè) siue collectiuè sumptas non esse de essentia Dei, ne cõmunicata essentia cogamur admittere, etiam communicari relationes; disiunctim verò esse de essentia, ne ea vt sic carere dicatur vltimo quasi complemento substantiæ, quæ est personalitas. Denique alij vniuersim negant *d*.

a *Bannes q.28.a.2. & significat Caiet.ibid. Val. q.13.p.1.* b *Suar.l.4.c.5. Mol. cit. a.2. d.4. & d.6.c.3. & 4.Torres cit.a.2. & q.39.a.6.* c *Albertin.7.princ.coroll.1. dub.2.* d *Vasq.d.119. c.2. & d.121.c.2. & 4.post Arrim. & Capr.*

38. Nos hac in re illud primum asserimus, tam entitatem obiectiuè respondentem singulis attributis positiuis seu absolutis, seu relatiuis, esse

 de

de essentia Dei; quàm ipsamet illa attributa omnia & singula, quatenus quidem in Deo sunt, esse à parte rei de essentia, quidditate & ratione ipsius Dei & diuinitatis: cum ea sit vna quædam simplicissima ac perfectissima Entitas, intrinsecè ac essentialiter includens omnes perfectiones simpliciter simplices, ac possibiles in tali Ente, adeoque vt Damascenus *a* loquitur, *vniuersum id, quod est, tanquam immensum quoddam & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continēs.* Quo sensu etiam S. Thomas *b* ait: *In perfectione diuini esse omnia concludi.*

a *l.1. de orthod. fid. c. 12.* b *q. 28. a. 2.*

39. Deinde addimus. Juxta nostrum tamen (imperfectum) concipiendi modum attributa tam absoluta, quàm respectiua formaliter esse extra essentiam, seu potius extra conceptum essentiæ diuinæ, adeoque de se mutuò formaliter non prædicari. Jta sentit Damascenus *a* dum ait: *attributa positiua non dicere naturam Dei, sed quæ sunt circa naturam exponere*, seu vt infra loquitur *b*, *aliquid eorum quæ naturam assectantur.* Boëthius *c* quoque ex instituto probat, *Trinitatem non dici substantialiter* (id est essentialiter) *de Deo.* Et Augustinus *d* asserit, *relationem, non prædicari de Deo secundum substantiam, neque etiam secundum accidens, sed vt ad aliquid.* Et passim sancti Patres *e* essentialia distinguunt à personalibus, ac relationem ab essentia. Ratio est, quia singula ista in nobis (qui non vno vt

beati,

beati, sed pluribus ac distinctis conceptibus, iisdemque impropriis, & solùm per analogiam ad res creatas diuinum illud esse concipimus) habent formales conceptus distinctos, quorum vnus nō includit alium; Deum videlicet secundum se concipimus, velut Ens quod est â se, super omnia existens *f*, quodque est intrinseca vi principium omnium, & remotum ab omnibus, &c. Ipsam verò essentiam in abstracto concipimus veluti formam seu naturam completam & perfectissimam, omniq; alia natura superiorem. Attributa verò tanquam perfectiones eius naturę connaturaliter debitas, eaque ratione quodammodò posteriores; quocirca etiam vnum attributum ex altero demonstramus: Relationes denique, seu proprietates personales, velut modos quosdam substantiales eiusdem naturæ diuinæ, non quod tales à parte rei sint, verè scilicet perficientes naturam, sed quod instar talium concipiantur, omni imperfectione seclusa.

a *l.1. de Fide, c.4.* b *c.12.* c *l. de Trinit.* d *l.5. de Trin. c.6.* e *August. l.7. de Trinit. cap.2. & 4. Anselm. l. de Spir. sanct. Concil. Lateran. Cap. firmiter & Cap. damnamus de summa Trin. Florent. &c.* f *S. Thom. q.13. a.8. ad 2.*

40. Similis difficultas est, vtrum econtra essentia diuina, sit de ratione & conceptu relationum, aliorumque attributorum; & hæc omnia & singula de ratione cuiusque eorum inter se. In

qua re affirmatiuam tuentur non illi solùm, qui affirmant relationes, esse de ratione & essentia diuinitatis *a*; sed etiam nonnulli ex iis, qui hoc negant *b*. Aliis *c* de vtraque quæstione eodem modo sentientibus. Quod etiam nobis faciendum existimamus; ob paritatem rationis. Incredibile enim videtur, quod iustitia diuina in suo conceptu (iuxta nostrum intelligendi modum) formaliter includat misericordiam, imò sit ipsa misericordia, quodq; intellectus formaliter includat rationem & conceptum voluntatis, &c. Ex quo sequi videtur, Deum formaliter per intellectum velle, & per voluntatem intelligere, per misericordiam punire, & per iustitiam misereri; item per essentiam suam non minus terminare naturam humanam, quàm per relationem seu subsistentiam; quandoquidem id quod formaliter includit rationem attributi vnius, de eodem etiam formaliter prædicari potest talis attributi operatio, seu proprietas.

a *thesi præced.* b *Suar. l. 4. c. 7. Torres & Zum. q. 28. a. 2. &c.* c *Bannes. Molin. Vasq. l. c.*

41. Alia quæstio est, vtrum Relationes diuinæ formaliter sumptæ (prout ratione nostra ab essentia distinguuntur) sint perfectiones. 1. Sententia absolutè negat *a*. 2. Negat esse perfectiones distinctas à perfectione essentiæ *b*. 3. Dicit *c* singulas per se non esse perfectiones reales, sed omnes vnam duntaxat constituere, quæ sit ipsa quasi integritas Dei, ex tribus relationibus simul

con-

consurgens. Quarta & verior *d* asserit, singulas per se esse perfectiones, ac proinde in Deo esse plures reales perfectiones relatiuas inter se re distinctas: quod disertè etiam tradidit Damascenus *e* cum ait: *Patrem & Filium distingui perfectionibus personalibus.* Ratio est, tùm quia ex veriori philosophia omnis relatio realis, etiam qua talis, est perfectio realis, non tantum secundum esse in, id est, sub communi ratione accidentis, sed etiam secundum esse ad, id est, sub sua ratione propria, qua constituitur tale accidens. tùm quia relationes in Deo, licet formaliter abstrahant & præscindant ab essentia, non tamen ab omni entitate diuina, cum sint proprietates personales; tùm quia negari sine absurdo non potest Patrem vt Patrem esse bonum, itemque Filium; alioquin nec vt sic se mutuò amarent, nec à nobis essent amabiles.

a *Scot. 1. d. 3. Rich. Dur. Cap. &c. Caiet. q. 40. a. 2. Molin. q. 42. a. 6. d. 2.* b *Maior 1. d. 33. Torres, cit. a. 2.* c *Vasq. d. 12. c. 6.* d *Gabr. Heruens. Clihou. Val. q. 2. p. 2. Suar. l. 3. cap. 9. Zum. q. 40. a. 2. d. 5. Salmeron. t. 2. tr. 11.* e *l. 1. de fide cap. 11.*

42. Perfectiones istæ singulæ formaliter sunt quidem infinitę, non tamen nisi in suo quasi genere seu specie *a*. Quæstio nominis est, an sint etiam perfectiones simpliciter simplices; qualis quidẽ ex Anselmo *b* à Theologis definiri solet, *quæ in quolibet melior est ipsa, quàm non ipsa*, seu

quàm alia quæuis cum ea incompoſſibilis. Nam ſi vocula *quolibet* reſtringatur ad naturam, quod faciendum eſſe nonnulli *c* arbitrantur, negari nõ poterit, eas eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices *d*. ſi verò, vt verba poſtulant, amplè accipiatur pro quouis Ente etiam completo & ſubſiſtente, tùm non poteſt ea definitio perfectionibus relatiuis applicari. Qui modus loquendi vt communior *e*, ita verior eſt; cum ad rationem Entis ſimpliciter infiniti (quales eſſe ſingulas perſonas negari non debet) ſpectet, formaliter continere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & ſaltem eminenter omnem aliam, quæ ſi formaliter etiam ad continentiam eminentialem accedat, non ideò reddit ens perfectius *f*; ſicut patet in humanitate Verbo addita.

a *Suar. l.3. c.10. n.8.* b *monolog. c.5.* c *Vaſq. d.25. c.4.* d *Maior. Torres. Sig. Val. l.c. & ex parte Vaſq. l.c.* e *Suar. c.10. 11. n.4. & 5. Salmeron t.2. trac.11. Scot. Durand. Caiet. Molin. &c.* f *Suar. c.10. n.7.*

43. Hinc conſequitur, omnia Tranſcẽdentia, vt res, ens, vnum, verum, bonum, cum addito reſpectiuum, dici poſſe in diuinis pluraliter *a* tàm in abſtracto, quàm concreto; quicquid nõnulli olim *b* inter rem & Ens, &c. diſtinxerint. Quidditates autem vel eſſentias tres, etiam cum addito relatiuas, in Deo aſſeri, vti hactenus conſuetum non fuit, ita etiam poſthac ſine exemplo

non

non facilè censemus admittendum; cum his vocibus propriè ipsa natura significetur.

a *Suar. lib. 3. c. 7. 8. 10. com.* b *S. Thom. l. sentent.* c *Torres q. 28. a. 2. disp. 2. post S. Thom. 1. d. 5. q 1. a. 4. ad 2.*

44. Notio personæ diuinæ S. Augustino *a* dicta est, ipsa notitia, qua proprium quiddam alicuius personę cognoscimus. Scholasticis verò *b* cum S. Basilio *c*, est ratio quædam obiectiuè significata, quæ sit quasi forma & nota alicuius personæ, seu character: siue ea sit propria vnius personæ, siue duarũ, modò non sit aliquid commune tribus. Tales notiones abstractis nominibus commodissimè exprimuntur *d*, & sunt vniuersim quinque *e*, innascibilitas (seu esse ingenitum) paternitas, spiratio actiua, filiatio, & processio; quarum duæ priores propriæ sunt Patris, tertia Patris & Filij simul; quarta solius filij, quinta Spiritus sancti. Inspirabilitas, quam filij propriam, sexto loco numerant nonnulli *f*, à cæteris distincta non est *g*. De notionibus non possunt prædicari vlla nomina significantia actionem *h*; talis enim prædicatio sensum formalem exigit, secus est de aliis prædicatis absolutis quæ actionẽ nõ denotant *i*. Ex notionibus quatuor *k* dicuntur proprietates personarum, eò quòd vnius personæ propriæ sunt, videlicet Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, & Processio, seu Spiratio passiua; quarum tres solùm posteriores dicuntur *l* relationes seu proprietates personales.

a l. 5.

a *l.5.Trin.c.6.* b d *S.Thom.q.32.a.2.com.* c *l.2. contra Eunom.& epist.43.* e g *S.Thom.q.32. a 3.com.* f *Scot.1.d.28.q.6.* h i k l *S.Thom.q. 32.a.2.& 3.com.thes.34.*

45. A Notione dicitur Notionale, quicquid est proprium alicuius personæ: Tales sunt actus Notionales *a*; quo nomine intelliguntur ipsæ processiones & productiones actiuæ ac passiuæ in diuinis (sunt enim ambæ velut actus medius inter vnam personam & aliam) quæ communiter etiam à Theologis vocari solent Origines *b*; & sunt quatuor de quibus supra *c*; Hæ velut pro materiali dicunt quidem ipsum actum intelligendi & amandi, ex dictis *d*, formaliter autem superaddunt relationem productionis; quæ est ipsa relatio personalis, non vt est in facto esse, sed vt est quasi in fieri *e*. Quo fit, vt quælibet Origo adæquatè idem sit *f* cum sua persona, actiua cum producente, & passiua, cum producta; Origines autem actiuæ & passiuæ sibi oppositæ non minus inter se realiter differant *g*, quàm ipsæ personæ; actione videlicet & passione prout in diuinis sunt, inter se realiter non identificatis *h*: quamuis non nemo interim existimet *i*, Originem seu processionẽ actiuam & passiuam saltem absque errore & temeritate etiam ita posse explicari, vt sint re idem, nec adeò differant à persona producta. Origines denominant personas, vnde propositiones hæ falsæ sunt *k*: essentia diuina generat, seu generatur; producit vel produci-

ducitur, est generans, vel generata. Faciunt enim hæc sensum formalem (qui hîc locum non habet;) non solum identicum. Dici tamen potest, essentia diuina est res generans, scilicet persona; & res non generans, qua nempe essentia est.

a b *S.Thom.q.41.a.1.Vasq.ibidem.Suar.l.6.c.31.com.* c *thes.22.* d *thes.23.& 28.* e *Suar.l.6.c.1.com.* f g h *Mag.& DD.1.d.26. S.Thom.q.41.a.1.com.Vasq.ibidem. Suar.l.6.c.1.& 2.* i *Suar.cit.cap.2.* k *cap.damnamus. de sum. Trin.contra Abb.Ioach.* l *S.Thom. quæst.39.a.5.com.*

46. Actus Notionales non sunt liberi; quod de fide est contra Arrium *a*; nisi per abusum vocabuli, vt nonnulli fecerunt *b*, liberum vocetur spontaneum, aut aliter *c* germanus vocabuli vsus deprauetur. Voluntarij tamē dici possunt *d*; non quidem vniuersim, prout hac voce significatur effectus seu terminus productus à voluntate; hoc enim de Filij generatione dici non potest *e*; sed prout volitum seu obiectum voluntatis significat; quicquid nonnulli tricentur *f*, ipsum velle quo producitur Spiritus sanctus, esse voluntariū non vt quod, sed vt Quo. Tametsi autem verè aliquo sensu dici possit, Patrem genuisse Filium voluntate *g*, si nēpe hac voce non principium, sed concomitantia tantùm significetur; absolutè tamen ita loquendum non est *h*. Voluntas, qua voluntaria est generatio Patri, quibusdam est ratione prior generatione *i*; aliis ratio-

sonam. Quocirca formaliter nulla origo est notio, nec vlla notio est origo *d*. Idem de origine respectu relationum (vt in facto esse concipiuntur) & proprietatum dicendum est *e*. Conueniunt notiones cum relationibus, ac proprietatibus, quòd ab essentia ac personis, quarum sunt notæ, vel proprietates, ratione ac virtualiter solùm distinguantur *f*; quodque essentia significetur vt Quod, persona vt Quis, proprietas, notio, & relatio, vt Quo *g*.

a *Vasq. q. 32. a. 2. com.* b *thes. 34. & 44.* c d *thes. 44. & 45.* e *thes. 45. & 34.* f g *S. Thom. q. 32. a. 3. & q. 40. a. 1. com.*

49. Sed grauis difficultas est, per quidnam denique formaliter diuinæ personæ constituantur & distinguantur. Et omissis iis *a*, qui temerè negant incomplexas proprietates in personis, aut eas aliquo cõstitui vel distingui nisi seipsis; quasi verò ad hanc rem non sufficiat distinctio rationis, cum virtuali in re, inter personam, & id quo constituitur persona *b*; non desunt, qui asserant *c*, personas formaliter constitui & distingui proprietatibus absolutis. Expedita sententia; si absolutum aliquid in diuinis commune non esset. Iam verò etiam à nonnullis *d* erroris arguitur, licet ab aliis *e* etiamnũ mitius cẽseatur. Nonnulli docent *f*, personas propriè constitui & distingui Originibus, non Relationibus, seu proprietatibus; v.g. patrem generatione actiua, non paternitate. Minus improbabiliter.

a *Præpositiuus & Arrim. apud Vasq. d.158. c.2.* b *S.Thom. q.40. a.1.* c *Ioan. de Ripa Lincon. Lichet, Salm. t.2. tract.12. ad 4. Sig. Scot. 1. d. 26. q.1.* d *Torres, Vasq. d.159.* e *Suar. l.7. c.5.* f *Bonau. 1. d.26. & 27.*

50. Nonnulli aiunt *a*, propriè constitui tum Originibus, tum Relationibus personalibus. Sed reuera non est par vtrarumque ratio: & cuiusq; rei vnum tantum est proprium ac formale constitutiuum & distinctiuum. Communis *b* habet, formaliter constitui & distingui Relationibus seu proprietatibus personalibus. Variat tamen: Quidam enim vniuersim dicunt *c*, personas constitui & distingui relationibus personalibus formaliter quà tales sunt. Alij *d*, relationē constituere personam sub ratione quidem formali relationis, seu vt est forma relatiui; sed non vt actu exercens officium referendi; quamquam hoc modo distinguat personas. Alij *e*, relationem distinguere quidem personam, vt est relatio, non autem constituere, vt est relatio; sed vt est forma quædam hypostatica. Quidam *f* etsi fateatur personam Patris; (de qua præcipua est difficultas) distingui formaliter relatione paternitatis, ait tamen hac non constitui, sed alia proprietate innascibilis & fœcundi ad producendum, quam vocat etiam rationem primi principij.

a *Val. q.14. p.2. Mol. q.40. a.2. d.2. m.4.* b *S.Thom. & omnes Thomist. q.40. a.2. & seqq. Albert.*

qua re affirmatiuam tuentur non illi solùm, qui affirmant relationes, esse de ratione & essentia diuinitatis *a*; sed etiam nonnulli ex iis, qui hoc negant *b*. Aliis *c* de vtraque quæstione eodem modo sentientibus. Quod etiam nobis faciendum existimamus; ob paritatem rationis. Incredibile enim videtur, quod iustitia diuina in suo conceptu (iuxta nostrum intelligendi modum) formaliter includat misericordiam, imò sit ipsa misericordia, quodq; intellectus formaliter includat rationem & conceptum voluntatis, &c. Ex quo sequi videtur, Deum formaliter per intellectum velle, & per voluntatem intelligere, per misericordiam punire, & per iustitiam misereri; item per essentiam suam non minus terminare naturam humanam, quàm per relationem seu subsistentiam; quandoquidem id quod formaliter includit rationem attributi vnius, de eodem etiam formaliter prædicari potest talis attributi operatio, seu proprietas.

a *thesi præced.* b *Suar. l. 4. c. 7. Torres & Zum. q. 28. a. 2. &c.* c *Bannes. Molin. Vasq. l. c.*

41. Alia quæstio est, vtrum Relationes diuinæ formaliter sumptæ (prout ratione nostra ab essentia distinguuntur) sint perfectiones. 1. Sententia absolutè negat *a*. 2. Negat esse perfectiones distinctas à perfectione essentiæ *b*. 3. Dicit *c* singulas per se non esse perfectiones reales, sed omnes vnam duntaxat constituere, quæ sit ipsa quasi integritas Dei, ex tribus relationibus simul con-

consurgens. Quarta & verior *d* asserit, singulas per se esse perfectiones, ac proinde in Deo esse plures reales perfectiones relatiuas inter se re distinctas: quod disertè etiam tradidit Damascenus *e* cum ait: *Patrem & Filium distingui perfectionibus personalibus.* Ratio est. tùm quia ex veriori philosophia omnis relatio realis, etiam qua talis, est perfectio realis, non tantum secundum esse in, id est, sub communi ratione accidentis, sed etiam secundum esse ad, id est, sub sua ratione propria, qua constituitur tale accidens. tùm quia relationes in Deo, licet formaliter abstrahant & præscindant ab essentia, non tamen ab omni entitate diuina, cum sint proprietates personales; tùm quia negari sine absurdo non potest Patrem vt Patrem esse bonum, itemque Filium; alioquin nec vt sic se mutuò amarent, nec à nobis essent amabiles.

a *Scot. 1. d. 3. Rich. Dur. Cap. & c. Caiet. q. 40. a. 2. Molin. q. 42. a. 6. d. 2.* b *Maior 1. d. 33. Torres, cit. a. 2.* c *Vasq. d. 12. c. 6.* d *Gabr. Herueus. Clihou. Val. q. 2. p. 2. Suar. l. 3. cap. 9. Zum. q. 40. a. 2. d. 5. Salmeron. t. 2. tr. 11.* e *l. 1. de fide cap. 11.*

42. Perfectiones istæ singulæ formaliter sunt quidem infinitę, non tamen nisi in suo quasi genere seu specie *a*. Quæstio nominis est, an sint etiam perfectiones simpliciter simplices; qualis quidē ex Anselmo *b* à Theologis definiri solet, *quæ in quolibet melior est ipsa, quàm non ipsa*, seu

 quàm

quàm alia quæuis cum ea incompoſſibilis. Nam ſi vocula *quolibet* reſtringatur ad naturam, quod faciendum eſſe nonnulli *c* arbitrantur, negari nō poterit, eas eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices *d*. ſi verò, vt verba poſtulant, amplè accipiatur pro quouis Ente etiam completo & ſubſiſtente, tùm non poteſt ea definitio perfectionibus relatiuis applicari. Qui modus loquendi vt communior *e*, ita verior eſt; cum ad rationem Entis ſimpliciter infiniti (quales eſſe ſingulas perſonas negari non debet) ſpectet, formaliter continere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & ſaltem eminenter omnem aliam, quæ ſi formaliter etiam ad continentiam eminentialem accedat, non ideò reddit ens perfectius *f*; ſicut patet in humanitate Verbo addita.

a *Suar. l.3.c.10.n.8.* b *monolog.c.5.* c *Vaſq.d.25.c.4.* d *Maior. Torres. Sig. Val. l.c. & ex parte Vaſq. l.c.* e *Suar. c.10.11.n.4. & 5. Salmeron t.2. trac.11. Scot. Durand. Caiet. Molin. &c.* f *Suar. c.10.n.7.*

43. Hinc conſequitur, omnia Tranſcēdentia, vt res, ens, vnum, verum, bonum, cum addito, reſpectiuum, dici poſſe in diuinis pluraliter *a* tàm in abſtracto, quàm concreto; quicquid nōnulli olim *b* inter rem & Ens, &c. diſtinxerint. Quidditates autem vel eſſentias tres, etiam cum addito relatiuas, in Deo aſſeri, vti hactenus conſuetum non fuit, ita etiam poſthac ſine exemplo

non

non facilè censemus admittendum; cum his vocibus propriè ipsa natura significetur.

a *Suar. lib. 3. c. 7. 8. 10. com.* b *S. Thom. l. sentent.* c *Torres q. 28. a. 2. disp. 2. post S. Thom. 1. d. 5. q. 1. a. 4. ad 2.*

44. Notio personæ diuinæ S. Augustino *a* dicta est, ipsa notitia, qua proprium quiddam alicuius personę cognoscimus. Scholasticis verò *b* cum S. Basilio *c*, est ratio quædam obiectiuè significata, quæ sit quasi forma & nota alicuius personæ, seu character: siue ea sit propria vnius personæ, siue duarū, modò non sit aliquid commune tribus. Tales notiones abstractis nominibus commodissimè exprimuntur *d*, & sunt vniuersim quinque *e*, innascibilitas (seu esse ingenitum) paternitas, spiratio actiua, filiatio, & processio; quarum duæ priores propriæ sunt Patris, tertia Patris & Filij simul; quarta solius filij, quinta Spiritus sancti. Inspirabilitas, quam filij propriam, sexto loco numerant nonnulli *f*, à cæteris distincta non est *g*. De notionibus non possunt prædicari vlla nomina significantia actionem *h*; talis enim prædicatio sensum formalem exigit, secus est de aliis prædicatis absolutis quæ actionē nō denotant *i*. Ex notionibus quatuor *k* dicuntur proprietates personarum, eò quòd vnius personæ propriæ sunt, videlicet Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, & Processio, seu Spiratio passiua; quarum tres solùm posteriores dicuntur *l* relationes seu proprietates personales.

a *l.5.Trin.c.6.* b d *S.Thom.q.32.a.2.com.* c *l.2. contra Eunom.& epist.43.* e g *S.Thom.q.32. a 3.com.* f *Scot.1.d.28.q.6.* h i k l *S.Thom.q. 32.a.2.& 3.com.thes.34.*

45. A Notione dicitur Notionale, quicquid est proprium alicuius personæ: Tales sunt actus Notionales *a*; quo nomine intelliguntur ipsæ processiones & productiones actiuæ ac passiuæ in diuinis (sunt enim ambæ velut actus medius inter vnam personam & aliam) quæ communiter etiam à Theologis vocari solent Origines *b*; & sunt quatuor de quibus supra *c*; Hæ velut pro materiali dicunt quidem ipsum actum intelligendi & amandi, ex dictis *d*, formaliter autem superaddunt relationem productionis; quæ est ipsa relatio personalis, non vt est in facto esse, sed vt est quasi in fieri *e*. Quo fit, vt quælibet Origo adæquatè idem sit *f* cum sua persona, actiua cum producente, & passiua, cum producta; Origines autem actiuæ & passiuæ sibi oppositæ non minus inter se realiter differant *g*, quàm ipsæ personæ; actione videlicet & passione prout in diuinis sunt, inter se realiter non identificatis *h*: quamuis non nemo interim existimet *i*, Originem seu processionẽ actiuam & passiuam saltem absque errore & temeritate etiam ita posse explicari, vt sint re idem, nec adeò differant à persona producta. Origines denominant personas, vnde propositiones hæ falsæ sunt *k*: essentia diuina generat, seu generatur; producit vel produci-

ducitur, est generans, vel generata. Faciunt enim hæc sensum formalem (qui hîc locum non habet;) non solum identicum. Dici tamen potest, essentia diuina est res generans, scilicet persona; & res non generans, qua nempe essentia est.

a b *S.Thom.q.41.a.1.Vasq.ibidem.Suar.l.6.c.31. com.* c *thes.22.* d *thes.23.& 28.* e *Suar.l.6. c.1.com.* f g h *Mag.& DD.1.d.26. S.Thom. q.41.a.1.com.Vasq.ibidem.Suar.l.6.c.1.& 2.* i *Suar.cit.cap.2.* k *cap.damnamus.de sum. Trin.contra Abb.Ioach.* l *S.Thom.quæst.39. a.5.com.*

46. Actus Notionales non sunt liberi; quod de fide est contra Arrium *a*; nisi per abusum vocabuli, vt nonnulli fecerunt *b*, liberum vocetur spontaneum, aut aliter *c* germanus vocabuli vsus deprauetur. Voluntarij tamē dici possunt *d*; non quidem vniuersim, prout hac voce significatur effectus seu terminus productus à voluntate; hoc enim de Filij generatione dici non potest *e*; sed prout volitum seu obiectum voluntatis significat; quicquid nonnulli tricentur *f*, ipsum velle quo producitur Spiritus sanctus, esse voluntariū non vt quod, sed vt Quo. Tametsi autem verè aliquo sensu dici possit, Patrem genuisse Filium voluntate *g*, si nēpe hac voce non principium, sed concomitantia tantùm significetur; absolutè tamen ita loquendum non est *h*. Voluntas, qua voluntaria est generatio Patri, quibusdam est ratione prior generatione *i*; aliis ratio-

ratione simul *k*; nobis videtur ratione posterior *l*; quandoquidem pater prius intelligit, quàm velit. Rectè vniuersim productio personarum dicitur naturalis, seu per modum *m* naturæ.

a d *S.Tho q.41.a.2.com.* b *Scot.1.d.10.& quodl.16.a.2.* c *Gandauen.in Sum.a.60.q.1.* e *con. Tolet.11.* f *apud Suar.l.6.c.4.* g *S.Thom.cit. art.2.* h *Molin.ibid.d.1.* i *Scot.Caiet.& ferè Val.q.15.p.4.* k *Arim.Capreol.Ferrar.Torr.* l *Suar.l.6.c.4. Molin.c.a.2.d.2. Vasq.d.160. &c.* m *Suar.l.6.c.3. com.contra Scot.Gandauens.*

47. Inter omnes ferè constat *a*, verè ac propriè in Deo esse potentiam actiuam seu productiuam, respectu personæ productæ. An etiam respectu ipsius productionis, seu actuum notionalium? Multi negant *b*, quia reuera nulla est realis processio actionis notionalis à persona producente. Quidam affirmant *c*; quos in nominis quæstione sequi placet. Potentia hæc seu principium Quo producendi personas non est relatio *d*, nec essentia simul cum relatione *e*; ne productio hæc dicatur æquiuoca; sed principium quo velut substantiale & remotum est sola essentia; secundum hanc enim, & non secundum relationem persona producta assimilatur producenti: Secundarium autem & quasi immediatum, intellectus & voluntas; cui velut conditio adiungitur, habere talem potentiam ratione prius, quàm in actum prodierit *f*. Ex his sequuntur

duo.

duo. Primum, Potentiam generandi & ſpirandi eſſe quidem in omnibus perſonis totã g, quantũ ad id, quod habet *f* rationem principij, ſed non quoad omnia ſua requiſita. Alterum, terminum quoque formalem vtriuſque Originis non eſſe relationẽ, vt quidã *h* exiſtimauerunt, ſed ipſammet eſſentiam *i* non quidem vt productam, ſed vt communicatam perſonæ.

a *S.Thom.q.41.art.4.com. contra Aureol.1.d.7.* b *Arim. Capreol. Torres. Caiet. Molin.q.41. a 4.* c *Vaſq.d.163. fauet S.Thom.q.41.a.1.&4.* d *contra Bonauent & Dur.1.d.7.* e *contra Gandauenſ. Val.q.15.p.2. & Vaſq. d 164.c.3.* f *S.Thom.q.41.a.5.Caiet.Molin. & Thomiſt. ibidem. Suar.l.6.c.5 poſt Mag.& Scot.1 d.7. Concil.Florent.Seſs.18.& 19.com.* g *S.Thom. q.42.a.6.Suar.l.c.* h *Aureol.Dur.Gandau.* i *S.Thom.q 41.a.3.Scot. Bonau.com.*

48. Atq; ex dictis efficitur, proprietates perſonales, relationes, & notiones inter ſe differre, vt inferius & ſuperius *a*. Omnes enim proprietates perſonales, ſunt relationes, & omnes relationes notiones, ſed non econtra. Proprietates perſonarum excedunt relationes & viciſſim exceduntur. Aliqua enim proprietas non eſt relatio, vt innaſcibilitas; & aliqua relatio nõ eſt proprietas, vt ſpiratio actiua *b*. Origo differt à notione *c*, quod hæc habet rationem formæ velut in facto eſſe, illa verò concipitur & ſignificatur per modum viæ tendentis ad conſtituendã perſonam.

sonam. Quocirca formaliter nulla origo est notio, nec vlla notio est origo *d*. Idem de origine respectu relationum (vt in facto esse concipiuntur) & proprietatum dicendum est *e*. Conueniunt notiones cum relationibus, ac proprietatibus, quòd ab essentia ac personis, quarum sunt notæ, vel proprietates, ratione ac virtualiter solùm distinguantur *f*; quodque essentia significetur vt Quod, persona vt Quis, proprietas, notio, & relatio, vt Quo *g*.

a *Vasq.q.32.a.2.com.* b *thes.34.& 44.* c d *thes.44.& 45.* e *thes.45.& 34.* f g *S.Thom.q.32.a.3. & q.40.a.1.com.*

49. Sed grauis difficultas est, per quidnam denique formaliter diuinæ personæ constituantur & distinguantur. Et omissis iis *a*, qui temerè negant incomplexas proprietates in personis, aut eas aliquo cõstitui vel distingui nisi seipsis; quasi verò ad hanc rem non sufficiat distinctio rationis, cum virtuali in re, inter personam, & id quo constituitur persona *b*; non desunt, qui asserant *c*, personas formaliter constitui & distingui proprietatibus absolutis. Expedita sententia; si absolutum aliquid in diuinis commune non esset. Jam verò etiam à nonnullis *d* erroris arguitur, licet ab aliis *e* etiamnũ mitius cẽseatur. Nonnulli docent *f*, personas propriè constitui & distingui Originibus, non Relationibus, seu proprietatibus; v.g. patrem generatione actiua, non paternitate. Minus improbabiliter.

a *Pra-*

a *Præpositiuus & Arrim. apud Vasq. d. 158. c. 2.* b *S. Thom. q. 40. a. 1.* c *Ioan. de Ripa Lincon. Lichet, Salm. t. 2. tract. 12. ad 4. Sig. Scot. 1. d. 26. q. 1.* d *Torres, Vasq. d. 159.* e *Suar. l. 7. c. 5.* f *Bonau. 1. d. 26. & 27.*

50. Nonnulli aiunt *a*, propriè constitui tum Originibus, tum Relationibus personalibus. Sed reuera non est par vtrarumque ratio: & cuiusq; rei vnum tantum est proprium ac formale constitutiuum & distinctiuum. Communis *b* habet, formaliter constitui & distingui Relationibus seu proprietatibus personalibus. Variat tamen: Quidam enim vniuersim dicunt *c*, personas constitui & distingui relationibus personalibus formaliter quà tales sunt. Alij *d*, relationẽ constituere personam sub ratione quidem formali relationis, seu vt est forma relatiui; sed non vt actu exercens officium referendi; quamquam hoc modo distinguat personas. Alij *e*, relationem distinguere quidem personam; vt est relatio, non autem constituere, vt est relatio; sed vt est forma quædam hypostatica. Quidam *f* etsi fateatur personam Patris; (de qua præcipua est difficultas) distingui formaliter relatione paternitatis, ait tamen hac non constitui, sed alia proprietate innascibilis & fœcundi ad producendum; quam vocat etiam rationem primi principij.

a *Val. q. 14. p. 2. Mol. q. 40. a. 2. d. 2. m. 4.* b *S. Thom. & omnes Thomist. q. 40. a. 2. & seqq. Albert.*

Henric. Rich Ægid. Dur. Herueus. Scot, &c. post Anselm. l. de Incarnat. c. 3. c *Suar. l. 7. c. 9. post Dur. Gabr. & ferè Scot.* d *Caiet. q. 40. a. 4. Torres.* e *Capr. 1. d. 26. Ferrar. 4. contra gent. c. 26.* f *Vasq. d. 159. c. 5.*

51. Nobis in re tam obscura hæc videntur probabiliora. 1. Nihil distinguendum inter proprium constitutiuum & distinctiuum personæ. Sunt enim hæc vniuersim eadem; & quo quæq; res formaliter in se constituitur, eodem differt ab aliis. 2. Omnium quoq; personarum parem & eandem proportionaliter esse rationem. Cur enim vna absoluto constituatur; altera relatiuo? &c. 3. Constitui personas formaliter relationibus personalibus. Colligitur ex Concilio Florentino sess. 18. vbi dicitur: *Relatio apud omnes tàm Græcos, quàm Latinos DD. personas multiplicat.* Et in Concilio Tolet. 7. dicitur: *In relatione personarum cernitur numerus.* Et in eundem sensum Cap. firmiter de sum. Trin. dicitur: *Trinitatem esse discretam per proprietates personales.* Vnde fluxit etiam theologicum axioma: *In Deo omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* 4. Constitui formaliter relationibus, non quà relationes & ad aliud sunt, sed quà sunt res per se subsistentes, seu modi quasi quidam substantiales, determinãtes diuinam essentiam, quos nonnulli *a* formas hypostaticas appellant. Hæc est expressa sententia S. Thomæ *b*, cum ait: *Personalis proprietas Patris* (Paternitas) *potest considerari*

vari dupliciter; vno modo, vt est relatio, & sic secundum intellectum præsupponit actum notionalem (generationem) *quia relatio in quantum huiusmodi fundatur supra actum: alio modo secũdum quod est constitutiua personæ, & sic oportet quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Et alibi c ait: *Vocabulum personæ in diuinis, significare relationem in recto, &c. non tamen in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.*

a *Capr. & Ferr.* b *q.40.a.4.* c *q 29.a.4.*

52. Vnde colligitur etiã manifesta ratio. Quia constitutiuum personæ Patris debet formaliter esse positiuum quiddam personæ proprium, & prius ratione, quàm generatio, cum actiones sint suppositorum: atqui ante generationem nõ potest præintelligi paternitas, sub formali ratione & conceptu relationis, tùm quia vt sic simul est cum Filiatione, quæ tamen posterior est generatione actiua: tùm quia vt sic fundatur in ipsa generatione. Ergo constitutiuum patris est quidem relatio, sed non sub ratione & conceptu formali relationis. Quo fit etiam, vt rectè vtrũque a dici possit de Patre: & quia generat, est Pater; & quia Pater est, generat. Aliter se res habet cum relatione spirationis actiuę, quæ nullo modo prior est spiratione; quandoquidem iam ante supponit personas quæ spirant, non constituit.

a *S. Thom. q. 41. a. 4. com.*

53. Deniquehis addo: Originibus constitui vel distingui personas non formaliter & intrinsecè, sed vel à posteriori quasi; vel per modum viæ tendentis ad personas. Ita S. Thomas *a* & communis. Ratio ipsius est. Quia si de origine actiua loquamur respectu personæ producentis, hæc prior est ratione, quàm origo, v.g. pater, quàm generatio. Si autem loquamur de processione actiua, aut etiam passiua respectu procedentis; hæc ratione posterior est origine; cum origo sit quasi via & tendẽtia ad talem personam: sicut etiam nec in rebus creatis terminus formaliter & intrinsecè constituitur aut distinguitur motu vel actione, seu etiam passione.

a *quæst.40. art.2.*

CAPVT IV.

De personis singulis in specie.

54. Patri proprium est, esse Principium omnium personarum procedentium. Quocirca etiam nonnunquam maior auctoritate, (salua semper æqualitate perfectionis & dignitatis) origo, fons, & principium Deitatis (impropriè) à SS.PP. vocatur *a*. Dicitur hoc nomen Principij in diuinis respectu creaturarum, & personarum ad intra procedentium analogicè *b*. Persona tamen procedens, non ideò dicenda est principiata *c*, vt erroris vitetur occasio. Nomen Ingeniti, quod patri nunc extra controuersiam tribuitur,

tur, bifariam accipi potest. Primò, vt ea negetur omnis processio, quo sensu est notio patris propria. Secundò, vt negetur sola processio per generationem, quo modo tribuitur aliquando etiam Spiritui sancto *d.*

a *Vide Vasq. d. 139. cap. 3. & thes. 32.* b *com. apud eundem c. 4. contra Gabr. &c.* c *S. Thom. q. 33. a. 1. com. contra Dur. 1. d. 11.* d *S. Thom. q. 33. a. 4. com.*

55. Verbum (à SS. Patribus *a* nonnunquam sermo appellatus) propriè dicitur de Filio *b*; nec vnquàm in diuinis nisi notionaliter accipitur; sicut & dicere *d.* Differt à verbo creato, quod non constituit Patrem formaliter & perfectè intelligentem. Quocirca nec Pater dicitur sapiens sapientia genita, nec simpliciter, intelligere Verbo *e.* quamquam rectè dici possit *f*, quamlibet personam & in se, & in essentia, & in alia quauis persona, se & omnia cognoscere, hoc enim nihil aliud est, quàm vnam cognoscere ex vi cognitionis alterius, ob connexionem vel identitatem. Verbum habet quidem respectum non solùm ad esse diuinum, sed etiam ad creaturas, sed modo diuerso, Harum enim & expressiuum seu repræsentatiuum, & operatiuum est; illius verò expressiuum tãtùm, sicut & non entium *g.*

a *Cypr. August. Hilar. Hieron. Lactant. Vide Torrem. q. 29. d. 6. a. 1.* b *S. Thom. q. 34. com. contra Dur. & Alogianos veteres.* c *S. Thom. ibid. com. contra eund. 1, d. 27. Capr. Ferrar.*

& ferè Val. quæst. 8. p. 1. d *S.Thom. ibid. com.* e *S.Thom. q. 37. art 2. com contra Vasq. d. 151. n. 22.* f *August. 15. Trinit. c. 14. Suar. l. 9. c. 10. n. 6.* g *S.Thom. q. 34. a. 2. com.*

56. Quandoquidem verbum procedit ex cognitione quidditatiua & comprehensiua, imò etiam intuitiua ipsius Dei, fatendum est, id procedere tum ex cognitione essentiæ diuinæ, & omnium attributorum absolutorum *a*, omniúmque personarum ac eorum quæ in Deo sunt formaliter *b*, tum ex ipsarum quoque creaturarum *c* scientia, non visionis tamen *d*, aut mediæ *e*, (neutra enim simpliciter necessaria est) sed simplicis intelligentię *f*. Jnde tamen non sequitur: Filium aut Spiritum sanctum, seu creaturas esse principium Verbi. Quia obiectum cognitum tunc tantùm est principium quo cognitionis, aut Verbi per illam producti *g*, quando cognoscens ab eo accipit cognitionem, ita vt sit obiectum non tantùm terminatiuum, sed etiam motiuum, quod in proposito non accidit.

a *com.* b c f *S Thom. q. 34. art. 1. & 3. Capr. Caiet. Torres. Ferrar. Val. Mol. Suar. l. 9. c. 4. 5. & 6. significat August. l. 7. Trin. c. 1. & 3. com. contra Scot. & ex parte Vasq. d. 42. c. 3. & 4. & d. 43. cap. 3.* d *cit. except. Val. quæst. 8. p. 2.* e *Suar. Vasq.* g *S.Thom. q. 34. a. 3. ad 3.*

57. Jmago in diuinis personaliter solùm dicitur *a*, cum sit de ratione imaginis, vt ab eo, cuius est imago, vel secundum esse reale, vel intentionale

tionale in mente artificis procedat, vt similis *b*; nempe ex ipsa vi processionis qua formaliter talis est *c*. Filius propriè est *d* imago Patris, Coloss.1. Hebr.1. & quidem solius, ac solus *e*; ob rationem antea dictam. Quocirca Græci quidam SS.PP. *f* olim Spiritum sanctum quoque appellantes imaginem, impropriè locuti sunt. Ratio imaginis non est proprietas distincta à Filiatione *g*.

a b *Aug. l.7. Trin.c.1. & S.Thom.q 35.a.1.com.* c *thes.31.* d *com.contra Dur.* e *com.contra Aureol.* f *B.Athan.Basil.Damasc.etc.* g *com.*

58. Nomen Spiritus sancti licet iuxta Etymologiam vocis sit commune omnibus personis, quin etiam si complexè proferatur, reipsa tribui soleat omnibus, tamen vt est vnum nomen incomplexum, vsu Ecclesiæ appropriatum est tertiæ personæ, quæ à voluntate, per modum amoris, adeoque impulsus cuiusdam vitalis procedit *a*. Et quia amor gratuitæ donationis ratio est, ideò appropriato nomine vocatur eadem persona sæpè etiam à SS.PP. & Ecclesia Donũ *b*; quod nomen respectu quidem donantis (Patris & Filij) nihil aliud denotat, quàm originem, respectu verò eius cui donatur (qualis est sola creatura intelligens) liberum ipsius vsum & fruitionem, aut saltem habilitatem ad ista. Conuenit Spiritui sancto ab æterno *c*, quia ad hoc satis est fuisse ab æterno destinatum ad donandũ.

a *S.Thom.q.36.com.* b c *S.Thom.q.38.*

59. Eadem persona vocatur etiam Amor *a* seu charitas 1. Ioan. 4. quamuis idem nomen sæpius etiam essentialiter accipiatur *b*. Sicut rectè dicimus, Patrem dicere verbo, vel Filio *c*, tanquam termino procedente, & dictione tanquam actu notionali se & creaturas *d*, ita etiam verè ac propriè dici potest, Patrem & Filium diligere (notionaliter pro actione, non essentialiter hac voce accepta) non solùm ipsa dilectione, sed etiam Spiritu sancto *e*, se & nos *f* juxta Augustinum *g* cum ait: *Spiritus sanctus est, quo genitus à generante diligitur, genitoremq́ suum diligit.*

a b c *S. Thom. q. 37. a. 1. & 2. com.* d *S. Thom. a. 2. com. contra Scotum 1. d. 32.* e *S. Thom. cit. a. 2. cum sua schola. Val. q. 11. p. 2. Vasq d. 151 & communiter antiqui DD. contra Dur. Torrem & Molin. cit. a. 2.* f *S. Thom. ibid. contra Scot. 1. d. 32.* g *l. 6. Trin. c. 5.*

60. Hæc denominatio partim intrinseca est, prout actionem amoris significat; partim quasi extrinseca, prout à termino producto desumitur. Eius rationem S. Doctor *a* assignat. Quia verbum significans actionem cum ordine ad definitum terminum; potest denominare agens non solùm replicando actionem per modum formæ, sicut dicimus ignem calefacere calefactione, arborē florere floritione; sed etiam cum replicatione termini, sicut dicimus ignem calefacere calore producto, aut arborem florere floribus. a *cit. q. 32. a. 2.*

61. Spi-

61. Spiritum sanctum procedere à Patre manifestum est ex scriptura Ioan. 15. vbi vocatur *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* A Filio procedere negauit olim Theodoretus *a*, cum adhuc Nestorianus esset, & iam aperto ac communi schismate & errore à quingẽtis paulo amplius annis *b* negant Græci. Contra scripturam, ex qua satis apertè contrarium deducitur Ioan. 16. *Omnia quæ habet Pater* (eo solo scilicet excepto, quo Filio opponitur, qualis non est spiratio) *mea sunt.* Et cap. 17. *Omnia tua mea sunt.* Ioan. 16. *Non loquetur*) Spiritus sanctus) *à semetipso, sed quæ audiet, loquetur, &c. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Quomodo, nisi quia & suum esse habet à Filio? Item Ioan. 15. & 16. Christus promittit se missurum Spiritum sanctum. Talis autem missio præter effectum temporalẽ quem connotat (qua de causa etiam ex tempore & nõ ab æterno dicitur in diuinis *c*) supponit processionem personæ missæ à mittente *d.* Denique Rom. 8. & alibi Spiritus sanctus vocatur spiritus Christi, aut Filij, ad quem proinde dicit relationem, non diceret autem nisi ab eo procederet.

a *Impugnat. 9. anathem. apud Cyrill.* b *Bellarm. lib. 2. de Christ. cap. 21. Valent. q. 10. p. 2. Vasq. d. 146. cap. 1.* c d *S. Thom. quæst. 43. art. 1. 2. & 8. com.*

62. Eadem veritas comprobata fuit in Concilio Ephesino, vbi refertur epist. Cyrilli, in qua apertè dicitur: *Spiritus veritatis nominatur, &*

est Christus veritas, & effunditur ab eo, sicut & ex Deo Patre. Alia versio *b* habet: *Sed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Quibus consentiunt plura alia Concilia *c*, & clarè S. Athanasius in symbolo malè suo auctori à græcis detracto; vbi dicitur: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Nec dissentiunt alij PP. antiquiores ex Græcis *d*, (de Latinis vix est controuersia) quanquam ij libentius dicant, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, non solùm vt significent, Filium à seipso vim spirandi non habere, sed etiam quia præpositio a, siue ex, græcis *e* rationem primi principij, quod non est ab alio, solet denotare. Jn quem modum Damascenus *f* (quem & ipsum tamen velut hac parte errantem retulit S Thomas *g*) iure ab illo græcorum errore potest vindicari *h*. An etiam Euthymius & Theophylactus *i*? non audemus asserere.

a *tom. 1. c 14.* b *in edit. Conc. Ephes. ex vers. Peltani.* c *Chalced. act. 5. & 6 Synod. 6. act. 17. & 7. Synod act. 8. & Conc. Later. sub Innoc. III. & Lugdun. sub Gregor. X. c. 1. de sum. Trin. & Flor. sess. 6. & 7.* d *vide Manuel. Calec. libris 4. contra græcorum errorem.* e *Vasq. d. 146. c. 7. ex Bessarion. Card. & Conc. Florent.* f *l. 1. orth. fid. c. 11.* g *q. 36. a. 2. ad 3.* h *Vasq. l. c. & Suar. l. 10. c. 1. num. 13.* i *affirmat Vasq. negat Suar. l. c. & com.*

63. Nec deest huic veritati ratio, cum & in nobis

nobis amor suo modo procedat ex verbo seu notitia præuia, & in Filio sit virtus perfectè spirandi cum requisita conditione iuxta thes. 47. Vt nō immeritò proinde in Ecclesia Latina hæc veritas ipsi quoque Nicæno symbolo fuerit inserta, ne videlicet nouus græcorum error, si manifesto symbolo non repudiaretur, securius ac latius per Ecclesiam grassari posset, frustra interim hoc factum calumniantibus græcis, cum etiam Concilium Constantinopolitanum I. ad illa verba eiusdem symboli, *Et in Spiritum sanctum*, addiderit *& viuificantem, qui ex Patre procedit*. Sicut & Chalcedonēse postmodum eidem addidit quædam & detraxit; nec vllo iure negari possit, summo Pontifici pro temporum opportunitate, & noua erumpentium errorum importunitate, salua priori fide, symbolum explicatius tradendi potestas *a*. Et quamuis non ita constet, quando, & à quo Pontifice primum facta sit hæc additio *b*. (Caleca *c* eam Damaso Pontifici tribuit) in Concilio tamen VIII. Toletano, & in VII. Synodo *d* receptam fuisse palam est, quanquam nec post exortum quidem Græcorum schisma Latini græcos, etiam in communionem receptos, cogere soliti sunt ad hanc additionem symbolo inserendam *e*.

a *S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 9. & 10. Calec. l. 4. contra Græcos.* b *Vide Bell. l. 2. de Christ. c. 21. Vasq. Suar. suprà* c *l. 4. contra Græcos, negante id Bell. l. c.* d *act. 7.* e *Calec. cit. l. 4. pag. 309.*

64. Spi-

64. Spiritus sanctus procedit immediatè à Patre & Filio; ab illo tamen etiam *a* mediatè. Ratio est. Quia vterque in se formaliter habet virtutem spirandi, qua nullo alio medio interueniente spirat. Pater tamen etiam quia communicat virtutem spirandi Filio, ideo dum Filius spirat, etiam ipse mediatè spirare dicitur. Qua de causa etiam rectè dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre per Filium *b*, & ab illo nonnunquã etiam principaliter *c*, vel vt quidam dixerunt *d*, principalius; sed parũ imitãdo exemplo *e*, ne ipsa virtus spirandi in vtroq; inæqualis existimetur.

a *S.Thom q.36.art.3.com.* b *com.PP.præsertim græc.* c *apud S.Thom.c.a.3.* d *Bonau.Marsil.* e *Vasq cit.a.3.*

65. Pater & Filius non sunt duo spiratores, vt quidam dixerunt *a*, sed vnus spirator *b*, seu vnum principium Spiritus sancti, non duo *c*. Hęc enim nomina cum substantiua sint, pluraliter non dicuntur, nisi forma multiplicetur; quæ in proposito est virtus spirandi, ex omnium sententia, vna & eadem numero existens in Patre & Filio. Duo spirantes rectè dici possunt *d*. Quin etiam Spiritus sanctus per se, & ex sua ratione deposcit sibi ex parte principij duas personas *e*, quandoquidem procedit non simpliciter vt amor, sed vt amor mutuus, ac vnitiuus duorum *f*, adeoque velut amor amicitiæ Patris ac Filij.

a *Dur.1.d.29.Arrimin.d.12.fauet Hilar.l.1.de Trin.* b c *Conc.Florent.decret.vnion.& Lugdun.*

dun. de sum. Trin. in 6. S. Thom. q. 36. a. 4. com. d *S. Thom. l. c. ad 7. com.* e f *S. Thom. cit. q. 36. a. 4. com. & significant SS. PP. contra Scot. 1. d. 12. & ferè Dur. Gabriel, &c.*

66. An ab illis procedat, vt plures sunt & distinctę, controuertitur. Et sunt, qui putent *a* Patrem & Filium spirare, vt sunt vnum quoddam indiuiduum (addunt nõnulli *b* subsistens) constitutum ex essentia & relatione spirationis actiuæ, quod sit prius origine, quàm persona Spiritus sancti, & immediatũ eius principium quod; sicut tres personæ sunt vnum principium creaturarum, vt sunt hic Deus. Sed quia Pater & Filius etiam seclusa relatione spirationis personæ sunt, habentes non solùm vim spirandi completam *c*, sed etiam conditionem ad spirandum requisitam *d*, non est cur relatio spirationis seu principium quo, seu conditio ad spirandum requisita dicatur; præterquam quod nos communem aliquam in personis subsistentiam (quæ tamen in agente principali requiritur) non agnoscimus *e*. Quocirca verius existimamus, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, vt sunt plures, & inter se distinctæ *f* personę; & quidem per earundem rerum amorem, per quarum notitiam *g* procedit à Patre verbum.

a *Val. q. 10. p. 4. Molin. q. 36. a. 4. d. 2. fauet Vasq. d. 156. n. 11. & d. 149. n. 10. post Occam. Gabr.* b *Molin. l. cit.* c d *thes. 27. 28. & 47.* e *thes. 19.* f *S. Tho. q. 36. a. 4. cum asseclis. Suar. l. 10. c. 4. &c.* g *th. 56.*

67. Ex

67. Ex quibus etiam colligere est, pro quo supponat spirator, seu vnum principium spirationis. De qua re sunt admodũ varij modi loquendi *a*. Breuiter dicimus, si spirator accipiatur pro illo principio, quod non solùm includat totam virtutem spirandi, sed etiam omnem conditionẽ adæquatè necessariam in tali principio (quales sunt paternitas, & Filiatio simul prout dictum *b*) sic supponit pro Patre & Filio simul *c*; Si verò accipiatur simpliciter pro habente vim spirandi, cum conditione ex eius parte requisita ad spirandũ, tum supponit indefinitè, pro subsistente in hac virtute spirandi, ita vt ex parte virtutis dicat singularitatem, ex parte verò subsistentiæ confusè ac indeterminatè dicat subsistẽs in illa virtute, cum conditione sufficiente ad spirandum, adeoque personam habentem talem virtutem ad spirationem *d*; qua ratione potest de Patre & Filio tam simul, quàm sigillatim prędicari.

a *apud citatos* b *thes. præcedenti.* c *S.Thom. cit. a.4. ad 4.* d *Suar. l.10. cap.7. n.6.*

68. Quæstio illa, anne Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet, triplicem potest habere sensum. I. Vt non obstante illa hypothesi supponantur personę Filij, ac Spiritus sancti prorsus esse eædem, quæ nunc sunt, hoc solùm excepto, quòd vna non procedat ab altera; & hic sensus ridiculus est *a*, & vtramque contradictionis partem admittit. II. Vt suppo-

natur

natur quidem, Spiritum sanctum nihilominus esse ac procedere à Patre, non tamẽ determinatè eiusdem omninò rationis & modi personam, sed ab hoc in quęstione abstrahatur. III. Vt nihil eorum supponatur, sed solùm facta illa hypothesi, negante processionem à Filio, quæratur, an & quales tunc illæ personæ futuræ essent, iuxta ea, quæ siue ex naturali ratione, siue ex reuelatione de Deo, & diuinis personis nouimus. Et vtroque hoc sensu quęstio hęc etiamnum inter doctos salua fide *b* disputatur.

a *Suar. Val. infr.* b *Vasquez. d. 148. contra nonnullos.*

69. Affirmatiuam nonnulli tuentur *a*, eo potissimũ fundamento, quia de facto Filius distinguitur à Spiritu sancto per filiationẽ, per quam in ratione talis personæ constituitur; maneret autẽ tunc non minus Filius, quàm nunc est, &c. Sed negatiua *b* vti communior, ita etiam multò verior est. Tũ quia tam de ratione Spiritus sancti est, vt procedat à Patre & Filio; quàm de ratione Filij, vt ab eo procedat Spiritus sanctus. Tum quia quantum ex ratione naturali & reuelatione scimus, in diuinis omnia vnum sunt, vbi nõ obuiat relationis seu originis oppositio. Accedit Concilium Florentinum *d*, dum ait, *Nam credentes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant, Spiritum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.*

Ex

Ex quo etiam cadit contrariæ sententiæ fundamentum.

a *Gandauens. quodlib. 5. quæstion. 9. Scot. 1. d. 12. quæst. 2.* b *S.Thom. quæst. 36. artic. 2. Bonauent. Durand. Ægid. Heruæus Marsil. Capreol. 1. d. 17. Ferrar. Caiet. Zum. Val. quæst. 10. part. 3. Suar. lib. 10. cap. 2. Vasquez. d. 148. Molin. quæst. 36. artic. 2. d. 3.* c *thes. 67.* d *sess. vlt.*

F I N I S.

LIBER II.

In I. II. ſancti Thomæ.

Diſputatio Theologica I.

DE ACTIBVS HVMANIS IN GENERE.

Propoſita Ingolſtadij anno M. DC. XVIII.

PRæſens hæc Diſputatio de Actibus humanis quatuor capitibus abſoluetur. I. Aget de Actibus humanis ſecundum ſe, adeoque de voluntario, libero, & inuoluntario. II. De diuiſione actuum humanorum, eorumq́; ſubordinatione & cauſſis. III. De eorundem bonitate & malitiâ. IV. De ratione ſiue conſcientiâ, itemq́; de lege ac voluntate diuinâ, quatenus regulæ ſunt bonitatis earundem actionum.

CAPVT I.

De Actibus humanis secundum se, deq; voluntario, libero, & inuoluntario.

THESIS PRIMA.

HVmana actio Theologis dicitur, non omnis, quæ ab homine, sed quæ ab eo voluntariè & liberè fit *a*, idemque proinde in homine est, quod actio moralis, seu voluntaria & libera. Voluntarium dicitur *b*, quod est aliquo modo à voluntate. Differt à volito, quod obiectum omne voluntatis significat, etiamsi à voluntate non sit. Latiùs patet spontaneum, quod ab Aristotele *c* dicitur, *Cuius principium est in eo, quod agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit.* Errauit Almain *d* voluntarium in genere definiens id, quod omnibus præuiis & requisitis positis, est in potestate agentis. Hæc enim descriptio non est voluntarij absolutè, sed liberi.

a *S.Thom.1.2.quæst.1.a.1.* b *S.Thom.1.2.q.6.a.3.* c *3.Eth.c.1.* d *1.Moral.c.1.*

2. Est autem libertas actus nec propriè relatio rationis; conuenit enim actui etiam absque operatione intellectus; nec vitalitas, aut modus realis intrinsecus actui *a*, cùm actus intrinsecè non mutatus ex necessario fieri possit liber; & vitalitas sit communis conditio omnium actuum, quos anima elicit, etiamsi liberi non sint; sed denominatio extrinseca ab ipsâmet indifferentia agendi potentiæ liberæ *b*, quatenus scili-

scilicet voluntas, quæ sola formaliter libera est, præuia attentione rationis, & consideratione obiecti in vtramque partem, vtramuis sequi potest. A libertate non differt moralitas c; nisi in ratione significandi; Dicitur enim actus moralis à more; quem eatenus conciliare potest, quatenus liberè exercetur; bestiis enim assuetudinem tribuimus, non mores. Frustra proinde aliqui dixerunt moralitatem, aut esse modum quendam liberæ actionis, à libertate reipsa distinctum d, aut denominationem extrinsecam, quę dicatur regulabilitas per rationem e, aut ipsam entitatem actus prout à volũtate & ratione humana procedit f, aut relationem realem vel rationis; quibus positis vel non est, vel sine quibus est actus moralis.

a *Cont. Zumel. 1.2.q.71.a.6.d.20.* b *Scot. 2. d 40. q.5. & quodlib.18. Dur. 2. d.38.q.1. & 3.d.23. q.3. Suar. metaph. d.10.f.2. Vasq. d.55.nu.13.* c *S.Thom. q.1.a.1. Scot. Dur. l.c. Henric. quodlib.13.q.10. Suar. l.c.* d *Caiet. q.49.a.1. Zum.* e *Vasq. q.73.n.43.* f *Val. q.13.p.1.*

3. Voluntarium aliud a tale dicitur directè seu formaliter & explicitè; quod videlicet per se & positiuè à voluntate procedit. Aliud est tale solũ indirectè seu interpretatiuè ac implicitè, quod solum per accidens & quasi negatiuè ab ea procedit, eo quod voluntas potuit & debuit illud impedire, siue in se, siue in sua caussa, nec tamen impediuit. Illud intrinsecè ac formaliter includit

actum, hoc non item *b*. Quocirca verius est peccatum omissionis, absolutè ac physicè loquendo, non autem moraliter & ordinariè *c*, esse posse etiam sine omni actu, qui sit caussa vel occasio illius; etsi non possit esse sine actu, aut quasi actu concomitante, per se, vel ex circumstantiis incompossibili cum executione præcepti; nec sine deliberatione rationis ad peccatum sufficiente, de qua infra *d*. Quod potuit quidem, sed non debuit impediri, propriè moraliter non est voluntarium *e*; nisi quis dicere velit, omnia peccata Deo esse voluntaria, quia omnia cauere potest.

a b e *S.Thom.q.6.a.3.* c *S.Thom.q.71.a.5.d.thes. 42. & 43.*

4. In brutis *non reperiri voluntarium secundum rationem perfectam, sed imperfectam*; dictum *a* S.Thomæ est: quod nos sic intelligimus *b*, simpliciter in illis non reperiri, sed tantum secundum quid & analogicè; quia non est in brutis voluntas: nisi voluntarium pro spontaneo impropriè accipiatur, quod eis rectè tribuitur *c*. Hoc certius, liberè voluntarium brutis deesse; quo sensu alij *d* dictum S.Thomæ interpretantur; quia nec perfectam habent finis cognitionem *e*, nec propriè propter finem agunt *f*. De fide est, nō habere libertatem circa bonum honestum vel turpe, quà talia sunt, cum eam boni vel mali rationem ne cognoscant quidem.

a c *S.Thom.q.6.a.2.* b *Caiet.ibid.a.1.Summator*

tor Concl. S. Thom. cont. Conr a.2. Vasq. d.23. c *Aristot. 3. Ethic. 1. & 2. Vasq. l.c.* d *Vasq. l.c. Val. q.1. p.2.* f *S. Thom. q.1. a.2.*

5. Voluntario opponitur violentum, quod definitur *a* esse *à principio extrinseco passo non conferente vim*, intellige, ita vt sit contra intrinsecum & naturalem impetum passi *b*. Differunt necessarium, violentum, coactum, vt superius ab inferiori *c*. Omne enim coactum est violentum, & omne violentum necessarium, sed non contra: quia coactum respicit agens per cognitionem; violentum abstrahit. Paulò verò aliter se habet inuoluntarium *d* positiuè & propriè acceptum. Aliqua enim ex parte latiùs patet, quàm violentum; Primi enim motus appetitus sensitiui sæpè sunt inuoluntarij, & tamen non sunt violenti. Ex alia parte minus latè patet, quã violentum; quia inuoluntarium respicit agens per voluntatem, violentum & coactum non item.

a *Arist. 3. Eth. cap. 1. Nyss. seu Nemes. l.5. phil. c.1. Damasc. l.2. de fide c.24.* b *iuxta Arist. l.2. Eth. Eudem. c.9. com.* c d *vide Vasq. d.25. c.1. & d.27. c.1. post Nemes. Damasc.*

6. Voluntas quoad actus suos elicitos non potest cogi, seu vim pati, etiam de potentia Dei absoluta *a*: Quid enim magis voluntarium atque à principio intrinseco, quàm volitio seu nolitio? Esto etiam necessitet *b* Deus hominem ad actum odij suiipsius, contra naturalem eius inclina-

clinationem tum innatam, tum elicitam; modo hoc ipsum odium sit verus actus ipsius voluntatis; imò etiamsi per impossibile eam denominans ab ea non procedat: etsi quidam absolutè concedant *c* voluntatē in eiusmodi actibus hic & nunc reipsa à voluntate non elicitis vim pati aut à Deo cogi posse. Quoad cessationem ab actibus elicitis cogeretur negatiuè quasi voluntas *d*, si Deus denegando v.g. concursum impediret voluntatem videntis Deum, ne eliceret actum amoris, ad quem est alioqui eo casu necessariò determinata.

a *S.Thom.q.6.a.4. com.DD.in 2.d.25. & in 4.d.29.* b *Val.q 1.p.1.Vasq.d.26.c.2.* c *Angest.& alij apud eundem.* d *Val.Vasq.l.c. & recent. post Dur. Almain.*

7. Quoad actus imperatos potest voluntas cogi ac vim pati tum negatiuè, tum positiuè *a*. Nec placet modus loquendi quorundam, qui dixerunt *b* creaturam non posse vim pati à Deo; quasi verò si quis manibus ac pedibus renitens, sursum aut deorsum rapiatur à Deo (vti fieri posse nemo negat) vim non patiatur. Coactus videre vel audire quod nollet, cogitur quidem *c* quoad ipsam applicationem sensus, quæ fit per motum localem, sed non propriè ac immediatè *d* quoad ipsam sensationem; vt quæ nihilominus absolutè ac simpliciter est à principio intrinseco, ac proinde non tam violenta, quàm inuoluntaria.

a *S.Thom.*

a *S.Thom.q.6.a.7.* b *Conr.q.6.a.4.Caiet.3.p.q.83.a.1.* c d *vide Sot.in 4.d.25.quæst.1.art.1. Vasq.d.26.c.3.*

8. Violentia causat inuoluntarium etiam contrariè *a*. Vnde nec formalem idololatriam committit, qui coram idolo per vim humi sternitur, quasi ad honorem ei deferendum: nec formale homicidium, cuius manus vi rapiuntur ad necem alteri inferendam; nec formale stuprum, aut vllam omninò virginitatis laureæ iacturam facit virgo, quæ vi opprimitur *b*. At si quis hæc, aut quiduis aliud patiatur ab extrinseco volens, aut certè non inuitus, id violentum non erit, nec in obiectis prauis rationem culpæ effugiet. Imò in eiusmodi casibus, ad rationem voluntarij, adeoque culpam euitandam, etiam corporis conatu ac renisu, si commodè fieri possit, vel clamore excitato, resistendum externæ violentiæ esse *c*, & ratio conuincit, & exempla Sanctorum docent.

a *S.Thom.q.6.a.5.Arist.3.Eth.c.1.com.* b *vide August. de ciuit. Dei c.18.* c *vide Azor lib.1. c.9.q.3.*

9. Secundus voluntatis hostis est metus, sed nō planè capitalis; nā id quod fit ex metu, est voluntarium simpliciter *a*, inuolūtarium autē secundum quid; adeoq; magis voluntarium quam inuoluntarium *b*. Est enim voluntarium volūtate absoluta & efficaci; repugnat verò volūtati tantum cuidam inefficaci & cōditionatæ. Estq; hæc

 forma-

tium altero iniuſtè iniectus cauſam contractui dederit. Tunc enim, quia ob interuenientem accipientis iniuſtitiam ius nullũ creatur, nec poſſidendi aut retinẽdi, nec vtendi re per talem contractum accepta, ipſaque eius rei acceptio quoad ſubſtantiam, & ex parte ipſius obiecti iniuſta eſt, ipſo iure naturali, & in foro conſcientiæ, tales contractus, non minus, quàm promiſſa inania eſſe cenſemus *b*: Vtcumque ſubinde, quaſi fictione quadam iuris valida *c*, ac per Iudicem irritanda ſignificentur.

a *Dur. Palud. Sot. 4. d. 29. Arrag. 22. q. 88. art. 3. Silueſt. V. matrim. 8 q. 11. Armil. n. 41. Nauman. c. 22. n. 51. Carb. q. 46. Val. de matrim. q. 3. p. 2. P. Led. q. 47. a. 3. Vaſq. d. 27. à num. 19. Henric. l. 11. c. 9. n. 5. contra Scot. Bonau. Gabr. 4. d. 29. Couar. epit. 4. p. 2. c. 3. §. 5 n. 6. Molin. de iuſt. d. 326.* b *Sot. l. 6. de iuſt. q. 6. a. 4. & l. 8. q. 1. a. 7. Mol. d. 326 Carb. q. 46. de reſtit. Sa. V. contractus n. 7. poſt Panorm. Barthol. contra com. Iuriſperitorum.* c *iuxta l. 1. ff. Quæ ſent. ſine appellat. reſcindantur.*

11. Concupiſcentia appetitus ſenſitiui, quamuis antecedens voluntarium abſolutè dictum p ſe nec tollit, nec minuit; ſed facit, aut auget *a*; liberum autem voluntarium minuit *b*; & per accidens nonnunquam, ſi auferat vel impediat liberũ rationis vſum, omninò tollit *c*; quandoq; etiam ex accidenti cauſat inuoluntarium ſecundum quid, vt ſi quis concupiſcentia correptus,

vt amore potiatur, heri ædes etiam cum timore mortis perfringat.

a *S.Thom.q.6.a.7 post Arist 3.Eth 1. Nyss.l.5. de phil.c.1. Damasc.l.2.de fide c.24 com.contra Vasq.d.28.c.2 & 3.* b *S.Thom.q.77.a.6.com.* c *S.Thom.cit.q.6.a.7.*

12. Etiam ignorantia quandoq; voluntati aduersatur, quod his tribus regulis patescit. 1. Ignorantia concomitans, siue sit iuris, siue facti, non facit quidem contrariè seu positiuè inuoluntarium ipsum opus, quod comitatur *a*; facit tamẽ non volitum, seu non voluntarium negatiuè *b*; quo fit vt opus etiam externum à peccato excusetur *c*, nisi forte ea ignorantia simul sit etiam consequens seu voluntaria *d*. 2. Ignorantia verò antecedens, siue caussa actus, & simul consequens seu voluntaria (siue directè siue indirectè) seu Iuris illa sit, seu facti, facit quidem illud quod fit ex tali ignorantia inuolũtarium secundum quid, sed non simpliciter *e*; Cum maneat simpliciter voluntarium, saltem indirectè *e*: vnde nec à peccato excusat *f*. 3. Ignorantia antecedens respectu vtriusque tum operis, tum voluntatis, reddit subsequens opus simpliciter inuoluntarium *g*, in quantum fuit ignoratum; adeoque prorsus à peccato excusat *h*. Potest absolutè peccatum contingere sine omni intellectus iudicantis vel imperantis errore; vel defectu ignorantiæ, inaduertentiæ seu inconsiderationis *i*.

abeg

a b e g *S.Thom q.6 a.8.post Arist. Damasc l.c. Nyß.l.5. c.2.com.* c *Medin.q.76 a.3.4. Zum. d.3 Angl 2.d.22 q.2. Val.de pec.q.6.p.3. Vasq. d.125 c 2. cont Caietan. Cord.* d *Val.q 6.p.6. Vasq.d.29.n.7.8.* f h *S.Thom.q.76. a.3.com.* i *Scot.3.d 36.a.2. & 2.d.6.a.2. Gab. Bassol. Adrian. Cord l.2 q.13. Suar. Metaph.d.19.s.7. cont. Capr.3.d.36.q.1. Caiet. Conrad. Medin. q.77.a.2. Val. de pecc.q.8.p.1. Vasq.d.128.c.5.*

CAPVT II.

De diuisione actuum humanorum, eorumq́ connexione, subordinatione & caussis.

13. Actus voluntatis alij dicuntur eliciti, alij imperati. Eliciti quidam in prosecutione consistunt, alij in fuga, ex illis rursum alij versantur circa finem, alij circa media. Prioris generis tres numerantur *a*, videlicet simplex voluntas seu amor finis vltimi, vel particularis; quæ absolutè etiam & strictè voluntas dicitur *b*; intentio, seu voluntas efficax finis obtinendi, in sola itidem voluntate posita *c*, & fruitio finis obtenti; perfecta quidem respectu finis vltimi ac reipsa possessi, imperfecta autem respectu finis particularis, aut non reipsa, sed sola cogitatione præsentis ac possessi *d*. Aiunt quidam *e* fruitionem esse amorem; nonnulli amorem simul cum delectatione; non nemo *f* ipsam visionem quatenus volita;

volita: Sed verius est, solam esse delectationem *g*. Delectatio de particulari, quaque virtute & honesto, actu non relato in vltimum finem, respectu vltimi finis, non est *h* medius quidam actus inter fruitionẽ & vsum, sed ipse vsus *i*; ad quem sufficit habitualis seu virtualis relatio ad vltimũ finem. E contra peccatum veniale, cum nec habitualiter quidem ad vltimum finem referatur, semper imperfectam alicuius creaturæ fruitionem *k* continet.

a *S.Thom.1.2. q.8.11.12.13.* b *S.Thom.q.8.art.1.* c *S.Thom.q.12. art.1. cont. Bonauent. 2.d.38.* d *S.Thom. q.11.a.4.* e *Scot. Rich.1.d.1.* f *Sot. in 4.d.49.* g *S.Thom.q.11.a.1.& 3.* h i *Arim. 1.d.1. Caiet. init. q.8. ex S. August.1. de doctr. Christ.c.37. contra Scot. Occam. Maior. Gab. Aureol.1.d.1.* k *Vasq.d.48. num.1. ex mente S. August.l.c.*

14. Circa media versantur *a* electio (quam præcedit consilium, ad prudentiam seu Eubuliam pertinens) consensus, & vsus, quem præcedit imperium *b*. Electio propriè & secundum vim nominis locum non habet *c*, vbi vnicum tantum occurrit medium, etsi interim hic actus essentialiter ab electione non differat. Vniuersim versatur circa ea, quæ sunt ad finem *d*, qualia sunt tum ipsa media vtilia ad finem; tum ipse finis contractus in materia singulari *e*, seu quod idem est, materia particularis continens in se honestatem cuiusque virtutis, respiciens finem absolutè

ſolutè ſpectatum tanquam quiddam ſub eo collocatum; vt eſt reſpectu moderatæ refectionis ſecundum ſe & abſolutè ſpectatæ, hæc moderatæ refectionis quantitas; nam & de hac eſt conſilium. Ipſius finis particularis abſolutè ſpectati *f* non eſt electio, niſi vt medium eſt ad finem vlteriorem. Poteſt voluntas ex duobus mediis æqualiter propoſitis alterum; vel ex inæqualiter propoſitis minus eligere *g*. Suppoſita intentione finis neceſſariò eligitur *h* medium, quod vnicum occurrit. Poſſunt vno & eodem actu *i* appeti media propter finem; vti & finis per media; ſicut eodem actu viſionis videtur color & lumen; eodem actu fidei creditur res reuelata & reuelatio; Eodem actu amicitiæ amatur amicus & bonum amico: & priori caſu nihilominus ſimpliciter dicetur electio, poſteriori intentio.

a *S.Thom.q.13.* b *S.Thom.q.17.a.3.ad 1.* c *S.Tho. q.15.a.3.ad 5. Vaſq.d.43.nu.10.contra quoſdam recent.* d e *S.Thom.q.13.a.3.ex Ariſt.6. Eth.c.12.* f *vide Vaſq.d 41.c.4.& q.13.art.3.* g *Henric. quodlib.1.q.16.Rich.Maior.2.d.38. Marſil.2.q.16.a.4. Caiet. Med.q.16.a.6.cont. Arim.1.d.40.& 41.Conr.q.13.a.6.Vaſq.d.43. c.2.* h *S.Thom.q.13.a.6.ad 1.& 2.com.contra Nominales.* i *S.Thom.q.8.a.3.com.cont.Arrim.Marſil.Vaſq.d.38.c.2.*

15. Conſenſus hoc loco *a* eſt actus voluntatis circa media, ſeu materiam particularem finis, connotans actum intellectus, cui conſentire volun-

voluntas dicitur. Habet se ad electionem sicut amor seu simplex volūtas finis ad intentionem, cum nec per se efficax sit, & natura prior electione. Potest ex æquo esse de omnibus mediis propositis, & de vnico; item tam de actu ipso, quàm delectatione circa actum *b*. Vsus hic est actus voluntatis elicitus *c*, applicans alias potentias ad operandum, seu executionem eorum, quæ sunt ad finem *d*; actus proinde medius *e* inter electionem & executionem circa idem obiectū; immeritò à nonnullis *f* reiectus: qui vsum solum passiuum admittūt, seu operationem ipsius potentiæ executiuæ, quasi electionem voluntatis immediatè consequentem; cum par sit in homine (quicquid sit de brutis) potentias executiuas ad executionem non progredi, nisi specialim iubente quasi ac mouente voluntate.

a d *S.Thom.quæst.15.16.* b *S.Thom.q.15. art.4.* c *S.Thom.q.16.a.1.com.* e *S.Thom.q.16.a.4.* f *Vasq.eod.a.4.& d.47.n.7.*

16. Cum imperij actus generatim nihil aliud sit, quàm insinuare seu intimare voluntatem superioris inferiori, seu proponere aliquid inferiori faciendum ex voluntate superioris; ad eum modum, quo oratio dicit intimationem affectus alicuius inferioris erga superiorem, fatendum est eum directè esse actum non voluntatis, sed intellectus *a*. Quem licet quidā existiment *b* nec esse simplicem apprehensionem, nec compositionem vel diuisionem, nec discursum; sed

alium

alium actum, qui exprimitur per imperatiuum *Fac hoc*; verius tamen est, esse actum iudicij *d*, quo intellectus in se exprimit affectum voluntatis, velut superioris, ad aliquem inferiorem. Tum quia Aristoteles *c*, ac ipsa ratio naturalis non agnoscit, præter tres illas operationes intellectus possibilis, aliam; tum quia nulla est eius distincti actus necessitas. Prout autē imperium dicit peculiarem actum humanum cuiusque ad seipsum (quem sine caussa nonnulli negant *e*) est iudicium practicum de ipsa executione electi iam medij *f* per potentias executiuas, mediante voluntatis actu, qui vsus dicitur, facienda, proprius & elicitus (in honesta materia) actus prudentiæ *g*.

a *S.Thom. q.17. a.1. com. contra Henric quodl. 6. q.6. Ioan. Med. Cod. de pœnit. tr. 6. c. 2. & Nominales.* b *Val. q 12. p. 1. fauet S.Thom. q.17. a.1. sed explicatur vt infra.* c *lib. 1 de interpret. c. 1.* d *Cordub. lib. 2. q. 10. Suar. metaph. d. 19. s. 7. Vasq. d. 49. n. 14. conform. S.Thom. l. c. & 2.2. q. 83. a. 1.* e *Vasq. d. 49. c. 4. cont. com. Arist. 6. Eth. 10. & 12. S.Thom. q.17. a.1 & 2.2. q. 83. a. 1.* f *S.Thom. q.17. a.3. ad 1.* g *S.Thom. q.57. a.6. com. vide Vasq. d. 49. c. 5.*

17. Etenim intellectus statim atque electio facta est *a*, ex naturali potentiarum sympathia & connexione, tum eam ipsam electionem apprehendit, & vt iam factam voluntati comprobandam denuò offert, tum etiam, quod proprium impe-

imperij eſt, medium illud per potentias ſubordinatas iudicat executioni mandãdum eſſe, adeóque reipſa faciendum, quod electum eſt; non quidem hoc ſenſu, vt ea verba ſignificent aut ſolam futuritionem rei, hoc enim impertinens eſt; aut debitũ alicuius legis & honeſtatis; hoc enim in rebus prauis fidei aduerſaretur: ſed tum neceſſariam conſecutionem vnius ex alio, puta neceſſariam connexionẽ ſubſequentis operis cum priori propoſito ſeu electione, tum abſolutam quaſi hominis reſolutionem in ipſamet electione poſitam. Et quia imperium ſupponit actum voluntatis *b*, fieri non poteſt, vt ad omnem actum voluntatis præ requiratur *c*; idq́ue etiam ne vel detur proceſſus in infinitum, vel in operando tollatur libertas. Jmò imperium, quia ſolum ad inferiorem eſt, propriè locum non habet *d* reſpectu actuum ipſius voluntatis aut rationis, ſed impropriè tantum. Ex quibus omnibus hic ordo actuum humanorum, hactenus recenſitorum, iuxta mentem S. Thomæ, & veriorem ſententiam, conſtituendus eſt *e*; vt primus, ſuppoſito proportionato iudicio intellectus, ſit ſimplex amor finis. 2. Intentio. 3. Conſilium. 4. Conſenſus. 5. Electio, ſupponens iudiciũ de vno medio cęteris anteponendo (quod non niſi impropriè dici poteſt imperiũ) *f*. 6. Imperium. 7. Vſus. 8. Executio medij. 9. Fruitio finis obtenti.

a *Vide Suar. cit. d. 19. ſ. 7. nu. 12. & 13.* b *S. Thom. q. 17.*

q.17.a.1. c *Suar.d.19.ſ.7.n.12.Vaſq.d.44.c.1. iuxt.S. Thom.l.c.cont.Val.4.p.1.* d *S.Thom. q.17.a.5.* e *colligitur ex dictis & S.Thom.ll. cc.etſi nonnihil varient Val.q.12 p.5.& Vaſq. q.17.a.3.* f *S.Thom.q.17.a.5.& 6.*

18. Nulla voluntas *a* eſt mali, ſub ratione mali, nec vlla fuga ſeu odium boni ſub ratione boni: idque etiam cum nobis aut aliis volumus malum vt malum *b*, ſpecificatiuè loquendo. Nulla etiam electio *c*, aut vlla voluntas efficax impoſſibilium; ſi pro talibus certò habeantur; ſed ſimplex tantum aquamuis abſoluta *d*: ſecus ſi dubitetur, aut timetur ſolum, eſſe impoſſibile *e*. Nihil etiam volitum niſi ab intellectu cognitum ſub ratione boni aut mali *f*: ipſa videlicet cognitione ad volitionem concurrente ſolum per modum applicantis *g* obiectum; nullus proinde etiam amor quantumuis myſticus aut ſecretus erga Deum *h*, nulla ex parte intellectus conſideratione ſeu cognitione præuia & ſimul coexiſtente, quidquid ſit de potentia Dei abſoluta *i*.

a *S.Thom.q.8 a.1 ex Ariſt.l.3.Eth.c.4.& l.8.c.5. com.& SS.PP.contra Occam.& Nominales.* b *vide Vaſq.d.31.c.3.* c *Ariſt.3 Eth.c.2.Nyſſ. 5.phil.c.4. Damaſc.l.2 c.22. S.Thom.q.13.a. 5.com. contra Scot.Gab.Maiorem 2.d. 6.ſed ſolum in modo loquendi.* d *Ariſt. Nyſſ. Damaſc.ll.cc.com. contra Val.q.8.p.2. Ferrar.3. contra Gent.c.109.vide Vaſq d.42.* e *Fonſ.9. metaph.c.2 quæſt.5.ſ.6. Vaſq.d.42.n.9.com.*

 f *S.Thom.*

f S.Thom q.9.a.1 & 1 p.q.27.a.4.& de verit. q.22.a.12.com.cont. Angest.c.2. g S.Thom l. c com.cont. Marsil.Conr.Caiet. h S.Thom.q. 9.a.1.com.apud Vasq.d.35.c.2.contra Bonau. t.2.opusc.tr.de myst.Theol.& itiner.c.3.Vercell. in c.15. Dionys.de myst. Theol. Gerson.aphab.66.lit.B & T i Negat Vasq.num.11.post Palud.

19. Dubium est, vtrum in intellectu prærequiratur etiam complexum iudicium, an verò sufficiat simplex apprehensio. Quidam vniuersim iudicium requirunt *a*, fauente etiam nõnihil Aristotele *b*. Alij *c* ad deliberatos actus voluntatis requirunt, ad naturales non item. Nonnulli *d* ad actus quoslibet electionis, itèm spei & timoris: ad alios autem actus voluntatis circa finem, quantumuis liberos non item. Nobis aliter videtur distinguendum; videlicet ad simplices & inefficaces motus voluntatis, quantumuis liberos, non requiri *e*; ad efficaces quoslibet, præsertim deliberatos requiri *f*. Quandoquidem voluntas potest quidem, vti & appetitus sensitiuus, sola apprehensione rei conuenientis aut discõuenientis moueri ad simplicem actum fugę aut amoris: At verò vt efficaci actu moueatur voluntas, debet obiectũ ex parte intellectus proponi sub ratione etiam possibilis *g*. Idque eo modo, vt excludatur simul iudicium cõtrarium de impossibilitate rei; quod non fit nisi iudicio complexo. Neque plus ex Aristotele colligitur, quàm

quàm actum iudicij esse ex se aptissimum ad mouendam voluntatem: neque sine eo vllam volitionem efficacem esse; nec vnquam sufficere solam speculatiuam rei cognitionem, aut etiam apprehensionem sub ratione mali aut boni solum in abstracto, non respectu ipsius operantis.

a *Val. 4. p. 1. & quidam recent.* b *l. 2. de anim. t. 154. & 3 de anim. t. 30. & 46.* c *Thomistæ quidam recent. apud Vasq. d. 44. c. 2.* d *Vasq. l. c. c. 7.* e *Scot. Gabr. Maior. 2. q. 6. Marsil d. 16. a. 1.* f *significat Scot. l. c.* g *thesi præced.*

20. Etsi quidem intellectus, vt dictum, moueat voluntatem, nullum tamen bonum in hac vita voluntas appetit necessariò quoad exercitium actus *a*, nisi per accidens, ob defectum deliberationis *b*; proposito videlicet obiecto solum sub ratione boni, seu mali hic & nunc; vt fit in motibus primò primis seu indeliberatis, quales etiam infantibus & amẽtibus rectè tribuuntur *c*. Nec tamen ideò omnis prima voluntas finis est necessaria quoad exercitium, *d* quamuis omnis actus voluntatis necessariò sit aut liber, aut necessarius *e*. Cum moderatione superius dicta intelligendum, quod non nemo asseruit *f*, proposito etiamnum per intellectum obiecto quouis modo, ipsam voluntatem ex seipsa determinari ad volendum aut non volendum, eo quod contra quamcunque propositionem obiecti (nempe ex suo genere spectatam) possit voluntas sistere se, hoc est, non consentire & non

operari. Quoad ſpecificationem actus voluntas neceſſariò appetit *g* tam bonum in communi, & beatitudinem ſecundum ſe, ſeu in genere, ſeu in particulari ſpectatam; tum ipſum quoq; proprium eſſe, viuere, & intelligere, & ſimiles naturales hominis perfectiones, quamuis particulares *h*, ſecundum ſe itidem ſpectatas, vtpote in quibus nulla per ſe, & ab intrinſeco occurrere poteſt ratio mali. Cętera verò obiecta per ſe non item *i*.

a b *S.Thom.quæſt.10.a.2.& 3.com.* c *Val.q.4.p.1. Vaſq.d.13.a.2.n.15.* d *Suar.metaph.d.19.ſ.2. n.11.Vaſq.d.39.c.3.poſt Scot.Henric.Conrad. cont.Capr.Ferrar.Caiet.q.9.a.4.& q.10.a.2.* e *com.DD.& SS.Thom. apud Medin.q.10.a.2. contra Victoriam ibid. Fauet. Val.q.4.p.3.* f *Vaſq.q.9.a.1.n.35.* g i *S.Thom.q.10.a.1.& 2.& q.6.de malo art.vnic.& q.22.de verit. a.6.com.contra Nominal.* h *Val.q.5.p.1.& 2. Vaſq.q.10 a.1.cont. Suar.d.19.ſ.8.n.15.*

21. Sed & Deus voluntatem mouet, non ſolum obiectiuè vel moraliter per modum ſuadẽtis, allicientis, imperantis, &c. tum extrinſecè, tum etiam intrinſecè per internas inſpirationes, illuminationes, &c. ſed etiam phyſicè per modum cauſſæ vniuerſalis, vna cum voluntate eodem ac ſimultaneo concurſu influendo in omnes ipſius actus *a*. Non autem ita *b*, quaſi aut prima volitio finis *c*; aut omnis motus indeliberatus ſeu primò primus *d*, aut omnis motio

interna

interna gratiæ præuenientis effectiuè sit à solo Deo. Alio longè sensu intelligendum est sapiens illud dictum e. *Ad primum actum voluntatis non moueri voluntatem à seipsa, sed à Deo*; nimirum quia etsi voluntas & actiuè & liberè efficiat illum actum f, non tamen seipsam primò applicat g ad eiusmodi volitionem; applicatur enim mediante cognitione prima, quæ eo ipso quòd prima est, voluntaria non est; ac proinde si bona sit, Deo rectè attribuitur: si mala, diabolo; licet vtraque aliunde etiam soleat immediatè prouenire. Eodem sensu dixit Aristoteles h, *Primam voluntatem esse à bona fortuna*, hoc est, à causa operante præter intentionem, ipsius operantis. Etsi verò Deus aliâs voluntatem ad agendum physicè non soleat prædeterminare aut necessitare; posse tamen nō solum moraliter, sed etiam physicè, nullum videtur dubium. Et iuxta hæc intelligendum est illud Prouerb. 21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit flectet illud.* Et Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.*

a b *S. Thom. q. 9. a. 4. ad 1. & 2. Caietan. Conrad. ibid. Ferrar. 3. contra gent. c. 89. Val. q. 4. p. 4. Vasq. d. 38. c. 1. & 3. com.* c *Capreol 2. d. 24. q. 1. a. 3. & d. 25. q. 3. c. 2.* d *Veg. in Trid. l. 6. c. 8.* e *S. Thom. q. 9. a. 4. & 6. Ansel. opusc de casu diab. c. 12.* f g *Caiet. Conrad Val. Vasq. ll. cc.* h *l. 7. Eth. Eudem. cap. 18. & lib. 2. mag. moral. c. 8.*

22. Voluntatem moueri aliquo modo ab appetitu sensitiuo patet nō solum experientia, sed etiam ex Scriptura Iacob 3. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati; &c.* Quod verò ad modum motionis attinet, rectè asserit S. Thomas *a*, voluntatem ab appetitu moueri indirectè, tum scilicet ex parte obiecti, quatenus idipsum in quod fertur appetitus, facilè etiam ab intellectu iudicatur & proponitur voluntati vt conueniens *b*; quisq; enim iudicare de agendis solet, prout ipse dispositus est, *& qualis quisque est, talis ei finis seu bonum videtur c*; tum etiam dispositiuè, quatenus ob solam corporis immutationem, cum passione coniungi solitam, videri potest aliquid operanti conueniens, quod aliâs tale non iudicaretur; non autem per solam redundantiam absque eo, quod intellectus idem obiectum voluntati proponat *d*.

a b *q.9. a.2.* c *Arist.3. Eth.c.4.* d *Val.q.4.p.3. Vasq.d.37.c.2.cont.Medin.q.9.a.2.*

23. Si quando vi passionis vehementis penitus oppressum est liberum rationis iudicium, adeoq; liber vsus rationis impeditus, tum voluntas necessariò mouetur ab appetitu *a*, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium *b*. Quod si verò ratio manet libera, nec opprimitur à passione, tum voluntas per se loquen-

loquendo, ab ea necessariò nō mouetur *c*; quidquid nonnulli de obiecto passionis vehementius afficiente corpus dixerint *d*: quia quamdiu ratio non opprimitur, potest idipsum obiectum non proponere voluntati, aut proponere sub ratione disconuenientis. Secus est de subitis motibus voluntatis, quos primo primos vocant Theologi; hi enim sæpè excitantur ab appetitu sensitiuo, etiamsi liberum rationis iudicium nō sit omninò oppressum, ob solam actualem incogitantiam seu inconsiderationem obiecti ex ea parte, qua inconueniens iudicari potest. Stante autem sufficiente aduertentia, multoque magis repugnante voluntate, non videntur dari motus primò primi seu necessarij in voluntate, vtcunque vehemens sit aut diuturna passio *d*.

a *S. Thom. q. 10. a. 3. com.* b *Vasq. & alij interpr. ibid. contra Val. q. 4. p. 3.* c *S. Thom. l. c. contra Arrimin. 1. d 1. q. 2. a. 2.* d *S Thom. l. c. contra Vasq. d. 37. n. 6.*

24. Sed & vicissim à voluntate moueri posse tum intellectum, tum alias quasdam potentias, vt potentiam locomotiuam, sensum, appetitum, indubitatum est *a*. Id verò generatim non ea ratione fit, quasi solum per motum localem applicentur ad operandum *b*, quo sæpè in eiusmodi motione opus non est; vel dum voluntati placent earum operationes, ipsæ in iis hoc ipso statim firmentur & perficiantur, intensius etiam operando *c*; illud enim non sufficit; hoc non est

22. Voluntatem moueri aliquo modo ab appetitu ſenſitiuo patet nõ ſolum experientia, ſed etiam ex Scriptura Iacob 3. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati; &c.* Quod verò ad modum motionis attinet, rectè aſſerit S. Thomas *a*, voluntatem ab appetitu moueri indirectè, tum ſcilicet ex parte obiecti, quatenus idipſum in quod fertur appetitus, facilè etiam ab intellectu iudicatur & proponitur voluntati vt conueniens *b*; quiſq; enim iudicare de agendis ſolet, prout ipſe diſpoſitus eſt, *& qualis quiſque eſt, talis ei finis ſeu bonum videtur c*; tum etiam diſpoſitiuè, quatenus ob ſolam corporis immutationem, cum paſſione coniungi ſolitam, videri poteſt aliquid operanti conueniens, quod aliâs tale non iudicaretur; non autem per ſolam redundantiam abſque eo, quod intellectus idem obiectum voluntati proponat *d*.

a b *q.9. a.2.* c *Ariſt.3. Eth.c.4.* d *Val.q.4.p.3. Vaſq.d.37.c.2.cont.Medin.q.9.a.2.*

23. Si quando vi paſſionis vehementis penitus oppreſſum eſt liberum rationis iudicium, adeoq; liber vſus rationis impeditus, tum voluntas neceſſariò mouetur ab appetitu *a*, non ſolum quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium *b*. Quod ſi verò ratio manet libera, nec opprimitur à paſſione, tum voluntas per ſe loquen-

loquendo, ab ea necessariò nō mouetur *c*; quidquid nonnulli de obiecto passionis vehementius afficiente corpus dixerint *d*: quia quamdiu ratio non opprimitur, potest idipsum obiectum non proponere voluntati, aut proponere sub ratione disconuenientis. Secus est de subitis motibus voluntatis, quos primo primos vocant Theologi; hi enim sæpè excitantur ab appetitu sensitiuo, etiamsi liberum rationis iudicium nō sit omninò oppressum, ob solam actualem incogitantiam seu inconsiderationem obiecti ex ea parte, qua inconueniens iudicari potest. Stante autem sufficiente aduertentia, multoque magis repugnante voluntate, non videntur dari motus primò primi seu necessarij in voluntate, vtcunque vehemens sit aut diuturna passio *d*.

a *S.Thom.q.10. a.3.com.* b *Vasq.& alij interpr. ibid. contra Val.q.4.p.3.* c *S.Thom.l.c.contra Arrimin. 1.d 1. q.2.a.2.* d *S Thom.l.c.contra Vasq.d.37.n.6.*

24. Sed & viciſſim à voluntate moueri posse tum intellectum, tum alias quasdam potentias, vt potentiam locomotiuam, sensum, appetitum, indubitatum est *a*. Id verò generatim non ea ratione fit, quasi solum per motum localem applicentur ad operandum *b*, quo sæpè in eiusmodi motione opus non est; vel dum voluntati placent earum operationes, ipsæ in iis hoc ipso statim firmentur & perficiantur, intensius etiam operando *c*; illud enim non sufficit; hoc non est

credibile; nimirum potentiam videndi aut nutriendi hoc ipſo ſolum intenſius operari, quod voluntas earum operationes approbat; nec quaſi voluntas ſit cauſſa efficiens phyſica motus localis *d*: nec quaſi voluntas cum ipſis potentiis ſibi ſubiectis phyſicè producat eaſdem operationes *e*; nec ideò formaliter, quod ob naturalem ſympathiam vniuerſim operationes aliarum facultatum, à voluntate pendeant *f*, & in brutis ab appetitu, ſicut etiam intellectus non poteſt operari ſine cooperatione ſenſus interni, nec externi ſenſus ſine interiori; cùm nec ideò interior ſenſus moueat exteriorem, & potentiæ ſæpè independenter à voluntate operentur: ſed quia eo ipſo *g*, quod voluntas vult, & quaſi imperat potentiis ſibi ſubiectis, vt operentur, fit, vt ſecluſo omni alio influxu, ob naturalem ſympathiam & connexionem cùm voluntate, operentur, voluntatiſque ductum non pari tamen omnes ſtudio ſequantur, interueniente etiam nonnunquam motu locali.

a *S.Thom.q.9.a.1.com.* b c *com.contra Scot.2.d.42.* d *S.Thom.opuſc.43.c.5.com.contra Medin.q.9.a.1.* e *com.cont.recent. quoſdam apud Vaſq.d.44.c.3.* f *cont.Vaſq.l.c.num.10.* g *Val.q.4.p.1.*

25. Nec tamen poteſt voluntas intellectum mouere ad omnes ſuas operationes, & reſpectu cuiuſlibet obiecti, & quouis modo: cum & prima cogitatio in quouis negotio, etiam particulari,

lari, sit inuoluntaria *a*, & motionem voluntatis vniuersim præcedere debeat proportionata apprehensio intellectus. Deinde quamuis voluntas possit mouere intellectũ, quoad exercitium actus *b*, non tamen quoad specificationem *c*; quando intellectus iudicat, se euidenter conuinci: secus si assensus tantum sit opinatiuus & probabilis *d*; tunc enim vi voluntatis potest intellectus in contrariam sententiam flecti. Atque hoc sensu dicitur *e* *voluntas mouere intellectum quoad exercitium* (intellige præcipuè) *intellectus autem quoad specificationem*; quia videlicet proponit obiectum, vnde sumitur specificatio; tanquam absolutè etiam contrarium vtriusque fieri potest.

a *Th.10.* b c d *S.Thom. q.17. art.6. Val. q.12. p.5.* e *S.Thom. q.9. a.1.*

26. Modus autem mouendi intellectum quoad exercitium hic est *a*. Etenim cum voluntas, primum applicatura est intellectum ad operandum, præcedere debet in intellectu apprehensio alicuius cogitationis possibilis; cum autem voluntas ad alia cogitanda applicat intellectum, prçcedere debet in intellectu apprehensio ipsius etiam cogitationis præexistentis sub ratione inconuenientis, simulq; idem intellectus proponere alia obiecta seu in genere, seu in specie tanquam conuenientius expendenda: quo posito voluntas respuit priorem cogitationem, & iubet, vt aliis cogitandis insistatur, seu determina-

tè deligendo vnum, si speciatim antea eius cogitatio præcessit, vel ipsius intellectus potestati quasi liberum relinquendo, vt ex obiectis bonis vnum ipse sibi decernat, in quod obtutum figat. Qua ratione nec in infinitum proceditur, nec aliud absurdum incurritur.

a *Val. l. c.*

27. Similiter constat, appetitum non ita subiacere voluntatis imperio, vt vel nulla eius operatio absque nutu voluntatis efficiatur, vel quilibet eius motus iubente voluntate statim conquiescat *a*: Cum & ob hanc causam dixerit Aristoteles *b*, appetitum subiici rationi, non despoticè, sed politicè: qui & alibi *c* comparat appetitũ sensitiuum cum paralytici membris, quæ sępe non ad nutum voluntatis, sed aliorsum mouentur; quod etiam dixit Apostolus Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum.* Idem dicendum de imaginatione famulante appetitui; quæ mediante passione, quam excitat, dispositionem corporis immutando *e*, sæpe etiam vel ad valetudinem, vel ad infirmitatem corporis non parum confert; nõnunquam eius causa illusiones etiam vigilantibus accidunt *f*, non secus ac somniantibus & phreneticis.

a *S.Thom. q. 12. a. 7. com.* b *1. polit. 3.* c *1. Eth. vlt.* d *S.Thom. q. 17. a. 7. Caiet. ibid. com.* e f *Caiet. l. c. Val. q. 12. p. 5.*

28. Non potest voluntas immediatè appetitum mouere sine præuia imaginatione *a* seu apprehen-

prehensione sensitiua obiecti; siue sensus hoc per se & sua sponte faciat, siue voluntatis imperio motus. Et quanquam obiecta nõnunquam solent esse spiritualia, possunt tamen ea nihilominus non in se quidem & propriis conceptibus, sed alienis, instar corporum aliquo modo à sensu apprehendi *b*. Actus vegetatiui non subsunt imperio voluntatis secundum se, sed solum quoad applicationem membrorum externorum seu materiæ *c*. Paulò diuersa ratio est sensuum externorum *d*, qui non solum quoad applicationem organi vel obiecti voluntati subsunt, sed etiam auersione mentis, atq; attentionis ipsius interni sensus, ab obiecti externi perceptione nonnihil quandoque possunt distrahi *e*.

a *Vasq.d.37.c.1 contra Medin.q. 9.a.2. & quosd. recent. Thom.* b *vide Vasq.l.c.* c d e *S.Thom. q.17.a.8.com.*

CAPVT III.

De bonitate & malitia actuum humanorum.

29. Bonitatem actus moralis, quam honestatem dicimus, nonnulli existimant *a* esse rationem quandam realem & absolutam, superadditam actui per modum formæ seu qualitatis, distinctam ab entitate naturali ipsius actus. Quidam aiunt *b* consistere formaliter in aggregatione

tione omnium circumstantiarum lege præscriptarum, cum quadam carentia eorum, quæ possent illam corrumpere. Alij in relatione conformitatis ad legem & rationem rectam *c*. Quidam in plenitudine & integritate omnis perfectionis debitæ ex lege *d*. Aliqui in relatione transcendentali intrinseca non ad legem, sed ad obiectum *e*, quam etiam dicunt esse differētiam intrinsecam actus moralis à volūtate eliciti *f*. Nos duplicem distinguimus *g* bonitatem moralem, non secus ac entitatiuam, absolutam vnam, alteram respectiuam. Prior est ipsa integritas & perfectio actus *h*, secundum quam ipsi nihil deest eorúm, quæ is in quantum humanus habere debet. Altera est ratio quædam conuenientiæ *i*, tum in ordine ad naturam rationalem vel dictamen rectæ rationis, tum in ordine etiam ad legem aliquam extrinsecám, seu voluntatem diuinam præcipientem vel consulentem siue approbantem. Omitto hic rationem meriti & valoris, quæ à nonnullis secundaria actus bonitas dicitur *k* & actui vtique extrinseca est; ac veluti passio seu proprietas quædam *l* actus moralis quà bonus est.

a *Caiet.1.2.q.18.a.5.& q.71.a.6.& q.72.art.1.* b *Scot.quodl.18.& in 2.d.40.q.1.Gabr.2.d.7. Arimin.2.d.26.* c *Conr.q.18.a.1.& 5.Canus apud Zum.infra, Sign.Scot.1.d.17.Dur.2.d.38.q.1. Almain moral.tract.1.c.13.* d *Val.q.13.p.1.* e *Zum.q.71.a.6.d.17.* f *Azor.l.2.c.5.q.1.*

q.1.Suar.3.p.t.1.d.4.ſ.4. g *S.Thom.q.26.a.4. & 2.d 27.q.1.de virtut.a.2. ad 1.Scot.quodl. 18.& ſumitur ex Aug.lib.8.de Trin.c.3.* h *ſic intelligi poteſt 2.& 4.ſent.* i *ſic intelligi poteſt 3.ſent.* k l *Suar.l.c.S.Thom.q.21.a 3.4.*

30. Non minus variè Doctores de malitia actus humani ſentiunt. Non pauci duplicem malitiam conſtituunt, vnam priuatiuam ſeu auerſionis; alteram poſitiuam realem conuerſionis; ſiue per modum qualitatis actui ſuperadditā *a*; ſiue per modum reſpectus tranſcēdentalis actui intrinſecam & eſſentialem *b*. Alij dicunt *c* formaliter eſſe aliquid poſitiuum morale, ſeu rationis, ſiue denominationem extrinſecam à lege prohibente, vel ratione repugnante. Communis veterum Scholaſticorum *d* ſententia abſolutè tradit, eſſe priuationem perfectionis debitæ ineſſe ſiue actui *e*, ſiue potentiæ *f*. Nos malitiam quidem primariam & abſolutam actus humani dicimus eſſe priuationem ſiue defectum debitæ perfectionis, oppoſitæ videlicet honeſtatis ſeu bonitatis moralis, præſertim abſolutæ *g*; quæ priuatio ineſt quidem etiam ipſi actui malo, ſed reſpectu tamen actus interni, habet potius rationem puræ negationis; priuationis autem, tum reſpectu potentiæ, tum reſpectu ipſius actus, conſiderati ſecundum communem quandam rationem actus moralis, in hac vel illa materia; ſic enim & capax eſt eius bonitatis, & hæc quoque ipſi debita eſt, ſaltem ex hypotheſi,

qua

qua quis velit actum eiusmodi circa hanc vel illam materiam elicere.

a *Caiet.q.18.a.5.& q.71.a.6. Barth. Medin.eod. a.6.Bann.1.p.q.48.a.1.& q.49.a.2.Gabr.3.p. q.1.a.2.d.12.§.5.n.28.* b *Zum.q.71.a.6.d.7. & tom.2.q.114.a.5.d.2.* c *Vasq.d.95.c.9 Henriq.de vlt.fin.c.5.n.3. Sig. Arrim.2.d.34 q.1. a.1. & 2. Scot.quodl.18.a.1.* d *S.Thom.q.18. a.1.* d *S.Thom.q.18 a.1. & q.25. a.2.& q.36. a.1.q.71.a.6.& q.72 a.1. Altis. Alens. Bonau. Dur. Rich.Gab. Scot. Marsil.Henric. Occam. Almain. Ferr.Capr. item Bell.de pecc.l.2.c.15. & 18. Azor.tom.1.lib.4.c.1.q.6.Val. d.2.q.13. par.3.& d.6.q.1.p.1.* e *Scot.Val. Azor.& ipse S.Thom.* f *Gabr. Occam. Alm.* g *S.Thom.q. 18.a 1.*

31. Alia malitia communis tam actui, quam omissioni praue,(Cuius absoluta malitia in priuatione actus debiti consistit) est respectiua; Consistens in quadam positiua ratione morali disconuenientiæ (seu relationem rationis, seu denominationem extrinsecam dixeris, parum interest;) primariè quidem cum natura rationali, qua talis est; deinde verò etiam cum rectæ rationis iudicio, & lege extrinseca (quæ oppositio ad legem in iis, quæ ideo solum mala sunt, quia prohibita, ratione prior est *a*;) atque etiam cum ipso Deo *b*, tum vt detestante ac prohibente, qua ratione dicitur offensa Dei, tum etiam vti fine vltimo siue cui, siue cuius, à quo omne peccatum

catum ſaltem negatiuè declinat, qu: ratione etiam ſi grauis malitia ſit, dicitur auerſio à Deo.

a *Vaſq. d. 96. & ſeqq.* b *Thom. q. 19. a. 4.*

32. Et quamuis malitia illa priuatiua ſit prior, & quaſi fundamentum alterius, atque etiam in genere entis quodammodo peior; tamen altera poſitiua in genere moris abſolutè eſt deterior; atque in hoc ipſo genere omnium deterrima, diſconuenientia cum Deo, ſiue ratio offenſę diuinę & auerſionis à Deo *a*; cuius etiam à Theologis potiſſimum habetur ratio: licet diſconuenientia cum natura rationali ſit peccato magis eſſentialis *b*, & ſeparabilis à propria ac peculiari malitia offenſæ diuinæ, in eo, qui Deum inuincibiliter ignorat *c*; etſi interim omne peccatum Deũ reipſa offendat *d*. Nulla verò malitia formalis in genere moris eſt aliquid poſitiuum reale, actui inexiſtens *e*: quod adeò certum eſt, vt nonnulli contrariam ſententiam abſurdam & temerariam cenſeant *f*: Secus eſt de malitia morali obiectiuè ſeu materialiter accepta.

a *S. Thom. q. 71. a 6. ad 5 & q 19. a. 4. Zum. ibid. diſp. 8. & 9.* b *Vaſq. d 96.* c d *S. Thom. cit. q. 19. a. 4. Vict. relect de peruen. ad vſum rat. p. 2. n. 8. & 9. Zum. q. 71. a. 6. d. 8. Caiet. Med. eod. a. 6.* e *citati theſ. 30. lit. d.* f *apud Azor. l. c.*

33. Bonitas vel malitia velut proprietas, ſub diſiunctione, ſequitur actus humanos; *a* Sed & rectè à Theologis dicũtur differentiæ quædam actus humani in genere quodam moris *b*; cum illud

illud virtutis, hoc vitij actum constituat: attamen nec malitia, nec bonitas formaliter ac propriè moralis, quà talis, est realis & intrinseca, multò minus essentialis actui *c*: cum ab actu secundum entitatem immutato abesse possit libertas, sine qua tamen nulla est moralitas *d*; nec propriè vlla bonitas, aut malitia moralis *e*; nisi obiectiua & materialis *f*. Quia quod liberum non est non cadit sub regulam, legem, vel debitum; sine quo nulla malitia formalis siue absoluta sit, siue positiua, concipi potest.

a *Val.q.13.p.1.& q.14.p.1.* b *S.Thom.cit.d.40.a.1 & hic quæst.18.a.5.& q.19.a.1.Medin.ibid. Vasq.d.55.cap.2.com.* c *Vasq.l.c.post Bonau. Scot.Dur.Mai. cont. Conr.q.10.a.1.* d·f *Bellarm.l.5.de pecc.c.10 & 13.Zum.q.79.a.2.d.2.ad 2.Vasq.l.c.cit.thes.2.* e *Vasq.l.c.nu.12.& 21.*

34. Bonitas moralis materialiter & obiectiuè, itemque similis malitia, sumpta ex obiecto directè volito, important differentiam realem & substantialem actus interni à voluntate eliciti *a*, vt videre est in odio Dei, voluntate furandi, fornicandi, &c. Non externi vel imperati *b*; qualis est v.g. esus carnium; qui secundum substantiam & entitatem idem, bonus esse potest & malus, solum pro diuersitate extrinseca legis vel temporis. Sicut nec per se, etiam respectu interni actus, malitia, quamuis formalis, desumpta ex obiecto malo, solum indirectè & interpretatiuè volito *c*.

Quia

Quia prauus esus carnium, siue etiam ipsa voluntas comedendi carnes, v. g. die Veneris, ex ignorantia vincibili, qua dies ille Iouis existimatur, entitatiuè & intrinsecè nullo modo diuersus esset, etiamsi per inuincibilem ignorantiam, simili modo ac die, exercitus, bonus fuisset. Et vniuersim actus facti per ignorantiam vincibilem & inuincibilem, circa idem obiectum, habent eandem substantiam & entitatem physicam; imò fieri potest vt vnus & idem realiter actus *d* internus voluntatis, initio quidem per ignorantiam seu inaduertentiam inuincibilem, mox verò per vincibilem exerceatur; adeoq; ex bono malus euadat, entitate intrinseca prorsus immutata.

a *S.Thom.l.c.com.DD.* b c *Vasq.d.55.c.1.* d *Vas. d.56.c.2.post Dur.Maio.Capr.& Caiet.cont. Conr.q.19.a.6.Val.q.14.p.1.*

35. Dantur quidem actus humani secundum speciem indifferentes *a*; at non in indiuiduo *b*; vt rectè etiam S. Augustinus *c*; nisi per accidens *d*. Et licet quidem verè sensu quodam dixerit S.Thomas *e*, peccatum formaliter, adeoque malitiam moralem esse in sola voluntate, ratione, & appetitu, eo quod solo harum potentiarum vitio accidant peccata, voluntatis quidem tanquam principalis & vniuersalis caussæ; rationis velut malè dirigentis; appetitus velut indirectè inclinantis; quæ potentiæ etiam solæ, quia præter voluntatis subinde motionem suo-

met impetu cum quadam indifferentia nunc benè, aliâs malè feruntur in sua obiecta, habituum bonorum & malorum subiecta sunt; quo etiam ferè sensu S. Thomas dixit *f*, peccatum mortale non esse in appetitu sensitiuo: Non tamen negandum, etiam actus potentiarum ac membrorum externorum, etiam transeuntes, propriè & formaliter esse malos moraliter, adeoque peccata *g*; sicut etiam praui concupiscentiæ actus plenè deliberati mortalia peccata vtique esse possunt.

a *S.Thom q.18.a.8.com.DD.2.d.41.contra Scot. Gab.2.d.41.* b *S.Thom.q.18.a.9 Val.q.13.p.6. Azor.tom.1.l.2.c.4.q.3.post Alb.Ægid.Rich. Dur.Cap.Maio.c.d.41. cont.Alens.Scot.Gab. Alm.Vasq.d.52.* c *l.2.de pecc.mer.& remiss. cont.fig.Hieron.epist.89.* d *Val.l.c.Vasq.n.16.* e *S.Thom.q.74.a.2.cont. Alm.Scot.Vasq.d. 103.c.4.& rursum contra Dur. Gab.2. d.42. Occam.qui in sola voluntate,&c.* f *S.Thom. ibid.a.4.* g *Scot.quodl.18.a.3.& 2.d.42.*

36. Neque tamen aut omnes omninò inordinatos motus *a* appetitus sensitiui; aut omnes saltem, qui ex imaginatione *b* aliqua, aut qui ex imaginatione obiecti absentis *c* proueniunt, formaliter malos, adeoq; peccata esse existimandum est; quasi aut in ipso appetitu per se quædam libertas insit *d*; aut semper in iis casibus interpretatiua aliqua volũtas interueniat *e*. Quod nec satis consonum videtur Concilio Tridenti-

no

nò sess.5. de pecc. Orig. Can. vlt. vbi cum definitur, *Concupiscentiam non nocere renatis non consentientibus*, significatur, non semper adesse consensum, quo noceat, & à communi DD. sententia *f*, ipsoque S. Augustino pluribus in locis alienum est. Speciatim vbi ait *g*: *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua mouetur, quantò magis est absque culpa in corpore non consentiente, si absque culpa est in corpore dormiente, &c.* Ratio est, tum quia homo non semper potest ex intentione eiusmodi motus præcauere, aliquando (existente videlicet caussa rationabili) nec debet; tum quia prima cogitatio non est in nostra potestate. Quo sensu etiam idem Augustinus *h*. *Voluntatem*, inquit, *non allicit ad patiendum quodlibet, nisi aliquod visum; quod autem quisque vel sumat vel respuat, est in potestate; sed quo viso tangatur nulla potestas est.*

a cont. *Alens. 2.p.q.108.m.2. Altis.l.2.tr.28.c.1.2. Alb. Bonau.2.d.36. Caiet. q.74.a.3.* b *contra S.Thom. q.7. de malo a.6 & in 2.d.21.q.1.a.2. & d.24.q.vlt.a.2. & d.40.a.4.* c *contra Dur. 2.d.21.q.1. Conr.q.74.a.3.* d *Caiet.l.c.* e *alij citati.* f *Val.q.4.p.1. Vasq.d.106.c.3. Azor.l.4.cap.5.q.2. & omnes recent. post Rich. Scot. Capr. Gab.* g *l.1. ciuit. c.25.* h *l.3. de lib. arbit. cap.25.*

37. Stante verò sufficiente deliberatione & ad-

uertentia,& materiæ cuiusuis generis grauitate, cùm omnes fateantur, consensum voluntatis directum non solum in rem ipsam mortaliter illicitam, sed etiam in ipsam delectationem de eodem obiecto esse peccatum mortale: nonnulli tamen sentiunt *a*, citra eiusmodi consensum directum, delectationem appetitus, quamuis morosam, per se,& omni adeò directi consensus alteriusuè peccati periculo secluso, non esse peccatum mortale. Sed non solum tutior, verum etiam longè verior, eademque communis est sententia *b* opposita, talem delectationem etiam per se mortalem esse; nisi caussa rationabilis eam ab omni etiam culpa excuset *c*. Ratio est, non quia vt non nemo existimat *d*, impossibile sit, vt voluntas positiuè non consentiat prauæ delectationi, si ei non resistat; Sed quia quisque tenetur in se omnes actus obiectiuè malos suę potestati subiectos refrænare, & quoad potest cohibere, idque sub peccato mortali, si actus eiusmodi ex obiecto sint mortaliter illiciti, vt patet in omni alia materia; in qua propterea ad peccatum etiam mortale sufficit voluntarium indirectum: Atqui tales sunt motus isti prauarum delectationum; alioquin enim nec directè quidem illis consentire mortiferum esset. Ergo,&c. Paulò diuersa in hac materia est ratio voluntarij indirecti in sua caussa, si eiusmodi motibus alioqui voluntate resistatur, vt communis *e* habet sententia.

a Adri-

a *Adrian.in 4.q.5. Angel.V. cogitatio.Caiet. Armil.V. delectatio. Angles 2.d.37.q.5. Lopez p. 1.c.2. & 4. Tolet.l.5. c.14. Graffius p.1.l.2.c. 77.n.3. Sanchez l.1.c.2.n.13.ferè Zumel.q.74. a.8.d.1.* b *S.Thom. de verit .q.15.a.4.ad 10. & hic q.78.a.6. & 8. Medin. ibid. Anton.p.2. tit.5.c.1.§.5. Val.q.4.p.3. Cord.l.1.q 23.d 9. Azor.l.4.c.6.q.5. Vasq.d.108.& alij recent. com. quorum plerique teste Vasq. opinionem Caietani non existimant probabilem.* c *Val. Azor.l.c.Nau.man.c.11.n.12.&c.* d *Vasq.l.c.* e *vide Cord.l.c. & Vasq.d.108.c.3.*

38. Sed nec omnis motus prosecutionis in voluntate, quantumuis primus circa obiectum per se mortaliter illicitum, est peccatum *a*, nedum mortale peccatum; requiritur enim ad vtrumq; aliqua deliberatio, quæ non semper adest. Qualis autem deliberatio tum ad mortale, tum ad veniale peccatum requiratur, difficillimum est explicare, & prodest in re tam graui vel ipsam sentiendi varietatem habere perspectam. Quidam enim vniuersim sentire videntur *b*, etiam sine omni cogitatione vel apprehensione actuali, adeoque & suspicione minima de malitia actus, aut periculo illius, posse adhuc stare deliberationem sufficientem etiam ad peccatum mortale, modò quis rem ipsam, quæ agitur, aut agenda est, cogitet & apprehendat sub aliqua ratione vel necessitatis, vel vtilitatis ac commoditatis, etiam temporalis, vel cuiuscunque demum appetibili-

tatis; eo ipso enim potuisse ac debuisse talem de malitia quoque actus seu periculo eius cogitare, ita vt si secus faciat ipsa incogitantia malitiæ ad culpam imputetur, etiam mortalem, si grauis sit materia. Idem speciatim nonnulli asserunt *c* de peccato omissionis, quasi id accidere possit sine vlla aduertentia præsenti vel præterita, adeoque formali vel virtuali ipsius etiam omissionis aut operis omissi, qui meritò refelluntur *d.*

a *com. DD contra Henric. quodl. 6 q. 32. Occam. apud Vasq. d. 106. c. 3. & d. 107. c. 1.* b *Gerson alphab. 33. lit. H. Adrian quodl. 7. a. 1. & quidam recent. apud Vasq. d. 107. c. 2.* c *Thomistæ nonnulli apud Cord. lib. 1. q. 23. d. 9. not. 2.* d *Cord. ibid. com.*

39. Alij distinguunt *a* inter peccatum veniale, & mortale operis, seu actus alicuius prohibiti. Ad illud enim aiunt sufficere deliberationem interpretatiuam latè acceptam, sine vlla videlicet actuali, vel virtuali cognitione vel aduertentia, præsenti vel præterita, operis aut periculi ipsius; teneri enim quemlibet opus aliquod aggredientem, cum tempus habet, deliberare de opere faciendo. Ad peccatum verò mortale nõ sufficere deliberationem illam interpretatiuam, nisi adsit cogitatio seu aduertentia actualis vel virtualis (quo nomine intelligunt præteritam virtute permanentẽ) ipsius operis & periculi, cui homo se exponit. Sed hæc nec inter se satis consentiũt, & prior pars etiã per se meritò reiicitur.

a *Cord. l. c.*

40. Non-

40. Nonnulli aliter distinguunt *a*. Nam ad peccatum veniale sufficere deliberationem virtualem, aut etiam formalem aduertētiam ipsius actus secundum suam entitatem, cum potentia ad malitiam vel prohibitionem aduertendam, vel etiam dubitationem seu inquisitionem de bonitate vel malitia ipsius actus. Ad peccatum autem mortale requiri iudicium plenum & absolutum de malitia vel prohibitione ipsius delectationis seu actus; quod postremum etiam alij afferunt *b*. Qui proinde addunt, duobus modis deliberationem esse posse imperfectam, vt non sufficiat nisi ad veniale; I. Quando passione vehementissima ita turbatur ratio, vt sit tenue lumen rationis ad perfectè diiudicandam & considerandam malitiam peccati. II. Quando iudicium est imperfectum, vel ex defectu obiecti, quia videlicet in genere solum apparet malum: vel ex defectu firmitatis, quia ratio iudicat cum formidine, vel ex leui coniectura, cum impotentia quadam habendi plenum iudicium.

a *Franc. Zumel. 1.2.q.74.a.8.d.1.prop.2.* b *Almain & Angestus apud Vasq.d.107.c.4.*

41. Quidā existimantes tam ad mortale, quàm veniale requiri & sufficere considerationem malitiæ, aut periculi, vniuersim docent *a*, ex sola perfectione vel imperfectione luminis atq; aduertentiæ ad actus malitiam; seu periculum illius, accidere, vt deliberatio sit plena, vel semiplena, adeoq̃ue sufficiens ad peccatum mortale,

aut veniale tantum. Quod hoc modo declarant. Quãdo enim homo ita aduertit aliquid esse malum, sicut illi, qui non plenè excitati à somno, attendunt ad malitiam pollutionis, quam patiuntur, tunc ita tenuis est consideratio, vt non sufficiat ad mortale. Quando verò homo plenè aduertit, sicut perfectè excitatus à somno, tunc est mortale. Vt igitur in semidormientibus & semiebriis est imperfectũ iudicium rationis, quod notat etiam Nauarrus *b*, sic in vigilia contingere potest tam tenuis consideratio, quando intellectus aliò trahitur, vt ad mortale non sufficiat; siue interim illa ipsa tenuis consideratio dicatur esse principium, leue quidem & tenue plenius considerandi, siue dicatur non esse principium sufficiens plenius considerandi; vtrumq; enim probabiliter dici posse *c* existimant.

a *Caiet. sum. V. delectatio Vasq. d. 107. c. 4.* b *Nau. prælud. 9.* c *Vasq. l. c.*

42. Nos ita primùm censemus, deliberationem ad peccatũ seu mortale *a*, seu veniale *b* sufficientem censeri nõ posse, vbi nulla nec minima quidem cogitatio, saltem per modum dubitationis vel suspicionis, est malitię, vel periculi ipsius malitię, seu in genere, seu in specie consideratę. Ratio est; quia quandiu nulla prorsus adest aduertentia seu cogitatio malitiæ, esto, adsit cogitatio ipsius actus in genere entis, vel secundum alias quasdam rationes vtilitatis, commoditatis, nondum adest facultas liberè eos tanquam malos re-

spuendi

ſpuendi. Deinde exiſtimamus, hanc cogitationem ſeu deliberationem eſſe debere vel actu, vel virtute, quando & quandiu eſt vel durat peccatum; ita quidem vt cum ſemel præceſſerit, virtute poſtea perſeueret *c*, adeoque ea non obſtante, fuerit vel actus peccati inchoatus, vel certè cauſa data, vt ſequeretur, quod pariter de omiſſione dicendum eſt. Eademque ratione conciliari poſſunt quædam dicta S. Thomæ, cum ſubinde quidem ſignificat *d*, peccatum etiam mortale committi poſſe ſine conſideratione actuali ipſius malitiæ; aliâs verò indicat neceſſariam eſſe actualem conſideratione͂ ſeu aduertentiam malitiæ *e*.

a *Com. DD. apud Cord. Vaſq. Zumel. l. c. poſt Alens. Alb. Bonau. Palud. Gabr. Conr. Silu. Caiet. Vict. Nau. &c. contra Gers. Adrian. cit.* b *Vaſq. d. 107. c. 3. & 4. & Sig. Val. q. 6. p. 1. contra Cord. Zum. &c.* c *vide Cord. l. c.* d *q. 74. a. 7. ad 2.* e *q. 74. a. 6. & de verit. q. 15. art. 4. ad 10.*

43. Tertiò iudicamus, deliberationem ſemiplenam, adeoq; ad veniale ſolum, non mortale peccatum ſufficientem eſſe, cum vel aduertentia malitiæ valde tenuis eſt ac imperfecta, modo explicato *a*; ex ea enim perfectè voluntarium conſequi non poteſt: vel cum in genere ſolum apprehenditur malitia delectationis, nullo autem modo, adeoque nec actu, nec virtute malitia mortalis, ſeu periculum ipſius *b*. Ratio eſt,

quia malitia peccati mortalis voluntaria non est, si nullo modo nec actu, nec virtute, ipsa, vel periculum ipsius cognoscatur; quod fieri posse etiam cum malitia actus in genere cogitata fuit, ex eo patet, quòd conceptus generis nec formaliter nec virtualiter includit conceptum certæ speciei. Et quamuis ille, qui conceptum generalem malitiæ habet, debeat etiam vlterius cogitare de grauitate malitiæ, ne grauioris peccati periculo se exponat, fit tamen, vt hoc ipsum naturali quadam inaduertentia sæpe non cogitetur, nec adeò semper moraliter & ex intentione cogitari possit. Nec est in præsenti inter peccata externa vel interna discrimen, nisi materiale *c*; quod illa rarius per inaduertentiam excusentur à mortali, & vix, nisi in valdè subitis motibus iræ *d*. Deniq; existimamus ob solum defectum firmitatis, & absoluti ac consummati iudicij, lumine rationis per se alioqui minimè nictante vel titubante, nunquam accidere semiplenam deliberationem *e*, quæ ad solum peccatum veniale sufficiat; cum mortale peccatum vtiq; contrahi possit non solum cum probabili solum iudicio, sed etiam cum dubitatione de malitia peccati mortalis.

a *Caiet. Cord. Vasq Zum. l. c.* b *Nau. prælud. 9. n. 9. Val q. 14. p. 1. Cord. l. c. item Angelus, Almain. & Vict. cont. Vasq. Zum. l. c.* c d *Vasq. d. 107. c. 5. cont. Zum. &c.* e *com. DD. contra Zum. l. c. qui tamen solum in modo loquendi diuersus est.*

44. Actio

44. Actio humana sumit suam bonitatem primariam ex obiecto *a*, secundariam ex fine extrinseco, & circumstantiis *b*. Neque tamen vna bonitas, sine altera, simpliciter & absolutè bonum facit actum *c*; sed vtraq; simul iuncta; quia *bonum simpliciter est ex integra caussa d, malum autem ex quolibet defectu.* Actus moralis est bonus, vel malus, secundum speciem ; ex obiecto; ac proinde bonum & malum ex parte obiecti diuersificant speciem in actibus moralibus *e*; non quidem vniuersim in genere entis, sed moris *f*. Sic etiam actus interior, siue sit intentio finis, siue electio, ex sua specie bonus vel malus est, ex fine, eodem actu volito, vt obiecto; non item exterior *g*; vti nec interior ab alio interno reflexo imperatus, si finem pro obiecto non habeat, vt est v. g. actus charitatis imperatus à virtute pœnitentiæ; licet ex eô velut circumstantia accidentalem bonitatem contrahere, minimè sit negandum *h*. Nec tamen ideò electio omnem suam bonitatem sumit ex solo fine, cum possit habere propriam bonitatem ex medio secundum se considerato; ita vt idem actus bonus sit elicitus ab vna virtute, & imperatus ab alia *i*; Quidquid nonnulli negent. Licet enim ad formalem virtutis actum requiratur, vt ipsa propter se & suam bonitatem placeat *k*, non tamen est necesse, vt voluntas in ea vltimatè sistat. Bonitas actus interni non sumitur ex solo obiecto, sed quędam etiam ex fine extrinseco, & circumstantiis, qua tales sunt *l*.

a b *S.Thom.q.18.a.2.3.4.com.* c *S.Thom.a.4.ad 3.com.* d *S.Dion.c.4. de diuin.nom.* e *S.Thom. quæst.18.art.5.* f *Conr.ex S.Thom.ibid.ad 3.* g *S.Thom.q.8.a.6.* h *Caiet.q.18.a.6. Azor. l.2.c.2.q.2. Sig S.Thom.q.19.a.2.ad 1.contra Vasq.d.101.c.5.* i *S.Thom.2.2.q.12.a.2.ad 2. & q.32.a.1.ad 2.com.cont.Vasq.d.101.c.3. Occam. Alm.* k *Arist.2.Ethic.4.* l *Medin.Caiet. Val. & ipse S.Thom.q.19.a.2.ad 1. & 2.sup.h.*

45. Quando obiectum non est per se ordinatum ad finẽ, differentia secundum speciem, quæ est ex obiecto, non determinat eam, quæ est ex fine, nec contra; sed actus moralis tunc sub duabus speciebus quasi disparatis constituitur *a*; vt cum aliquis furatur vt mœchetur; secus, quando obiectum per se ordinatur ad finem *b*. Sed & circumstantia, quæ habet specialem ordinem conformitatis aut difformitatis ad rationem, constituit actum in specie boni vel mali, siue is per se aliâs bonus vel malus nõ sit, siue sit *c*. Quo casu circumstantia specialem ordinem difformitatis ad rationem habens addit nouam & diuersam malitię speciem ad præcedentem; siue sit circumstantia finis, quod omnes fatentur; siue alia, vt accidit in adulterio, raptu, incestu *d*. Aliæ verò circumstantiæ, quæ per se non habent specialem & proprium ordinem conuenientiæ vel disconuenientiæ cum ratione, non tribuunt speciem bonitatis aut malitiæ actui, quamuis eam possint augere vel minuere. Talis est intensio

ſio vel remiſſio; aut etiam duratio actus; item multum & parum in obiecto bono vel malo *e.*

a b *S.Thom.quæſt.18.a.7.com.* c *S.Thom.a.10.* d *S.Thom.22.q.154.a.1.ad 2.Caiet.ibid.Vaſ. d.53.c.3.Conr.quæſt.18.a.10.* e *S.Thom.q.18. art.11.*

46. Dubitatur, an omnis actus moralis, bonus vel malus, ſit in aliqua certa ſpecie. Ratio dubitandi eſt, quia poteſt eſſe actus bonus vel malus ex obiecto generico, vt eſt voluntas nunquam peccandi, ſeu honeſtè ſemper viuendi, aut propoſitum malè viuendi. Nec deſunt, qui ob hanc ipſam cauſſam concedant, poſſe dari peccatum in nulla certa ſpecie conſtitutum *a.* Sed contraria videtur verior. Nam hæc ipſa ratio, quamuis generalis, ſi ita præcisè ſumatur, ſufficit ad ſpecialem malitiam actui conferendam *b.* Imò non eſt improbabile, ſi abſit peculiare aliud motiuum (quod tamē in actu illo malo vix fieri poterit, cum nemo intendat malum vt malum) etiam habitum proprium ac ſpecialem tali actui ſaltem bono aſſignandum; quod vix negari poterit de actu habente bonum ſupernaturale in genere pro obiecto. Eſt enim hic planè difficilis, eo ipſo, quod obiectum ſupernaturale habet; idemque de habitu ſimili acquiſito *c* probabiliter dici poteſt.

a *Val.q.14 p.4.* b *Vaſq.d.50.c.2.poſt alios.* c *Recent.cont.Vaſq.l.c.*

47. Etſi malus finis poſſit electionem honeſti medij

medij malam reddere, non tamen poteſt finis bonus electionem mali medij reddere bonam *a*; etſi malitiam eius minuat *b*, vt ſi furtum committas, propter eleemoſynam faciendam. Nec adeò poteſt actus, ſiue internus, ſiue externus *c*, reſpectu eiuſdem operantis, ſimul eſſe bonus & malus ex diuerſo fine. Secus eſt ſi loquamur de opere externo v. g. eleemoſyna, procedente à duobus operantibus *d*. Intentio finis honeſti abſoluta, aut ſine reſpectu determinato, ad malum medium, non contrahit malitiam ex malo medio; eſto non niſi malum medium reipſa ſuppetat *e*: ſecus ſi verſetur circa finem cum reſpectu ad malũ medium *f*. Quia in poſteriori caſu prauum medium habet ſe vt circumſtãtia Quo, ſeu quibus auxiliis, reſpectu intentionis; in priore autem impertinenter: cum etiam intentio finis praui, quæ ſe ad actum ex ſe bonum ſolum habet conſequenter, aut concomitanter, eundem minimè inficiat *g*.

a *S.Thom.q.19. a.7.com.* b *S. Aug. l.cont. mend. c.8.com.* c *S.Thom. ibid com. contra Guil. de Bellomonte. Alm. & quoſd. recent. apud Vaſq. d.70 c.2.* d *com.* e *Vaſq d.68.c.1 post S. Bernard. Bonau. Rich. &c.* f *cont. Alm. & quoſd. recent.* g *S.Thom. quæſt.19. art.7. Vaſq. d.70. c.3. com.*

48. Bonitas & malitia ex fine prius conuenit actui interiori voluntatis, quàm exteriori *a*, qui quoad hanc bonitatem dependet ab interiori.

At verò bonitas & malitia desumpta ex materia & circumstantiis actus externi, prius conuenit actui exteriori (obiectiuè tamen & materialiter) quàm interiori, habenti pro obiecto eum actum *b*; quia voluntas furandi mala, quia furari malum est. Quocirca etiam hæc bonitas aut malitia non dependet à bonitate vel malitia voluntatis. Quod si consideretur actus exterior, vt est actus moralis; & effectus quidam interioris, adeoq; secundum bonitatem & malitiam moralem vt sic; tum bonitas & malitia ipsius simpliciter est posterior bonitate ac malitia actus interioris *c*; quia actus exterior suam moralitatem omnem accipit ab interiori.

a b c *S.Thom.q.20 a.1.2.com. Conr. ibid. Ferrar. 3 cont. gent. c.10. & ferè Val. q.15. p.1. contra Vasq. d.93.*

49. Si actus exterior ex se nec bonus, nec malus sit, tum eandem habet bonitatem vel malitiam cum actu interno ex fine desumptam, quæ primariò, vt dictum, afficit internum actum, secundariò externum *a*. Eodem modo si actus internus solum sit bonus vel malus, quia circa actum externum malum aut bonum versatur; vt est voluntas furandi, vel occidendi; tunc rursum eadem est vtriusque bonitas vel malitia, primariò afficiens actum externum, secundariò internum *b*. Quo fit, vt in vtroque casu, sit etiam vnicum tantum numero peccatum; sicut etiam vterque actus in genere moris censetur vnus.

Boni-

Bonitas vel malitia, quam actus exterior habet ex fine, nihil addit ad bonitatem vel malitiam actus interioris circa eundem finem *c*; nisi quãdoq; per accidens; secus si loquamur de illa bonitate vel malitia, quam actus exterior habet ex materia & circumstantiis *d*; hæc enim per modum termini perficit interiorem.

a b *S.Thom.q.19.a.3.com.* c d *S.Thom.q.19.a.4.*

50. Si voluntas interior sine externo opere perfecta sit & efficax (qualis tamen non est, si impossibilitas sit pręcognita operãti *a*) ita vt ob solum defectum possibilitatis, per accidens ac præter intentionem operantis interuenientem, omittatur opus, tum quidem ea voluntas apud Deum tantundem præmij vel pœnæ essentialis (non accidẽtalis, aut valoris ad satisfaciendum) per se loquendo consequitur, quantũ si ad opus ipsum progrederetur *b*. Nec tamen ideo voluntas remissa eliciendi actum charitatis intensum, vt octo, eiusdem meriti est apud Deum, cum actu charitatis intenso vt octo *c*. Alia enim ratio est actuum internorum voluntatis, qui cum per se liberi sint, atque suam bonitatem moralem ab aliis actibus reflexis non accipiant, possunt nouam bonitatem ad præcedentem superaddere.

a *Sup.th.19.* b *S.Tho.q 20.a.4.com.iuxta c.qui bona.17.q.1. & c.magna pietas de pœn.d.1. Aug. l.1.de lib.arbit.c.3 & epist.49.Greg.hom.5.in Euang. Bern.ep.77. com.cont.Hug.vict.Scot. Aureol.* c *S.Thom.q.19,a.2.com.*

CAPVT

CAPVT IV.

De ratione siue conscientia, deq; lege ac voluntate diuina, quatenus regula sunt actuum humanorum.

51. Primaria ac intrinseca regula, ex qua bonitas actus dependet, est ipsa natura rationalis, secundaria autem recta ratio practica *a*. Sed vndenam dicatur ratio recta, prout regula est humani actus, seu in quo consistat eius rectitudo, ambigitur. Et multi quidem dicunt *b*, rationem rectam esse, quæ consentit recto appetitui, ita vt veritas quidem intellectus speculatiui consistat in conformitate intellectus cum re cognita, veritas autem intellectus practici in conformitate cum appetitu recto. Sed etsi hoc modo à posteriori rectè explicari possit ratio recta; præsertim in his, quæ sunt ad finem *c*; tamen si quis definiat rectam rationem esse, quæ consentiat appetitui recto: & appetitum rectum, qui consentiat rectæ rationi, is inutilem planè committet circulum *d*. Nec placet, quod alij nonnulli dixerunt *e*, rationem rectam in proposito aliud non esse, quàm iudicium diligens rationis practicæ, seu verum in se sit, seu falsum; quia diligentia iudicij esse potest sine rectitudine. Accedit quòd vtraque hæc sententia falsò supponat, prudentiam, ad quam spectat tale iudicium, posse elicere assensum speculatiuè falsum, nec posse vni-

uersim pro regula humanorũ actuum assignari iudicium verum veritate speculatiua.

a *S.Thom.q.19.a.3.* b *recent.com.* c *S.Thom.q.19.a.3.ad 2.& q.57.a.5.ad 3. Arist.6. Eth,c.2.* d e *Vasq.d.58.c.1.*

52. Nobis verò recta ratio non alia videtur esse, quàm vera; neq; veritas practici iudicij, prout regula est rectæ actionis, alia, quàm speculatiui. Semper enim conclusio practica de agibili aliquo particulari, nimirũ hoc vel illud hic & nunc esse licitum & honestum, quæ proxima regula est humanæ actionis, non tantum practicè, sed etiam speculatiuè (facta collatione eius cum re ipsa, secundum omnes circumstantias spectata) vera est *a*, & apta colligi, sine errore, ex veris præmissis & principiis practicis, quorum habitus vocatur synteresis *b*. Etenim cum Iacobus Patriarcha v. g. Genes.29. supposita ignorantia inuincibili, qua prudẽter credebat, eam cui iungebatur Liam, suam esse vxorem Rachelem, ita rationando concluderet, Honestum est accedere ad hanc mulierem, verum omninò conclusit; neque huic vero concludendo aliæ præmissæ erant necessariæ, quàm istæ. Ad eam, quæ merito creditur propria vxor, accedere honestum est; hæc meritò hic & nunc creditur propria vxor: Ergo. Vbi & conclusio & præmissæ non solum practicè; sed etiam speculatiuè veræ sunt; idque similiter in quauis alia materia accidit. Quod si is in antecedente dixisset, hæc est propria vxor, ex

ex falſo verum nihilominus concluſiſſet, ſed abſque neceſſitate.

a *Gerſon.3.p.tr.de Vit.ſpir.lect.4.Cor.3.ſeu alph. 62.l.l.& agnoſcit tandem Vaſq.d.58 c.2.poſt Dur.Cord.contra recent.* b *S.Thom.1.p.q.79. art.13.*

53. Conſcientiæ vocabulum variè quidem accipitur *a*, ſed propriè ſignificat actũ intellectus; adeoque cognitionem vel de ipſa actione præterita, aut ſimpliciter vt præterita eſt, qua ratione dicitur teſtari; aut etiam vt bona vel mala eſt, qua ratione dicitur excuſare, accuſare, ſeu remordere; vel de actione ſeu opere faciendo, vel non faciendo, qua ratione dicitur ligare vel inſtigare *b*: quò ſpectat etiam inprimis iudicium de ipſa honeſtate vel malitia operis exercendi. Et quidem priori ratione per ſe eſt actus ſpeculatiuus, poſteriori autem practicum iudicium: quo etiam ſenſu maximè ad propoſitum ſpectat, & diuiditur in conſcientiam veram (quæ eſt ipſa recta ratio, de qua dictum) probabilem, errantem, dubiam, ſcrupuloſam, de quibus ſigillatim agendum.

a b *S.Thom.1.part.quæſt.79.art.13.*

54. Etenim voluntas diſcordans à conſcientia ſiue recta, ſiue errãte, ſemper eſt mala *a*; iuxta illud Rom.14. *Omne quod non eſt ex fide,* (hoc eſt, non ſecũdum perſuaſionem ſeu iudicium conſcientiæ, vt ex contextu manifeſtũ eſt, & SS. Patres exponunt) *peccatum eſt*; vt proinde id etiam

de fide certum meritò credatur *b*. Nec tamen contra errantẽ conſcientiam agere ſpeciale peccatum eſt, ſed eius ſpeciei ac rationis ſeu grauitatis, ſub qua apprehenditur ab operante *c*; eſto etiam in actu quaſi ſignato ſub nulla certa ſpecie aut ratione apprehendatur *d*. Jd ſi operans nec explicitè nec implicitè æſtimet eſſe mortale, veriſimilius eſt eſſe tantum veniale *e*.

a *S.Thom.q.19.a.5.* b *Vaſq.& alij.* c *S.Thom.cit. a.5.ad 8.com.cont.Adrian.* d *th.46.cont.Val. q.14.p.4.* e *Nau.prælud.9.n.9.Val.l.c.& th. 43.cont.Vaſq.d.60.c.3.*

55. Voluntas concordãs rationi ſiue conſcientiæ erranti per ignorantiam vincibilem, eſt mala *a*; ſecus ſi ratio erret per ignorantiam inuincibilem *b*; Quocirca conſcientia inuincibiliter errans ad vtrumq; ligat ſiue obligat *c*, & vt contra eam non agamus, & vt eam ſequamur, quia ex hypotheſi deponi non poteſt, nec debet: conſcientia autem erronea vincibilis ad hoc ſolum, ne contra eam agamus *d*, quia hoc ipſo quod vincibilis eſt, deponi poteſt & debet: ſicq; etiam ſatis vitatur perplexitas conſcientiæ, ſeu neceſſitas peccandi: Vtrum verò maius peccatum ſit, contra conſcientiam erroneam agere, an vincibiliter errantem ſequi, non poteſt certa regula definiri *e*, ſed ex ratione materię diiudicandum. Tanta verò eſt obligatio conſcientię erronęę, vt nec Deus in ea obligatione (cum ſit iuris naturalis) quandiu quidem ipſa conſcientia permanet,

net, dispensare possit *f*; nec verò etiam semper ad nudum iudicium seu præceptum superioris deponi possit, vel debeat *g*.

a b *S.Thom.q.19 a.6.com.* c d *S.Thom.q.19.a.5. 6.com.cont.quosd.apud Vasq.d.60 c.2.* e *Vasq. d.60.c.3. post Dur. Alm. Angel.Cord.contra Bassol.2.d 39. Henric.quodl.1. q 9.* f *Vasq. d. 61.c.2.cont.Cord.l.3.q.10.* g *S.Thom.2. d.39. a.3. ad 3. Armil. Vasq. d.61.c.1.& alij contra Bonau.2.d 39.a.1.q.3.*

56. Etsi non pauci existiment *a*, è duabus quoq; probabilibus opinionibus, quarum vtraque coniuncta sit cum formidine oppositæ partis, necessariò sequendam esse tutiorem; è duabus verò non æquè probabilibus, probabiliorem, nisi altera sit tutior, quam sequi semper integrum est; verius tamen est *b*, per se loquendo (nisi quis videlicet aliquam opinionem in se probabilem prorsus habeat pro improbabili) cuiuis tam docto, quàm indocto licitum esse, sequi quamuis sententiam practicè probabilem, faciendo scilicet idipsum, quod cum talibus circumstantiis rectè & sine peccato fieri posse, probabiliter existimatur: idque etiamsi vir doctus ex principiis propriis ac intrinsecis oppositum probabiliter verum esse iudicet *c*; ac siue probabilitas illa ex plurium, aut vnius solum *d* Doctoris auctoritate oriatur. Nam si potest ac debet quisque non solum in dubio, sed etiam cum certus non est, iudicio sui superioris etiam con-

tra suam opinionem se conformare *e*, cur non possit quis se conformare in agẽdo iudicio probabili cuiusdam alterius viri docti, etiam contra suam opinionem? Accedit quod ipsamet opinio practicè probabilis aliud non est, quàm prudens ac probabile iudicium, hoc vel illud secundum præsentes circumstantias esse licitum, rectè igitur ac prudenter id sequi licet.

a *Henric. quodl.4.q.33. Caiet. Siluest. Armil.V. opinio Cord.l.2.q.3.Sot. de iust.q.6.art.5.&c.* b *Nauarr.c.27.man.n.286.& 288.& in cap. si quis de pœnit.d.7.n.53.Medin.q.19.a.6.Val. q.14.punc.4.Vasq.d.62 c.4.& 8. Azor.t.1.l.2. c.12.& c.16.q.1 & 4.Sanch.t 1.de matr.l.2.d. 4.a.9. Sa.v.dubium.n.2.3.* c *Med.Vasq.2.5.* d *Nau.Sa.l.c.cont.Vasq.n.17.* e *Cord.l.3.q.9. Vasq.c.6.cont.Adr.quodl.2.*

57. Quotiescunque conscientia practicè dubia est, ita vt de honestate actionis exercendæ in particulari dubitetur, certum est, peccatum esse, stante dubio, eam exercere *a*: iuxta regulam iuris *b. In dubiis tutiorem partem eligendam.* Quod si dubium hoc sine caussa rationabili conceptũ sit, tum eo ipso deponi potest; si verò ex caussa rationabili profectum, necesse est *c* interuenire aliam caussam rationabilem, quæ probabile faciat, licitum esse sic operari. At verò in dubio quasi speculatiuo Iuris, seu facti, ad honestatem alicuius actionis præsuppositi, vnde tamen iudicium practicum de honestate actionis exercen-

dæ

dæ aliquo modo pendet, quid facto opus sit, an videlicet, occurrente & stante tali dubio, semper pars tutior sit eligenda, admodum dubium est.

a S.Thom.q.19.a.6.ad 3.com.omn.DD. b cap.ad audientiam. c. significast.1.& 2. de homicid. & c. Iuuenis de sponsalibus. c Vasq.d.67. c.2. post Ioan. Medin.cont. Caiet.q.65.art.4.Val. q.14.p.4.

58. Nec desunt qui vniuersim existiment *a*, tam in dubio iuris, quoties dubitatur vtrum sit lex aliqua, an non, & solum agitur de periculo peccandi, quam in dubio facti, (excepto vno vel altero casu ad materiam iustitiæ pertinente, vbi in dubio de rei proprietate melior censetur conditio possidentis, &c.) semper ac necessariò tutiorem partem esse eligendam. Alij verò sentiunt *b*, post factam quidem sufficientem inquisitionem, quæ necessariò prius fieri debet, in dubio quidem iuris per se nunquam eligendam necessariò partem tutiorem, in dubio autem facti non semper. Quod etiam nobis probatur. Tum quia contraria sententia & efficaciter non probatur, & in praxi nimis difficilis est & onerosa. Tum quia lex sufficienter non intimata, aut inuincibiliter ignorata non obligat. Tum quia miles de iustitia belli dubius potest nihilominus militare *c*. Tum quia dubius de rei proprietate, si in possessione est, non tenetur eam relinquere, ex omnium sententia; cum tamen peccandi

periculum non minus in materia iustitiæ, quàm in aliis vitandum sit. Tum quia illa regula iuris, *In dubio melior conditio possidentis*, locum habere videtur in quauis materia, vbi post sufficientem inquisitionem dubius est operans de obligatione. Iure enim tunc manere ipse videtur in possessione suæ libertatis, quam nemo illi ademisse noscitur.

a *Vasq. d. 65. c. 3. & d. 66. c. 1. Sig. Azor. l. 2. c. 18 q. 4. & 5. & c. 19. q. 10.* b *Bart. Medin. l. 1. Sum. c. 13. Sa. v. dub. n. 1. Suar. t. 5. d. 40. s. 5. 6 Henric. l. 8. de Euch. c. 45. Sanch. de matr. t. 1. l. 2. d. 41. q. 3. n. 36. & Sig. Sot. l. 6. de iust. q. 3. a. 2. Val. t. 3. d. 6. q. 6. p. 4. & fauet. glossa. cap. cum. quis de reg. iuris in 6.* c *cap. quid culpatur 23. q. 1.*

59. Quocirca non tantum in materia iustitiæ, sed aliarum etiam virtutum, non semper tenetur operans in dubio facti post sufficientem inquisitionem eligere partem tutiorem; siquidem in materia religionis nemo tenetur voto, de quo dubius est, an illud emiserit *a*; nemo audire sacrum, si meritò dubitet, an sit dies festus *b*; in materia temperãtiæ nemo tenetur ieiunare, qui iustè & inuincibiliter dubitat an sit dies ieiunij *c*; & vniuersim in materia obedientiæ nemo cogendus ad eius præcepti obseruationem, quod etiam post sufficientem inquisitionem dubitat, seu nescit, an extet *d*: secus est, quoties ex parte operantis supponitur certa obligatio ad aliquid faciendum, & dubium manet, an ei fuerit satisfactum,

factum, tunc enim omnino eligenda est pars tutior e: saltem extra materiam iustitiæ, quia tunc operans non supponitur in possessione suæ libertatis, vtpote cum certa sit obligatio, & solum de eius executione dubitetur. Exempla sunt, si quis dubitet, an dies ieiunij totus præterierit, an horas dixerit, an voto satisfecerit.

a b c d *Suar. & alij cit.* e *com. omnium.*

60. Jmò non deest, qui idē faciendum sentiat in materia iustitiæ, cū quis dubitat, an creditori satisfecerit. Quod vtique verissimum est, si ipse tantum debitor ea de re dubitet; creditor autem existimet non fuisse satisfactum. At si vterque dubitet, existimo meliorem esse conditionem possidentis debitoris; quia non est causa, cur vtroque æquè dubitante, debitor potius qui possidet, eoque ipso melioris est conditionis, quam creditor, sequi debeat partem tutiorem. Sed & in cæteris sæpe casibus ad operandum non sufficit dubium facti, aut circumstantię facti; sed planè requiritur certa eius notitia: v. g. ceruum esse, non hominem, qui in dumeto latitans, iaculo perimendus est; vxorem priorem esse mortuam, si aliam velis ducere, &c. Quæ in particulari ex ipsa cuiusque materiæ ratione diiudicanda sunt.

a *Vasq. d. 66. n. 49. ex com.*

61. Neque iis, quę dicta sunt, obstat regula Iuris, *In dubiis tutiorem partem eligendam*, quam etiam allegat Pontifex cap. *Ad audientiam* de homici-

micidio, simul ob eam statuens, eum qui dubitat de perpetrato homicidio abstinere debere à ministerio altaris, ob dubium irregularitatis contractæ: Nam regula quidem illa vniuersim obligat, vbi practicè & in particulari dubitatur de honestate operis faciendi; de reliquo autem in consilio est. Quo sensu tanquam congrua ratio adhibetur à Pontifice ad particularem illum casum definiendum. In quo proinde fatendum est, dubitantem debere tutiorem partem eligere, etiam in foro conscientiæ, non quidem vi legis naturalis aut diuinæ, sed vi legis positiuæ humanæ, quæ si abesset, etiam obligatio talis non esset.

Suar. & Sanch. l. contra Vasq. l. c.

62. Scrupulosam conscientiam non omnes eodem modo explicant. Quidam aiunt *a*, esse leuem quandam suspicionem, aut existimationem, ex leuibus ortam rationibus & fundamentis, qua quis credit aliquid esse peccatum, quod reuera non est; ita vt scrupulus aliquando contingat cum assensu determinato, aliquãdo cum dubio, vtrum illud sit peccatum. Et hoc sensu certum est ex dictis *b*, peccatum esse ab ea discordare, nisi abiiciatur. Rectius alij *c*, & magis propriè scrupulosam cõscientiam definiunt anxiam formidinem, ne fortè idipsum sit malum quod tamen licitũ existimatur, & ab hac discordare per se non est illicitum *d*; sæpe etiam consultum, imò aliquando necessarium *e*, præsertim

sim iuxta confessoris, aut alterius viri spiritualis, docti & prudentis consilium; quod optimum esse solet scrupulosis remedium.

a *Vasq.d.67.c.2.num.8.* b *thes.54.57.* c *Val.q.4. p.4.* d *com.* e *Anton.1.p.tit.3.c.10.§.10.Silu. v. Scrupulus* Nau.*man.c.27.nu.228.Val.l.c. Azor.l.2.c.20.*

63. Cum certum quidem sit, bonitatem voluntatis & humanæ operationis pendere etiam à lege Dei æterna, eiusque diuina voluntate, tanquam suprema, extrinseca tamen, regula humanarum actionum; nec dubium sit, quin vniuersim teneamur conformare voluntatem nostram diuinæ legi *a*, dubium tamen est, an semper teneamur conformare voluntatem nostram cum diuina voluntate, præsertim in obiecto materiali, & an id perpetuò sit licitum? Ad quod, quia varia tam nostræ, quàm diuinæ voluntatis ratio & consideratio, variaque vtriusque inter se conformatio *b* esse potest, sequentibus pronunciatis distinctè respondemus. I. Ex parte finis eatenus debet voluntas nostra diuinæ conformis esse, quatenus saltem implicitè omnia ad Deum vltimum finem referre debemus *c*. II. Quoad rationem volēdi seu volitum formale debemus itidem conformari diuinæ voluntati saltem secundum specificationem actus, ne vnquã quidquam nolimus, sub ea formali ratione, qua Deus vult illud *d*. Deus enim ordinatissimè vult

omnia

omnia in ordine ad seipsum, suamque gloriam; sub qua ratione respuere nihil possumus.

a S.Thom.quæst.19.a 4. b *S.Thom.quæst.19.a.10.* c d *S.Thom.q.19.a.9.*

64. III. Ex parte quasi formæ seu modi volendi, non tenemur semper positiuè conformare voluntatem nostram voluntati diuinæ, operando scilicet ex charitate, sicut ipse solet; sed solum eo certo tempore, quo præceptum charitatis obligat *a*. IV. Ex parte quasi caussæ efficientis, debemus quidem conformari diuinæ voluntati in iis, quæ vult nos velle vi præcepti; cætera autem, quæ vult nos velle solum per modum consilij, honestum quidem est velle, sed nō necessarium *b*. Ac proinde V. nec ex parte voliti materialis tenemur semper conformare nostram voluntatem diuinæ, quin possimus etiam efficaci voluntate nolle ea, quę Deus solum vult voluntate antecedente per modum consilij *c*. VI. Sed & simplici voluntate multa displicere nobis, certa quadam ratione, possunt, quę Deus facit *d*, quæq; adeo Deum efficaciter & voluntate consequente velle scimus. Patet hoc exemplo Christi tristantis de sua morte, item exemplo Dauidis lugentis mortem Saulis, Ionathę & Absolonis. Ratio est. Quia multa sunt obiecta, quæ licet sub quadam ratione, qua Deus ea vult, sint bona, tamen sub alia sunt mala, præsertim nobis, quæ proinde sub ea ratione honestè possumus respuere, saltem inefficaci & simplici voluntate.

Talia

Talia sunt molesta cœli temperies, & similes pœnæ, seu mala huius vitæ.

a b c *com.* d *S.Thom. quæst.19. artic.10. Alex. Richar. Marsil. Durand. Val. q.14. q.8. Vasq. d.72. c.3.4. com. cont. Gabr. lect.68. in can. & 1. d. vlt. Arrim. ibid.*

65. VII. Voluntate absoluta & efficaci non possumus honestè nolle, quod pro tempore scimus Deum velle efficaciter & absolutè fieri *a*. Esset enim talis volũtas stulta & impossibilis. Secus est, quando nescimus, quid Deus velit efficaciter. Sic enim absolutè & efficaciter volumus quemlibet proximum saluari, quia nescimus, qui sint reprobi *b*. Sic etiam efficaciter respuimus & fugimus ægritudines cæterasque miserias huius mundi, quia non scimus Deum etiam in futurum velle nos iis esse subiectos. VIII. Nil possumus honestè velle, quod non etiam Deus velit, saltem voluntate antecedente; quia omne bonum & honestum vult Deus aut iubendo, aut consulendo seu approbando; nil autem velle possumus nisi honestum. Multa autem sæpè honestè volumus etiam absoluta & efficaci voluntate, quæ Deus non vult voluntate consequente *c*; vt omnes homines distributiuè saluos fieri.

a *Vasq. d.72. c.3.* b *S.Thom. 22. q.83. art.7. ad 3.* c *Val. q.14. p.8.*

66. IX. Ad hoc vt nostra voluntas honesta sit, satis non est, vt conformetur voluntati diui-

næ in volito materiali *a*. Patet exemplo Iudæorum, qui mortem à Christo volitam etiam ipsi, sed impiè tamen voluerunt. Idem patet etiam in actibus per se indifferentibus *b*. X. Probabile est posse hominem semper aliquo modo honestè quippiam velle, sub ea ratione, qua scimus Deum id velle *c*. Tum quia id, quod Deus vult, sub ea quidem ratione, qua vult, non potest non esse honestissimum. Tum quia de facto beatorum voluntas ita conformatur diuinæ voluntati *d*. Tum quia hac ratione passim testatur Scriptura, sanctos voluisse mortem & damnationem impiorum, verbi gratia, Psalm. 30. *Deducantur in infernum viuentes*, & Psal. 67. *Sic pereant peccatores, &c.*

a *com.* b *Vasq. d. 72. cap. 5. contra Medin.* c *Vasq. l. c. Sig. S. Thom. quæst. 19. art. 9. contra Abulens. Gabr. Marsil. Victor. Medin.* d *Anselm. lib. similit. cap. 67. & S. Thom. quæst. 19. artic. 10. ad 1.*

67. Sic ergo etiam cum explorata nobis est diuina voluntas, velle possumus omnia mala pœnæ, tam communia, quàm priuata diuinitus immissa, sub ea ratione, qua Deus illa vult; ipsamque etiam peccatorum, quæ fiunt, permissionem, in ordine ad gloriam Dei; quatenus quidem ex ipso facto innotescit, Deum eam velle: item mortem & damnationem eorum, qui moriuntur, & ob peccata damnantur, siue in particulari, (si quando de hac diuina voluntate particula-

ticulatim constat, quod rarò accidit:) siue in communi, in ordine ad manifestationem eiusdem diuinæ gloriæ: imò voluntate simplici, etiam priuationem gratiæ propriæ, ob peccatum præteritum, non quidem vt ea in nobis permaneat, nec quatenus est peccatum; Sic enim nec Deus eam vult; sed quatenus præcisè est pœna à Deo ob peccatum præteritum iure irrogata; id enim solum est approbare diuinam iustitiam peccatum ita vindicantem. Quod si diuinitus alicui contingat reuelatio seu peccati committendi, seu permansionis in peccato commisso, seu ipsius etiam damnationis futuræ, censendum est ordinariè esse hypotheticam. At si ponatur esse absoluta, non videtur illicitum, simplici voluntate eam permissionem peccati, seu damnationem velle, sub ea ratione, qua Deus eam vult; quamuis semper illicitum sit velle ipsum peccatum, quandoquidem hoc nec Deus vult. *Vide Vasq. l. c.*

68. XI. Non semper tamen licitum est efficaciter & absolutè velle, quod Deus vult voluntate consequente *a*; multò minus licet semper idipsum procurare efficaciter, quod Deus ea voluntate vult; imò quandoq; etiam tunc, cum aliquid licitè voluntate simplici sub vna ratione volumus, quod Deus vult, tenemur id sub alia ratione non velle, imò etiam facere, quantum in nobis est, ea, quæ talem euentum ex se impedire possunt *b*; vt si cui absoluta etiam reuelatione

sua

ſua damnatio reuelaretur, deberet is nihilominus honeſtè viuere, non ſecus ac ſi beatitudinem eſſet conſecuturus. Item qui extra gratiam eſt, eſto agnoſcat eam priuationem ſibi vti pœnam iure irrogatam à Deo, ſicque adeo etiam voluntate ſimplici approbet, tamen ſub alia ratione, vt à Deo ſeparat, debet ea diſplicere, ac ſuo tempore reipſa tolli. Sicq; etiam intelligi poteſt S. Auguſtinus c cum ait; *Si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus vult mori, & malus filius velit mori patrem, quem Deus vult mori, magis conſonat bonæ voluntati Dei pietas illius, quamuis aliud volentis, quàm impietas huius quamuis idem volentis.* Loquitur enim de voluntate impij filij ex odio ſeu maleuolentia mortem patris volentis; quod facere vtiq; impium eſt.

a b *com. apud citt.* c *Enchir. c. 101.*

FINIS.

CAPVT

In I. II. sancti Thomæ.

Disputatio Theologica II.

DE VIRTVTIBVS ET VITIIS SIVE PECCATIS IN GENERE.

Proposita Ingolstadij anno M. DC. IV.

BIpartita est apud Theologos tractatio huius materiæ de virtutibus & vitiis. Generalis altera quæ nimirum de vtrisque in genere agit, & à S. Thoma pertractatur in prima secūdæ, altera specialis, quæ singulas virtutum ac vitiorum species in particulari persequitur, atque ab eodem Doctore sancto absoluitur in secunda secundæ. Nos priorem hac disputatione excutiendam proponimus: quā etiam pro ratione materiæ in duas partes principales diuisimus. Prior de virtutibus quinque capita continet. I. De natura & ratione virtutis. II. De subiecto virtutum.

III. De distinctione virtutum. IV. De connexione, æqualitate, ac duratione virtutum. V. De donis, Beatitudinibus, ac fructibus Spiritus sancti. Posterior de vitiis ac peccatis nouem capita habet. I. De natura ac ratione peccati. II. De peccatorum distinctione. III. De peccato actuali commissionis & omissionis. IV. De peccato mortali & veniali. V. De peccato habituali. VI. De peccato originali. VII. De subiecto peccati actualis. VIII. De caussis peccatorum. IX. De peccatorum effectibus. Quod autem Virtuti pars minor disputationis tribuitur, peccatis maior, ideo fit, quia Virtus exerceri magis poscit, quàm explicari; peccatum verò tam benè explicatur, quàm malè exercetur.

Pars prima de Virtutibus.

CAPVT I.

De natura & ratione virtutis.

THESIS PRIMA.

VIrtus seu à viro dicta sit, vt vult Cicero *a*, quod etiã alicubi videtur dicere Isidorus *b*, seu vir à virtute, vt alibi *c* docet idem Isidorus, ex vi nominis præstantem, & quasi masculam quan-

quandam vim & perfectionem significat. Hinc autem facta denominatione aliquando etiam pro obiecto accipitur, aut opere, quod per virtutem attingitur, aut efficitur. Quo sensu intelligitur illud Euangelistæ de Christo: *Non poterat ibi vllam virtutem facere d.* Est cum idem nomen etiam pro actu virtutis vsurpatur, quo modo S. Augustinus *e* dixit, virtutem esse *bonum vsum liberi arbitrij.*

a *lib. 2. Tusc. qq. post. med.* b *lib. 11. Etym. cap. 1.* c *lib. 10. Etym. litt. u.* d *Marc. 6.* e *lib. de lib. arbit. c. 19.*

2. Sed his posterioribus acceptionibus omissis, quæ impropriæ sunt, prior tantum ad hunc locum pertinet, quanquã nec ea quidem omnis. Quia enim de virtute ea ratione tractat Theologus, qua earum operationum, quibus ad finem vltimum contenditur, principium quoddam est, & quidem naturalibus animæ potentiis superadditum: hinc fit, vt de virtute tantum humana nobis in proposito agendum sit. Cæterarum rerum vires ac virtutes Philosophis considerandas relinquimus.

3. Juxta descriptam nominis notionem, Virtus est habitus quidam operatiuus bonus potẽtię aliquo modo rationalis, qui & *bonum seu benè affectum facit habentem, & opus eius bonum reddit;* vt docet non solum Philosophus *a*, sed etiam communis Theologorũ sententia *b*, quam etiam ipsa firmat ratio. Cum enim vis quædam

III. De distinctione virtutum. IV. De connexione, æqualitate, ac duratione virtutum. V. De donis, Beatitudinibus, ac fructibus Spiritus sancti. Posterior de vitiis ac peccatis nouem capita habet. I. De natura ac ratione peccati. II. De peccatorum distinctione. III. De peccato actuali commißionis & omißionis. IV. De peccato mortali & veniali. V. De peccato habituali. VI. De peccato originali. VII. De subiecto peccati actualis. VIII. De caussis peccatorum. IX. De peccatorum effectibus. Quod autem Virtuti pars minor disputationis tribuitur, peccatis maior, ideo fit, quia Virtus exerceri magis poscit, quàm explicari; peccatum verò tam benè explicatur, quàm malè exercetur.

Pars prima de Virtutibus.

CAPVT I.

De natura & ratione virtutis.

Thesis Prima.

VIrtus seu à viro dicta sit, vt vult Cicero *a*, quod etiã alicubi videtur dicere Isidorus *b*, seu vir à virtute, vt alibi *c* docet idem Isidorus, ex vi nominis præstantem, & quasi masculam quan-

quandam vim & perfectionem significat. Hinc autem facta denominatione aliquando etiam pro obiecto accipitur, aut opere, quod per virtutem attingitur, aut efficitur. Quo sensu intelligitur illud Euangelistæ de Christo: *Non poterat ibi vllam virtutem facere d.* Est cum idem nomen etiam pro actu virtutis vsurpatur, quo modo S. Augustinus *e* dixit, virtutem esse *bonum vsum liberi arbitrij.*

a *lib. 2. Tusc. qq. post. med.* b *lib. 11. Etym. cap. 1.* c *lib. 10. Etym. litt. u.* d *Marc. 6.* e *lib. de lib. arbit. c. 19.*

2. Sed his posterioribus acceptionibus omissis, quæ impropriæ sunt, prior tantum ad hunc locum pertinet, quanquã nec ea quidem omnis. Quia enim de virtute ea ratione tractat Theologus, qua earum operationum, quibus ad finem vltimum contenditur, principium quoddam est, & quidem naturalibus animæ potentiis superadditum: hinc fit, vt de virtute tantum humana nobis in proposito agendum sit. Cæterarum rerum vires ac virtutes Philosophis considerandas relinquimus.

3. Juxta descriptam nominis notionem, Virtus est habitus quidam operatiuus bonus potẽtię aliquo modo rationalis, qui & *bonum seu bene affectum facit habentem, & opus eius bonum reddit;* vt docet non solum Philosophus *a*, sed etiam communis Theologorũ sententia *b*, quam etiam ipsa firmat ratio. Cum enim vis quædam

sit & perfectio, qua homo ad bonos quosdam actus exercendos perficitur: vt ex ipsa nominis notione patet, necesse est, eam aut potentiam animæ esse, aut habitum bonum operatiuum potentiæ; non est autem potentia, vt habet communis omnium sensus ac modus loquendi, quo in proposito virtutes à potentiis animæ distingui manifestum est: est ergo habitus, & quidem bonus ac operatiuus.

a *lib. prædicam. de qualit. & 2. Ethic. 2. & 6.* b *in 2. d. 2. 7. S. Thom. in 1. 2. q. 55. a. 1. 2. 3.*

4. Vnde magis subtilis, quàm vera meritò censetur illa sententia *a* quę asserit virtutem humanam, de qua nobis hoc loco sermo est, non esse habitum, sed quandam relationem accidentalem conuenientię cum recta ratione habitui superuenientem, cum præsertim etiam eius fundamentum falsum sit: quasi videlicet idem numero habitus & bonos & malos actus possit producere, adeoque de conditione vitij in statum virtutis solo cuiusdam nouæ relationis accessu transire, quod nec veræ Philosophiæ, nec Sanctorum doctrinæ valde consonum videtur.

a *Scot. in quodl. q. 18. a. 1. & in 1. sent. d. 17. q. 2.*

5. Communis illa virtutis definitio, quæ ex S. Augustino *a* sub his verbis colligitur *b*: *Est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur;* virtuti tantum infusæ conuenit: cæteris autem virtutibus tum demum conueniet, si eius

eius vltima particula prætermittatur, & simul per *rectitudinem* generatim intelligatur conuenientia actus cum natura potentiæ, seu cum regula, cui actus conformari debet. Hoc enim omni prorsus virtuti conuenit, qua de causa etiam quælibet in medio versari aliquo modo dicitur *c*. Non quidem secundum se, quasi omnis virtus duos vitiosos habitus sibi extremè oppositos habeat, sed ex parte actus siue obiecti, quatenus nimirum ita suum attingit obiectum, vt nec excedat suam regulam, nec ab ea deficiat *d*.

a *præsert. lib. 2. de lib. arb. c. 18. & 19.* b *S. Thom. l. c. a. 4.* c *Aristot. 2. Ethic. 6.* d *S. Thom. 1. 2. quæst. 61.*

6. Quod autem dicitur, virtute neminem malè vti, non sic intelligēdum est, quasi nemo possit abuti virtute, tanquam obiecto; eam videlicet contemnendo, odio habendo, aut inaniter iactando; sed sensus est, neminem posse per virtutis habitum, tanquam per principium operationis elicere actum malum, eius videlicet rationis malitiâ, quæ opponatur rectitudini illi, ad quam ex suo genere disponit virtus; cum & per virtutem intellectualem non nisi verum cognoscamus, & per virtutem moralem non nisi bonum operemur.

7. De quo tamen ipso controuersia est, an formaliter tantum sit intelligendum, an verò etiam materialiter. Prius enim, quoad virtutes charitate non formatas, asserit Caietanus *a*, cuius hæc

sententia est: nullum actum quatenus quidem à virtutis habitu procedit, malum esse, re ipsa tamen fieri posse, vt aliquis actus in indiuiduo ex circumstantia quapiam extrinseca malus à virtute procedat; nisi virtus sit formata; huic enim repugnare, vt actum vndecunque tandem malum eliciat. Sed præterquam quod hæc sententia satis apertè aduersatur S. Thomæ *b*, cuius assectam se profitetur Caietanus, minus etiam cohæret, & secum ipsa, & cum iis, quæ alibi docuit idem Caietanus.

a *1.2. quæst. 55. a. 4.* b *cit. a. 4.*

8. Jllud quidem, quia si virtuti secundum se non repugnat elicere actum ex aliqua circumstantia extrinseca malum, tum id etiam non repugnabit virtuti formatæ, saltem loquendo de malitia peccati venialis, qualis alioqui cum virtute etiam formata consistere potest. Hoc verò, quia ipsemet Caietanus alibi *a* ex instituto probat, virtutem moralem non elicere actus malos, sed bonos duntaxat: at verò si actus quacunque circumstantia mala deprauetur, simpliciter est malus. Quomodo ergo à virtute elici potest?

a *cit q. a. 1.*

9. Simpliciter igitur dicendum, nullum penitus actum, vndecunque tandem malum à virtutis moralis habitu procedere posse, vt communiter docetur in schola S. Thomæ. Cui sententiæ astipulatur non modò pronunciatum illud Philosophi *a* asserentis, habitus producere actus sibi

sibi similes, sed etiam illud S. Dionysij *b* affirmantis bonum constare *ex integra causa*. Cum igitur virtus sit habitus bonus, ac in suo genere perfectus, actus vndequaque bonos producat necesse est.

a *2.Ethic.1.* b *c.4.de diuin.Nom.*

10. An verò etiã inter virtutes morales, quantum ad præsens institutum attinet, accensenda sit fides, quæritur. Negat Bartholomæus Medina *a*, ratus eam similem esse virtutibus illis intellectualibus, artibus nimirum & scientiis, quibus ex aliqua circumstantia malos moraliter actus elici posse, dubium non est. Sed contrarium verius existimamus, non solum quod S. Thomas *b* fidem distinguit ab illis intellectualibus virtutibus (quas secundum quid tales esse asserit) eamque adnumerat inter virtutes simpliciter, adeoque similem virtutibus moralibus facit; sed etiam, quia fides perficit intellectum: non nudè secundũ se, sed cum respectu ad voluntatem, ac prætereà ex sua intrinseca ratione hominem rectè ordinat ad finem supernaturalem. Ergo fieri non potest, vt vllus actus, vndecunq; tandem malus ab ea procedat.

a *1.2.quæst.56.art.3.* b *loc.iam cit.*

CAPVT II.

De subiecto Virtutum.

11. Ex dictis facilè colligitur, subiectum proprium ac immediatum virtutis esse potentiam

animæ. Neque verò poteſt eadem virtus numero vel ſpecie ſecundum eſſentiam ſubiectiuè eſſe in pluribus potentiis. Cùm enim potentiæ omnes penes generales quaſdam rationes obiectorum inter ſe ſpecie differant, ipſique habitus non alia obiecta habeant quàm obiecta potentiarum, quibus inſunt, neceſſe eſt, vt etiam habitus, qui in diuerſis potentiis inſunt, ſpecie inter ſe differant. Idq; eo magis, quod diuerſitas ſpecifica habituum ſumatur penes ſpeciales quaſdam conditiones obiectorum. Cùm ergo habituum exiſtentium in diuerſis potentiis, generales conditiones obiectorum diuerſæ ſint, etiam ſpeciales diuerſas eſſe oportere, quis non videt?

12. Impropriè tamen & ſecundum quandam analogiam poteſt eadem virtus pertinere ad diuerſas potentias, ita ſcilicet; vt in vna propriè ac ſecũdum eſſentiam inſit, in aliis verò ſit impropriè, idque vel ſecundum quandam diſpoſitionem, vel ſecundum effectum. Sicut prudentia v.g. ſecundum eſſentiam quidem eſt in intellectu, ſed ſecundum diſpoſitionem quandam reperitur etiam in voluntate rectè affecta, ſine qua communiter non benè iudicare accidit; ſicut & ſecundum actus imperatos extendit ſe ad omnes illas potentias, quarum actus ſuo imperio regit. Atque hoc eſt quod S. Thomas *a* aliis verbis aſſeruit, poſſe eandem virtutem *ordine quodam eſſe in pluribus potentiis, ita vt in vna quidem*

ſit

sit principaliter, ad alias verò se extendat per modum diffusionis, siue dispositionis.

a *1.2.q.56.a.2.*

13. Cum autem virtus sit absoluta quædam & consummata perfectio, hominem ad rectè operandum perficiens, vt ex supra dictis colligitur, hinc fit, vt propriè in omnibus & solis illis animæ potētiis esse possit, quæ & aliquo modo sint rationales, & actum perfectum & consummatum habeant, seque ipsas aliquo modo moueant ad operandum: siue alioquin rationales sint per essentiam, qualis quidem est solus intellectus, siue duntaxat per quandam participationem & denominationem extrinsecam.

14. Hinc sequitur virtutem intrinsecè ac subiectiuè non solum esse in voluntate, sed etiam in aliis quibusdam potentiis animæ, vt post Philosophum *a* habet certa & communis Theologorū *b* sententia, quidquid pauci quidam contradixerint *c*, rati virtutem intrinsecè & subiectiuè solummodo esse in voluntate, vtpote quæ sola propriè ac per se libera sit. Quamuis enim hoc ita sit, consequens tamen non fit, quod inferunt, cùm ad subiectū virtutis sufficiat quodcunque liberum seu formaliter, seu denominatiuè, sicut etiam de rationali diximus.

a *2.Ethic.1.& 6.Eth.1.* b *S.Thom.1 2.q.56.Scot. in 3.d.93 q.vn.* c *Rich.in 3.d.33.a.1.quæst.1. Gabr.in 3.d.23.q.1.dub.5.*

15. Est igitur virtus etiam in intellectu, eaq; nō

modo impropriè dicta, aut secundum quid, sed etiam propriè & simpliciter dicta: qualem esse prudentiam & supernaturalem fidem nemo sanè negauerit, cum & ex suo genere simpliciter bonum faciant habentem, & actum eius bonum reddant, quod de virtute asseruit Aristoteles *a*. Et ratio est, quia virtutes illæ intellectum non nudè secũdum se præcisè spectatum perficiunt, sed cum ordine quodam ad voluntatem, adeóque vel vt motum à bono vsu voluntatis, vel vt mouentem voluntatem ad bonum vsum; quod artibus ac scientiis non conuenit.

a *2. Ethic. 6.*

16. In appetitu quoque sensitiuo tam irascibili, quam concupiscibili, quatenus rationi subordinantur, meritò virtus collocatur. Etsi non desint *a*, qui habitus bonos in appetitu sensitiuo constitutos minus propriè velint habere virtutis rationẽ. Quibuscum vti magnopere contendendum non est, quando de re alioqui constat, ita simpliciter retinendus videtur modus loquendi Aristotelis *b* & S. Thomæ *c* qui eiusmodi habitibus propriæ & perfectæ virtutis nomen non denegant.

a *Scot. in 3. d. 33. q. unic. Bonau. ea. d. a. unic. q. 3. Rich. ibid. a 1. q. 1.* b *3. Eth. 10.* c *q. 56. art. 4. Dur. d. 33. q. 4.*

17. Illud apud omnes constat, in membris corporis, ac in viribus sensitiuis apprehensiuis, propriè virtutes non esse. Cum enim membra per se non

non habeant vllum proprium motum, ſeu in bonum, ſeu in malum, ſed per omnia deſpotico quodam principatu ab animo regantur, iuxta Philoſophum *a* non magis egent vlla virtutis perfectione, qua ad rectè operandum habilitentur, quàm baculus qui ad arbitrium tenentis in omnes partes ſurſum, deorſumue mouetur. Vires autẽ illę apprehenſiuæ quoniam actum conſummatum non habent, ſeu in ratione cognitionis, ſeu in ratione moris; ſed vt in homine ſunt, ad cognitionem intellectiuam, tanquam ad quendam terminum ordinantur, virtutis nomen reſpuunt. etſi res hæc tota ferè in quæſtionem nominis verti poſſet. Atq; ob eaſdem cauſas etiam in potentiis motiuis virtutes non conſtituuntur.

a *1. Polit. 3.*

28. Cum autem in voluntate conſtet eſſe virtutes, dubium eſt tamen, quæ nam virtutes in ea collocandæ ſint. S. Thomas *a* enim videtur aſſerere, eas tantum virtutes voluntati ineſſe, quæ hominem rectè diſponunt erga Deum, vel proximum, vt ſunt Spes, Charitas, Iuſtitia, &c. non autem quæ hominem rectè ordinant erga ſeipſum, adeoque circa proprias paſſiones componendas verſantur. vt ſunt temperantia, fortitudo, &c. Cui tamen ſententiæ plerique alij DD. *b* tum veteres, tum recentiores contradicunt, aſſerentes in voluntate veri nominis virtutes eſſe, etiam quæ bonum operantis proprium reſpiciant,

ant,idq; non modo eam ob causam,ne voluntas succumbat prauis motibus sensualitatis, quod propriè præstant continentia & perseuerantia, quas ipsemet etiam Thomas alibi *c* in voluntate constituit; sed etiam vt inordinatas passiones quantum in se est,componat,& in bonum ordinatæ passionis,ob peruersam concupiscentię dispositionem,magnis difficultatibus septum tendat. Quas etiam virtutes eiusdem quidem nominis esse volunt cum iis, quæ circa eadem obiecta sint in appetitu sensitiuo, sed nihilominus tamē specie, imò etiam genere ab iis distinctas. Quorum sententiæ ita subscribimus, vt tamen nec S.Thomam ab ea fuisse alienum existimemus *d*, rati eum solummodo negare voluisse, non esse in voluntate virtutes circa bonum proprium, quatenus illud præcisè secundum se consideratur, (quo modo circa bonum diuinum aut alienum virtutes dari compertum est) non autem quatenus in homine ex repugnantia appetitus sensitiui difficile redditum est.

a *l.c.a.5.* b *Bonau.3.d.33.art 1.q 3.Scot.ea.d.q. vn. Richard.ibid.a.1.q.1. Gabr.d.23.q.1.a.3. dub.5.Maior.d.36.q.1.& 2.Greg.de Val.tom. 2.ad 5.q.2.punct.2. &c.* c *1.2.q.55.a.3.ad 2.* d *post Barth.Med.1.2.q.56.a.5. Azor l.3.Instit.c.26.q.3.*

CAPVT

CAPVT III.

De distinctione Virtutum.

19. Animus non est, vbi de virtutibus generatim solummodo differitur, omnes & singulas virtutum species exactè declarare; sed summatim potius velut intento digito monstrare. Ac inprimis quidem omnis virtutum cumulus in duos ordines distribui potest, vt primus sit earum, quæ nobis vel natura insunt, vel alioqui humana industria acquiruntur. vnde & acquisitæ dicuntur. Alter illarum, quæ cum naturæ limites excedant, causam naturalem non habent, sed diuinitus infunduntur, qua de causa etiam supernaturales & per se infusæ dicuntur.

20. Jllæ prioris generis rursum aut sunt intellectuales, quales ab Aristotele *a* quinq; recensentur, nimirum sapientia, scientia, intellectus, ars, & prudentia: aut sunt morales, vt sunt cæteræ virtutes, sic dictæ à more, pro vt naturalem vel quasi naturalem inclinationem ad agendum significat: quales S. Thomas *b* cum Aristotele *c* vndecim vniuersim numerat. Jnter quas generatim hoc discrimen est, quod illæ intellectum propriè perficiant, in quo etiam tanquam subiecto insunt; hæ autem appetitum siue voluntatem, idque ita, vt ei non solum præstent facultatem rectè operandi, sed eam etiam quodammodo moueant ad rectè operãdum; hoc ipso quod earum ratio ab intellectu cognita id exposcat, vt

secun-

ſecundum earum præſcriptum voluntas operetur. Quod quia etiam prudentia aliquo modo facit, idcirco, licet alioqui ex parte ſubiecti adeoque per eſſentiam moralis virtus non ſit, etiam moralibus virtutibus nonnunquam adnumeratur *d*. Cæteræ autem illæ, quas in intellectu ſitas eſſe diximus, meritò virtutes ſecundum quid dicuntur *e*, cum non ſimpliciter bonum faciant habentem, nec actum eius ſimpliciter bonum reddant. Vnde fit vt etiam à Philoſopho *f* nonnunquam ſcientiæ contra virtutes diuidantur.

a *6. Eth. 3.* b *q. 60. a. 5. edit. Antuerp.* c *2. Eth. & 4. Ethic.* d *S. Thom. q. 58. a. 3.* e *S. Thom. q. 56. a. 5.* f *lib. prædicam. de qualit.*

21. Virtutum moralium aliæ circa voluntatis operationes moderandas verſantur, adeoq; ſunt in voluntate, vt ſunt iuſtitia, religio, & cæteræ quæ iuſtitiæ annexæ ſunt. Aliæ verſantur circa paſſiones componendas, adeoq; tum voluntati inſunt, tum appetitui ſenſitiuo, iuxta ea quæ ſuperius dicta ſunt *a*. Tales ſunt temperantia, fortitudo, ac quæ iiſdem adiunguntur. Quas dicere formaliter adeoq; ſecundum eandem rationem vltimam, qua in nobis ſunt, eſſe quoque in Deo & angelis, eo quod hi ſaltem aliis, etſi non ſibi bonum temperatæ paſſionis velint, vt quidam volunt *b*, non ſolum à doctrina S. Thomę *c* ſed etiam à ratione alienum eſt. Adeo enim de ratione eiuſmodi virtutum eſt, circa proprias paſſiones verſari, vt alteri velle bonum temperan-

tiæ

tiæ v. g. aut fortitudinis, non sit vllo modo actus temperantiæ aut fortitudinis, sed charitatis aut amicitiæ, &c. nisi fortè impudica, & mollis mulier appellãda sit pudica & fortis, eo quod filiam vult esse pudicam, & maritum fortem, &c.

a *Thesi 16. & 18.* b *Scot. 3. d. 33. q. vn. ad 1.* c *q. 65. art. 1.*

22. Ex omni autem virtutum moralium numero quatuor dicuntur cardinales, Prudentia nimirum, Iustitia, Temperantia, & Fortitudo, eo quod inter cæteras principatum obtinent, & præcipuum vsum in humanæ vitæ consuetudine habent. Quæ doctrina quidem non in scholis primùm Theologorum nata, sed ab antiquissimis & sanctissimis Patribus Ambrosio *a* Augustino *b* Gregorio *c* accepta, meritò retinetur.

a *Lib. 5. in Lucam.* b *lib. 1. de moribus Eccl. c. 15.* c *2. Moral. c. 36.*

23. Virtutum per se infusarũ aliæ sunt Theologicæ, quæ immediate circa Deum ipsum versantur, & ab Apostolo *a* tres commemorantur, Fides nimirum, Spes, & Charitas. Aliæ sunt virtutes infusæ morales, charitati & gratiæ inseparabiliter connexæ; quales sunt, prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo, cum cæteris adiunctis, ita nimirum vt tot sint virtutes morales per se infusæ, quot sunt virtutes morales acquisitæ, à quibus tamen illæ non modo specie, sed etiam genere distinguuntur; non solum quod illæ

illæ ſint ordinis ſupernaturalis, hæ naturalis; ſed etiam quia regulam adeoque etiam obiectum formale, genere diuerſum inter ſe habeant; cum iſtæ duntaxat conformitatem ad naturale rectæ rationis dictamen, illæ verò conformitatem ad ſupernaturale lumen fidei diuinæque reuelationis ſpectent. a 1. Cor. 13.

24. Et quamuis olim quidam graues Theologi *a* negarint, virtutes eiuſmodi morales per ſe infuſas (pro quibus etiam nonnulli *b* poſuerunt infuſas per accidens) nihil tamen id iam compertæ ſatis veritati præiudicare debet, vtpote quam non modo communis omnium prope Theologorum calculus iam approbat *b*; ſed, & Scripturæ, & Eccleſiæ, Sanctorumque auctoritas, ac ipſa demum ratio ſatis aperte confirmat. Ex Scriptura habemus illud Sapientiæ 7. vbi de ſapientia diuina charitati coniuncta dicitur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Et rurſum Sapientiæ 8. *Sobrietatem enim & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus.* En quatuor virtutes Cardinales quodam quaſi diſciplinæ vinculo, diuinæ ſapientiæ copulatas.

a *Scot. in 3. d. 36. q. 1. a. 3. Dur. d. 33. q. 6. Argent. q. 1. a. 1. Henric. quodl 6. q. 12. Gabr. in 4. d. 4. q. 1. a. 2.* b *Gabr. Argent. l. c.* c *Poſt S. Thom. 1. 2. q. 63. a. 3. & 4. Rich. in 3. d. 33. a. 1. quæſt. 2. Gabr. in 3. d. 33. q. 1. dub. 2.*

25. Ex-

25. Ecclesiæ sensum colligimus non solum ex Romano Catechismo, in quo disertè asseritur, effectum baptismi inter cæteros esse, *nobilißimum omnium virtutum comitatum, quæ in animam cum gratia diuinitus infunduntur*; sed etiam ex decreto quodam Pontificis in Concilio Viennensi *a*, vbi sic dicitur: *Nos autem attendentes generalem efficatiam mortis Christi (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptisatis) opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Quod decretum cum generatim de virtutibus loquatur, non est cur restringatur ad Theologicas.

a *refertur Clem. vnica de sum. Trinitat. & fide Catholica.*

26. Ex SS. Patribus luculentum inprimis est testimonium S. Gregorij *a*, qui sic ait: *In Sanctorum quippe cordibus iuxta quasdam virtutes semper permanet: iuxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit. In fide etenim, spe atque charitate, & in bonis aliis, sine quibus ad cœlestem patriam non potest veniri, sicut est humilitas, castitas, iustitia, atque misericordia perfectorum corda non deserit, &c.* Et paulo post: *In his itaque virtutibus*, inquit, *sine quibus ad vitam minimè peruenitur, Spiritus sanctus in electorum suorum cordibus*

bus

bus permanet, &c. Et tandem cum æquum sit existimare, ordinem rerum supernaturalium non minus perfectum esse, quam sit ordo rerum naturalium; & verò homo in hoc ordine rectè dispositus sit, non modo circa finē, sed etiam circa media per virtutes morales, id quoque in ordine rerum supernaturalium diuinâ prouidentiâ factum esse, conuenit affirmare. Ex quibus patet contrariam sentētiam falsam meritò iudicari *b*, si non etiam temerariam, vt quidam censuit *c*. An autem virtutes eiusmodi morales infusæ, quæ circa passiones versantur, sint solum in voluntate, an etiam in appetitu sensitiuo, vt de acquisitis diximus, controuersum est. Nobis primum videtur verisimilius.

a *hom. 5. in Ezech. & refertur can. 11. d. 2. de pœnitentia.* b *Azor. l. 3. c. 28. q. 4.* c *Medin. 1. 2. q. 51. a. 4. q. 63. a. 3.*

CAPVT IV.

De connexione, æqualitate, ac duratione virtutum.

27. Receptus passim modus loquendi SS. Patrum *a*, & à sancto quoque Thoma *b* pariter comprobatus est, virtutes morales & inter se mutuo (quod etiam Ethnici Philosophi *c* pleriq; tradiderunt) & cum charitate ita connexas esse, vt nec ex illis vna sine alia, neq; pariter oēs sine charitate, veræ ac perfectæ virtutis appellationem

tionem mereantur. Quod non sic tamen accipiendũ est, quasi nec quo ad essentiam quidem vna virtus moralis vel sine cæteris eiusdem generis, vel sine charitate consistere salua possit, hoc enim rectè negant alij *d*, (& si constet saltem prudentiam cuiq; virtuti morali aliquo modo esse connexam) sed quia certè nulla ex illis perfectum virtutis statum (quo scilicet quæque firmiter, & constanter, non obstante vlla difficultate ex cuiuscunque demum alterius virtutis materia proueniente, medium in sua materia præscriptum attingat) obtinere potest, nisi omnes connexæ sint, neq; sine charitate perducunt hominem ad supernaturalem beatitudinem obtinendam, cuius sancti illi viri pręcipuam ac fermè vnicam rationem habendam esse duxerunt, cætera cum S. Paulo nihili æstimantes; satis tamen interim significantes *e*, eiusmodi virtutes in ordine quidem rerum naturalium etiam sine charitate verè ac perfectè virtutes esse.

a *Ambr. lib. 5. in id Luc. 6. beati pauperes spiritu. Hieron. in Isaiæ c. 16. & 56. & lib. 1. contra Pelag. & in Gal. 5. Aug. epist. 29. & lib. 1. retract. cap. 3. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Gregor. lib. 22. mor. c. 1. &c.* b *1. 2. q. 65. a. 1. & 2.* c *Arist. 6. Eth. 12. Cic. lib. 1. de off. lib. 2. Tuscul.* d *Scot. in 3. d. 36. q. 1. a. 3. Gabr. &c.* e *Aug. de spir. & litt. cap. 2. & 28.*

28. Inter virtutes autem infusas, etsi fides sine spe, ac spes sine charitate, & virtutibus infusis

moralibus esse possit, non potest tamen aut spes esse sine fide, aut charitas sine alterutra, aut infusæ morales sine charitate; licet omnes & singulæ virtutes infusæ esse possint sine acquisitis, vt habet communis & certa Theologorum sententia, & ex parte colligitur ex Scriptura *a* & Concilio Tridentino *b*.

a *Hebr. 11.* b *Seß. 6. cap. 5. & can. 28.*

29. Virtutes quo ad perfectionem aliquo modo tandem inter se inæquales esse, certum & exploratum est, quidquid olim Stoici *a* dixerint. Est enim de fide, ac ex scriptura compertum *b*, saltem charitatem omnibus virtutibus cæteris, seu infusis, seu acquisitis anteire; sicut & infusas acquisitis præstare nemo negauerit. In ipsis autem virtutibus acquisitis quis nam ordo tandem dignitatis constituendus, vt non magnopere interest scire, ita nec facilè dici potest, etsi probabile sit, quod S. Thomas hac de re *c* differit, virtutes nimirũ intellectuales simpliciter quidem nobiliores habitus esse, quàm sint virtutes morales, attamen his in ratione virtutis cedere *d*. Inter intellectuales autem cæteras præstare sapientiam; inter morales autem Iustitiam fortitudini ac fortitudinem temperantiæ, omnibus verò istis prudentiam *e*.

a *Vide Senec. epist. 72.* b *1. Corint. 13.* c *1. 2. q. 66.* d *q. 56. a. 3. q. 66. a. 3.* e *q. 66. a. 1.*

30. Quod si de virtutibus vnius ac eiusdem speciei loquamur, dubium non est, quin vna ac

cadem

eadem virtus specie, tum in eodem, tum in diuersis hominibus possit esse perfectior intensiuè. An etiam extensiuè, dubium est. Negat sanctus Thomas *a* ratus virtutem omnem, secus quam scientiam, ad omnia sua obiecta se extendere, aut virtutem non esse. Quod tamẽ ad modum loquendi potius, quam ad rem ipsam spectare videtur. Nam aliquo modo incompletum ac imperfectum (ex parte obiecti) virtutis habitum esse posse, siue is tandem absolutè virtus appellandus sit, siue secus, nihil dubitamus, cum nonnunquam videre sit temperantes in Venereis v. g. in cibo tamen ac potu intemperantissimos. a *q.66.a.1.*

31. De duratione virtutum illud breuiter ex communi Theologorum doctrina *a* asserimus, moralium quidem actus, ob defectum materiæ non omnino eosdem futuros post hanc vitam, quales modo sunt, attamen tum intellectuales acquisitas, tum morales tam infusas, quam acquisitas, quoad essentiam permansuras in patria, ita tamen, vt si potentiæ sensitiuæ hominis toti composito tanquam subiecto insunt, virtutes illæ, quæ appetitui sensitiuo insunt, intermedio illo tempore, quod inter separationem animæ à corpore vsque ad resurrectionem interiacet, solum in voluntate maneant, tanquam in radice quadam; nihilominus eædem numero postea restituendæ quidquid Durandus *b* dixerit. Ex Theologicis autem charitatem quidem

etiam in patria mansuram, fidem autem & spem non item (quæ communis est Theologorum doctrina) ipsemet Apostolus *c* satis indicauit.

a *Aug. 14. de Trin. 9. Mag. in 3. d. 33. S. Thom. 1. 2. q. 67. &c.* b *in 3. d. 33. q. 4.* c *1. Cor. 15.*

CAPVT V.

De Donis, Beatitudinibus, ac fructibus Spiritus sancti.

§ 1. Cum virtutibus affinitatem quandam habent ea, quę communiter dici solent Dona, Beatitudines, ac fructus Spiritus sancti. Et Donorum quidem mentionem fieri Esai. 11. sub nomine Spiritus (vnde etiam Spiritus S. dona dicuntur) apud omnes certum est. Sed quidnam eiusmodi donorum nomine intelligatur, dubium. Sunt, qui cum tribus virtutibus Theologicis, ac septem Cardinalibus confundant *a*, quasi verò aut timor virtus sit, aut fides donum sit, cum in Christo fides non fuerit, in quo tamen dona fuisse patet, ex citato loco Isaiæ. Alij *b* omnes virtutes volunt esse dona, sed non è conuerso. Verum & isti citato loco scripturæ refelluntur, vbi non plura, quam septem dona Spiritus sancti numerantur, vt etiam communiter *c* Sanctorum & Doctorum sententia habet. Alij quidem à virtutibus distinguunt, sed minus apte.

a *Scot. in 3. d. 34. q. 1. Gabr. ibidem, &c.* b *Probab. ait Durandus in 3. d. 34. q. 1.* c *Aug. lib. 1.*

de

de serm. Dom. c. 9. l. 1. de qq. Euang. c. 8. Ambros. lib. 10. de Spiritu sancto c. 20. Gregor. moral. lib. 1. cap. 28. lib. 2. cap. 36. S. Thom. Scotus, &c.

33. Optimum est illud, quod docet S. Thomas *a* dona esse habitus quosdam supernaturales, à virtutibus quidem distinctos, sed charitati inseparabiliter annexos, qui hominem facilè mobilem reddant ad peculiares quosdam & heroicos virtutum actus, ad quos non rarò sanctos in scripturis mirabiliter à Deo excitatos legimus *b*. Jn quam sententiam fortè etiam dixerunt quidam *c*, virtutibus perfici hominē modo humano, donis superhumano. Et Aristoteles *d* asserit præter virtutes communes esse alias quasdam heroicas, quæ reddant homines *quodammodo diuinos*. Qui etiam alibi *e* docet, eos qui diuino instinctu impelluntur, rationem humanam consulere non debere, *principium enim*, inquit, *habent intellectu, & voluntate præstantius*.

a *1. 2. q. 68.* b *Iud. 16. 3. Reg. 3.* c *Argent. 3. d. 34. q. 1. &c.* d *7. Eth. 1.* e *lib. 7. mag. moral. 18.*

34. Numerum autem septem Donorum sic rectè collegisse videtur S. Thomas *a*. Aut enim Spiritus sanctus mouet intellectum, aut appetitum. Si intellectum, aut perficit apprehensionem, qua videlicet res fidei omnes subtiliter penetrantur, & est donum intellectus, aut perficit iudicium, quo scilicet statuit homo, qua ratione

erga res tam diuinas quàm humanas & creatas affici debeat: idq; vel generatim, vel in particulari quodam agibili. Si iudicium intellectus generatim perficiatur circa res diuinas, est sapientia; si generatim circa res creatas, est scientia; si circa particulare agibile, est consilium. Atque ita existunt quatuor dona, quæ subiectiuè sunt in intellectu. Quod si appetitum Deus mouet, aut facit hoc rectè ordinando hominem erga alterum, & est pietas, quę sine controuersia est in voluntate; aut rectè ordinat hominē erga seipsum, siue vt delectationes illicitas respuat, & est timor: siue vt nulla difficultate à boni ardui prosecutione auocetur, & est fortitudo; quorum vtrumq; in voluntate tantum *b*, non item in appetitu sensitiuo irascibili collocandum existimamus.

a *Partim 1.2.quæst.68.a.4. partim 2.2.q.8.a.6.*
b *Conrad.1.2.q.86.a.4.*

35. Non minor est de Beatitudinibus ac fructibus Spiritus sancti, ex quibus illæ ab Euangelistis *a*, hi à S. Paulo *b* memorantur auctorum dissensio. Sunt qui hæc omnia solum ratione à virtutibus ac donis distinguant *c*. Alij beatitudines esse habitus virtuosos ac intensione perfectos, fructus autem partim esse virtutes, partim delectationes ex actibus virtutum prouenientes volunt *d*. Alij virtutes, dona, beatitudines & fructus esse quatuor distincta habituum genera asserunt *e*. Sed ex his nulli veritatis scopum attigisse

tigisse videtur. Minus aberrant illi *f*, qui docent beatitudines esse actus perfectissimos elicitos secundum dona Spiritus sancti; fructus autem esse delectationes quas homo consequitur ex eiusmodi actibus donorum.

a *Matth.5. Luc.6.* b *Galat.5.* c *Bonau.d 34.a. 1.q.1.* d *Scot.3.d.34.q.1. Gabr.ibid. a.1. &c.* e *Refert Argent. d.34.q.1.a.2.* f *Argent. l.c.*

36. Verissimum autem videtur quod S. Thomas *a* hac de re asserit, beatitudines videlicet ac fructus actus seu effectus quosdam virtutum esse, non habitus: illos quidem præstantiores ac mediantibus quoque Spiritus sancti donis elicitos, qui hominem tum certa quadam spe, tum imperfecta quadam inchoatione æternæ fælicitatis, etiam in hac vita quodammodo beatum faciant; siue alioqui prȩmia illa beatitudinum ad hanc vitam spectent, vt vult Augustinus *b*, siue ad alteram, vt docuit Ambrosius *c*, siue ad vtramque, vt sentit Chrysostomus *d*. Hos verò quoslibet actus esse virtutum charitate formatarum, prout sunt vltimi ac delectabiles quidam effectus hominis; à semine diuinæ gratiæ aliqua ratione procedentes. Vnde fit, vt etiam beatitudines omnes sint fructus, (sed non contra) & plures quoq; sint fructus Spiritus sancti, quam quos recensuit scriptura: quod etiam de beatitudinibus probabiliter dici posse videtur *e*.

a *1.2.quæst.69.& 70. Richar.in 2.d.34.quæst.1.* b *l.1.de serm. Dom.in mon.c.5.* c *l.5.in Luc. c.6.*

c.6. d Tom.2.hom.6.ex var.in Matt. e Gregor.Val quæst.9.de virt.p.2.

Pars secunda de vitiis ac peccatis.

CAPVT I.

De natura ac ratione peccati.

37. Peccati nomen communiter vt connotatiuum vsurpatur,& pro materiali quidem, ex sua prima impositione, generatim significat actum deficientem à sua regula a, pro formali autem ipsum defectum actus. Qua ratione & artis ac naturę quoque peccata quædam à Philosopho b recensentur. Sed quia hîc de peccato solum morali agimus, prout videlicet culpæ rationem habet, idcirco peccati vox hoc loco primariò quidem pro actu quodam humano,(quo spectat etiam omissio actus) Deo exoso, atque ob adiunctum defectum à consequutione beatitudinis formaliter impediente accipitur.

a S.Thom.1.2.q.21.a.2. b 2.phys.t.82.

38. Quia vero etiam post actum peccati præteritum quasi per modum habitus manet in homine quædam deformitas Deo exosa, & à beatitudine impediens, hinc fit, vt ex Scripturæ ac SS. Patrum loquendi modo, etiam defectum huiusmodi habitualiter permanentem, peccatum appellemus. A quo tamen nihilominus vitium ea ratione distinguitur, quod hoc sit prauus

uus quidem, sed verus tamen ac positiuus habitus, à quo praui actus (quos supra diximus, propriè peccata appellari) eliciuntur *a*, illud verò sit solummodo defectus seu priuatio quædam per modum habitus permanens. Cæteræ appellationes, quibus nonnunquam aut causæ, aut effectus peccati, peccata dicuntur, impropriæ sunt.

a *Arist.7.Eth.8.Aug.de perfect.Iust.c.4.*

39. Juxta primam illam ac principalem peccati notionem, definitur peccatum ab Augustino *a dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Vbi *b* sub affirmationibus etiam negationes (cum alioqui ad idem genus secundum eundem Augustinũ *c* reducantur) subintelligendæ sunt. Qua ratione explicata definitio, à tanto viro tradita, magnoq; consensu Doctorum *d* recepta, cum & id, quod est in peccato quasi materiale, nempe actum humanũ (quo reuocari etiam diximus omissionem) & formale ipsum, quod est defectus ab æterna lege, optimè explicet, non nisi aut grandi inscitia, aut magna impudentia ab hæreticis *e* improbatur.

a *l.22.contra Faust.c.27.* b *S.Thom.q.71.art.6. ad 1.* c *l.5.de Trin.c.3.* d *2.sent.d.35.S.Thom. q.71.a.6.* e *Heshus.lib.de sexcent.loc.4.n.1.*

40. Quod si peccatum, vt etiam sub se habituale comprehendit, definiendum sit, breuiter dici potest, esse quiddam à diuina lege, homini, prout rationis particeps est, data, exorbitans, adeo-

adeoque Deo exoſum, & à cœleſti beatitudine formaliter impediens. Vbi pro materiali generatim ponitur, *Quiddam*, (latè hanc vocem vſurpando) cum actui, & omiſſioni, atque defectui illi habituali, nullum aliud genus commune aſſignari poſſit. Pro formali ponitur ipſamet formalis exorbitatio à lege diuina, iuxta S. Ioannem *a*, qui idcircò generatim dixit, peccatum eſſe *ἀνομίαν*. & S. Auguſtinus *b* definientem eſſe *legis tranſgreſsionem*.

a *1. Ioan. 3.* b *l. 2. de conſenſ. Euang. c. 4.*

41. Dicitur autem peccatum exorbitare à lege diuinâ, homini, prout rationis particeps eſt, datâ; vt ſignificetur, tranſgreſſionem eius tantum legis, quæ ab homine ratione ac voluntate implenda ſit, peccatum eſſe, adeoque Deo exoſam, & à cœleſti beatitudine formaliter impedientem. Neque verò vnquam in ſcriptura, cum præceptorum ſiue legum, quarum violatione homo peccator conſtituatur, fit mentio, aliter præcepta ac leges accipiuntur. Sic enim homini dicitur: Deum tuum adorabis, non peierabis, non furtum aut homicidium facies; vtique non caſu, aut neceſſitate (id enim fruſtra homini prę-ciperetur) ſed voluntate. Hinc etiam admonitiones, hinc comminationes pœnarum, hinc promiſſiones præmiorum, præceptis adduntur, quæ ſanè locum non haberent, ſi caſu etiam, aut neceſſitate ſeruari, & violari lex poſſet. Atque in hunc ſenſum apertè quoque loquitur Scriptura

a Deus

a *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, &c. apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi, &c.* a *Eccl. 15.*

42. Vnde quia lex homini, prout rationis particeps est, data, adeoque vt ratione & voluntate implenda, propriè nec seruari, nec violari potest, nisi ratione ac voluntate, hinc fit, vt omne peccatum necessariò sit voluntarium, adeò vt nisi voluntarium sit, peccatum non sit. Quod à SS. Patribus, & in primis ab Augustino *b* sæpius repetitum ac inculcatum, & ex omnibus Scripturis, in quibus quicquam omnino homini sub peccato seruandum præcipitur, euidenter deductũ; adhuc tamen surdis auribus prætereunt, imò perfricta fronte impugnant hæretici; sed hæretici scilicet non essent, nisi nota impugnarent.

a *l. de vera relig. c. 18. & in lib. contra Secundi. Man. c. 15. 16. & 1. retra. c. 13.*

43. Nec refert quod & ab Augustino *a* & à S. Ioanne *b* in peccati descriptione, vocula, *Voluntarium*, omittitur. Nam & ob hanc ipsam causam prætermissa est, quod in formali legis transgressione, in qua peccati ratio sita est, intimè continetur. Quod adeo verum est, vt ipsemet Augustinus *b* alicubi peccatum definierit,

esse

esse *voluntatem retinendi, vel consequendi id, quod Iustitia vetat, & vnde liberum sit abstinere.*

a b *locis citatis.* c *lib. de duab. anim. contra Manich. c. 11.*

44. Ex his sequitur, virtutem & vitium, peccatum & actum virtutis sibi mutuò opponi, illa quidem contrariè *a*, hæc autem priuatiuè *b*, eo scilicet modo, quo bonitas & malitia moralis; quam dicere non tantum priuationem, sed aliquid etiam positiuum reale esse, vt nonnulli senserunt *c*, nec veræ Philosophiæ, nec fidei admodum consonum putamus. Peccatum autē & virtus per se loquendo sunt disparata potius, quàm propriè & formaliter opposita; quocirca etiam simul consistere possunt *d*, quanquam non omne peccatum cum qualibet virtute. Nam peccatum mortale cum charitate & cæteris virtutibus infusis, quæ charitatem comitantur, simul esse, non potest.

a *S.Thom. q. 71. a. 1. comm. DD.* b *D. Dion. Areop. de diu. Nom. c. 4. part. 4. Aug. tract. 1. in Ioan. DD. in 2. d. 35. S.Thom. 1. p. quæst. 5. a. 3. ad 2.* c *Caiet. Bart. Medin. 1. 2. q. 72. a. 1.* d *S.Thom. q. 71. a. 4. comm.*

CAPVT II.

De peccatorum diuisione.

45. Peccata inter se tùm essentialiter, tùm accidentaliter, variis modis differre compertum

est.

est. Et primo quidem essentiali diuersitate, aliud est actuale, quod essentialiter est priuatio perfectionis cuiusdam actualis; aliud est habituale, quod, vt supra dictum, per modum habitus, in peccatore constanter permanet, donec, vt scriptura loquitur, tollatur, deleatur, emundetur, &c.

46. Non minus essentialis est illa peccati diuisio, qua aliud dicitur esse originale, aliud personale. Jllud voluntate aliena primi parentis, in ipsa origine seu generatione contrahitur, hoc propria voluntate peccantis. Quæ duæ diuisiones ita se habent, vt quælibet illarum ipsam generalissimam peccati moralis rationem contrahat. Nullum enim peccatum est, quod non sit actuale, aut habituale; & rursum aut originale, aut personale. Vnde licet membra quidem diuidentia vnius diuisionis inter se omnino pugnātia sint, cum membris tamen alterius diuisionis comparata, reipsa simul esse possunt: Sicut enim peccatum originale est habituale, ita personale vel est actuale, vel habituale.

47. Cum autem peccatum personale actuale multas rursum alias species essentiales sub se cōplectatur, difficultas est, vndenam specifica distinctio eiusmodi peccatorum sumatur. Dicendum breuiter videtur, peccata quidem commissionis, cum & actum positiuum pro materiali, & priuationem pro formali contineant, secundum hanc quidem distingui specie, pro diuersi-

tate

tate specifica virtutum, quarum rectitudine debita carent *a*. Quoad actum verò positiuum distingui specie ex suis obiectis *b*, seu materialibus simul & formalibus; quod tunc communiter accidit, quando diuersis virtutibus opponuntur, vt est v.g. periurium, & homicidium; vel formalibus tantum, vt fit, quando peccata quædam eidem quidem virtuti opponuntur, adeoq; circa eiusdem virtutis materiam versantur, sed modo adeo diuerso, vt qui procliuis sit ad vnum illorum, non sit hoc ipso procliuis ad alterum, quantum est ex natura & ratione vtriusque peccati. Qualia sunt non illa tantum peccata, quæ eidem virtuti extremè opponuntur *c*, vt prodigalitas & auaritia, temeritas & timiditas; sed etiam alia pleraque, vt furtum, rapina, homicidium, contumelia, detractio, &c.

a *Scot. in 2. d. 35. q. 1. Gabr. ibid. dub. 1.* b *S. Thom. q. 72. a. 1.* c *S. Thom. l. c. a. 8.*

48. Peccata verò omissionis cùm sint meræ priuationes, vno solum modo propriè inter se specie distinguuntur; nempe pro diuersitate specifica virtutum, quarum debita perfectione carent. Quanquam, moraliter rem æstimãdo, non videtur negandum, etiam circa materiam eiusdem virtutis, peccata omissionis specie quadam quasi materiali inter se distincta committi posse, si videlicet actus omissi adeo inter se diuersi sint, vt morali quadam æstimatione non sit eadem facilitas illos omittendi. Vt accidit v.g. in omis-

omiſſionibus Eleemoſynæ corporalis, & Eleemoſynæ ſpiritualis; item in omiſſione reſtitutionis bonorum fortunæ, & omiſſione reſtitutionis famæ, honoris, &c.

49. Accidentales quædam differentiæ peccatorum ſunt illæ, ſecundum quas peccata diſtinguuntur *a* in venialia & mortalia, in peccata contra Deum, contra proximũ, contra ſeipſum, quanquam hæc diuiſio ita explicari poſſit, vt ſit etiam eſſentialis *b*, in peccata commiſſionis & omiſſionis, in peccata ſpiritualia & carnalia, iuxta S. Gregorium *c*, in peccata cordis, oris, & operis. Quanquam enim ex his differentiis peccatorum pleræq; ſupponant, vel certè ſimul adiunctam habeant diſtinctionem eſſentialẽ, ipſæ tamen per ſe non ſunt niſi accidentales, vtpote deſumptæ ex conditionibus quibuſdam extrinſecis peccatorum.

a *S.Thom. quæſt.72. a.2.4.5.6.7.* b *S.Thom.a.4.* c *lib.31. Moral.cap.31.*

50. Sic autem ſe habent ad eſſentiales peccatorũ differentias, vt in peccata perſonalia actualia, primariò conueniant, quanquam etiam habitualibus per reſpectum ad peccata actualia accommodari poſſint; ſicut & prima illa peccato, vt quiddam commune eſt ad originale & perſonale; quandoquidem ipſum quoque peccatum originale, mortale eſt, eo quod mortem animæ ſpiritualem adferat. de quo infra.

51. Cæterum nec peccata omnia inter ſe con-

nexa, nec quoad grauitatem paria esse, & fides; & euidens ratio docet, quidquid Stoici apud Ciceronem *a*, & Iouinianus olim ob hoc ipsum à SS. Patribus *b* inter hæreticos habitus, dixerint. Sumitur autem inęqualitas peccatorum, tùm ex diuersitate obiectorum, circa quæ versantur, & virtutum ac legum quibus opponuntur; tum ex conditione & natura ipsius actus; tum ex peccatorum causa qualis est voluntas; tum ex circumstantiis, vt quæ non solum in eadē specie augere peccatum possunt, sed etiam *c* in diuersam speciem transferre, aut nouâ induere; tum ex diuersitate nocumenti, quod inferunt, tum ex diuersa conditione personæ seu offensæ, seu peccantis.

a *Paradox.3.* b *August. de Hæres.n.82. & epist. 29. ad Hier. & Hier. lib.2. contra Iouin. &c.*
c *S.Thom.q.73.a.7.*

52. Qua ratione, cæteris paribus, grauiora esse solent peccata quæ à sanctioribus, aut in statu perfectiore constitutis, deliberatè committuntur *a*; siue ob maiorem quam habere solent facultatem resistendi peccato, siue ob maiorem erga Deum ingratitudinem, siue ob maius scandalum, quod consequi solet: & aliquando etiam quia peccati actus eiusmodi personarum generi peculiariter repugnat, vt iniustitia principi, iustitiæ custodi; fornicatio sacerdoti, &c. Aliter iudicandum est, de peccatis ex fragilitate siue surreptione commissis *b*. Nam vt sanctitas minorem

rem arguit negligentiam in adhibendis mediis ad peccatum vitandum opportunis, sic etiam peccata eiusmodi in sanctioribus minora esse solent. Sequitur vt de quibusdã peccatorum generibus, quæ nonnullam difficultatem habent, in specie agamus.

a b *S. Thom. quæst. 73. art. 10.*

CAPVT III.

De peccato actuali commissionis & omissionis.

53. Peccatum actuale commissionis inter omnia peccatorum genera, notissimum est; cui etiam inprimis communis illa definitio peccati, ex Augustino *a* desumpta conuenit: & quia ex sua ratione significat actum aliquem positiuum prauum; manifestum est, id sine tali actu committi non posse, quidquid Dionysius Carthusianus dixerit *b*. Peccatum verò omissionis in sua ratione nullum actum positiuum includit, sed solam priuationem, seu negationem debiti actus voluntariam, qualis sine omni actu positiuo esse potest *c*; quidquid nonnulli senserint *d*. Vnde etiam potest hoc genus peccati, absolutè loquendo, committi sine omni actu, qui sit causa, vel occasio omissionis *e* tametsi moraliter loquendo semper etiam actus eiusmodi concurrere soleat *f*.

a *Thes. 39.* b *apud Ios. Angles. in flor. in 2. d. 37.*

q.2. c *S.Thom.1.2.q.71.a.5. Durand. Rich.in 2.d.35. Gabriel.d.41. Argent. Adrianus,&c.* d *Hal.3.p.q.130.m.3.ad 2.Gand.Capr.Caiet. 1.2.q.63.a.5.&c.* e *Dur.Rich.Gabr.locis cit. &c.* f *S.Thom.l.c.Conrad.Med.ibid.Val.d.6. q.1.puncto 4. Angles loco citato.*

54. Eiusmodi verò actũ, qui est causa omissionis, si aut directè, aut indirectè, sub ea ratione, sit voluntarius, peccatum esse certum est, & exploratũ *a*. Quo fit vt non solum propositum omittendi actum præceptum, sed etiam actus ille ex cuius inordinato desiderio præceptum omittitur peccatũ sit *b*; vt & ille, qui exequutioni pręcepti directè aduersatur, hominemque simpliciter impotentem reddit ad exequutionem pręcepti *c*. Jllum verò actum, ex obiecto suo bonũ; qui omissionem nudè comitatur, atq; adeo nec facultatem exequendi præceptum adimit, nec etiam talis est, ex cuius affectu nimio sequatur omissio; quantumuis alioqui cum exequutione præcepti incompossibilem, nec causam omissionis, nec peccatum existimamus *d*, licet aliis secus videatur *e*.

a b c *S.Thom.a.5.& q.2.de malo.a.1.& comm. dd.l.c.* d *S.Thom.in 2.d.33 q.1.a.3. Dur. Medin. Angl. l.c. Azor. l.4 c.2.q.5.* e *Capr.&c.*

55. Est autem peccatum illud commissionis, quod cum omissione, modo explicato, per accidens coniungitur, ex probabiliore sententia, neque specie, neque numero distinctum ab ipso pecca-

peccato omiſſionis, adeoq; nec diſtinctè in confeſſione explicandum *a*, niſi vel actus ille per ſe malus ſit *b*, vel ſubſequens voluntaria omiſſio totam cauſalitatem præcedentis eiuſmodi actus non adęquet *c*, ſiue quia omiſſio ſubſequens ex accidente quodam minor eſt, quàm alioqui vi præcedentis actus futura erat, ſiue quia certè ob interuenientem pœnitentiam de cauſa omiſſioni datâ, non tota omiſſio ſubſequens voluntaria eſt, adeoque nec tota peccatum eſt. Quin etiam nouum peccatum adeoq; in confeſſione diſtinctè explicandum, committi ſemper videtur *d*, quotieſcunque aliquis, etiam concepto ſemel propoſito negligendi præceptum, ſeſe ad eiuſdem præcepti exequutionem, ad longum aliquod temporis ſpatium, impotentem reddit. Vt ſi clericus in diuturnâ nauigatione abiiciat breuiarium, aut voto caſtitatis obſtrictus matrimonium contrahat.

a *Medin. Val. Angles, Azor. l. c.* b c *comm. DD.* d *Medina loco cit.*

56. Sed quandonam accidit omiſſionis peccatum? an quando per actum præcedentem culpabiliter cauſa omiſſioni datur, an verò tunc primum, cum actus præceptus exequutioni mandandus, voluntariè omittitur? Sanè quidem vtroq; tempore peccatur *a*, eſto etiam quod homo eo tempore, quo præceptum implendum eſſet, compos rationis non ſit *b*, quidquid aliqui dixerint *c*; attamen peccatũ ipſum omiſſio-

nis formaliter non committitur, nisi eo tempore, quo actus præceptus exequutioni mandandus culpabiliter omittitur *d*. Non autem culpabiliter omittitur, si nec sit amplius in potestate omittentis, nec omissio voluntaria sit, vel in se, vel in sua causa, vtpote quæ vel inculpata est, vel talis, de qua iam hominem pœnitet *e*, quidquid Marsilius *f* falsò dixerit.

a b *Sig. S. Thom. & sequi. Medin. Val. Angles. l. c.* c *Rich. in 4. d. 4. a. 2. q. 31. Hal. Gabr. Adrian. &c.* d *S. Thom. 3. d. 35. a. 3. in 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. Med. Val. Angl.* e *comm. DD.* f *in 2. q. 21. a. 2.*

CAPVT IV.

De peccato mortali & veniali.

57. Peccati mortalis & venialis appellatio, non eundem vbique sensum habet *a*. Quandoque enim peccata talia dicuntur à causa, vt illud sit veniale, quod fit ex ignorãtia seu passione; mortale, quod ex malitia. Aliquando ab effectu seu euentu, quomodo illud est veniale, quod à Deo veniam obtinet, ac reipsa condonatur; iuxta illud S. Ambrosij *b* asserentis, *omne peccatum per pœnitentiam fieri veniale*. Mortale verò hoc sensu est, quod non remittitur. Sed omissis his acceptionibus, ea dũtaxat appellatio huius loci propria est, qua peccata quædam, mortalia & venialia dicuntur, per se, siue ex sua natura. Quomodo

do veniale dicitur, quod per se mortem ęternam non meretur; mortale cōtra. Qua ratione etiam supra diximus hanc diuisionem peccato accidentalem esse, adeoque esse subiecti in accidentia, vt habet melior Theologorum sententia *c*, quidquid aliqui dixerint *d*. Etsi dubium non sit, quin hæc ipsa peccatorum genera comparata inter se secundum rationes quasdam ipsâ primaria ratione peccati posteriores, nempe quo ad offensam & reatum pœnæ, specie differant *e*.

a *S.Thom.quæst.82. art.2.* b *lib. de Parad.c.14.* c *S.Thom.q.88. a.2.3. & 6.* d *Bonau.2. d.42. a.2.q.2. Carthus. Capreol. Nau. &c.* e *Val. q.18.p.2.*

51. Peccata quædam mortalia hoc sensu dari, nemo negat, vtpote ex scripturis *a* testatissimū. De venialibus cum hæreticis quæstio est. Negant enim cum Pelagianis *b*, Iouiniano *c*, Wicleffo *d*, hæretici huius temporis omnes, rati, omnia peccata natura sua esse mortalia; quædam autem venialia duntaxat, eò quod non imputentur ad pœnam. Qualia quidem Caluinus *e* cum suis dūtaxat vult esse, peccata fidelium prædestinatorum. Lutherus *f* quondam, peccata omnium fidelium, adeoque omnia, præter infidelitatem. Discipuli verò suo Magistro doctiores excipiunt etiam illa, quæ ex malitia, vel contra conscientiam admittuntur, imo voluntaria omnia *g*.

a *Matth.3.18.25, Rom.8. Galat.5. &c.* b c *Vide*

Hier.contra Iouin.& dialogo 2.contra Pelag. d *Apud VVald.tom.2.de Sacram.c.154.* e *l.2. Inst.c.8.§.59.& l.3.c.2.§.11.* f *Luther.capt. Babyl.de Baptis.* g *Melancht.loc.com.de discrim.pecc.mort.& Ven. Magdeburg cent.1. lib.2.cap.4.*

59. Sed de fide certum est, esse quædam peccata, quæ ex se pœnam æternam non mereantur, adeoque naturâ sua venialia, vt non modo certa & communis SS.Patrum *a* & Scholasticorum *b* doctrina habet, sed etiam ab Ecclesia sæpius definitum *c*, ex scriptura satis apertè colligitur. Si enim *septies in die cadit iustus d*, si *in multis offendimus omnes e*, *&c.* vt scriptura loquitur, manifestum est, peccata quædam etiam iustis inesse quę cum iustitia nō pugnent. Dices, id fieri, quia non imputentur. Stultè. Nā si iustis peccata sua non imputantur, cur etiam illi orare docentur: *Et dimitte nobis debita nostra f*, an hac postulatio ex Dominica oratione eradenda erit, vt à iustis sine mendacio recitari possit? An fortè iusti hanc orationem pro se non faciunt? contra sanctissimorum Conciliorum apertam definitionem *g*? contra expressam scripturam *h*; *Pro hac* (remissione peccati) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Deinde quid illa? *Non remittetur ei nec in hoc seculo nec in futuro i. Nō exies inde, donec etiam nouißimum minutū reddas k. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur,* (vtpote stipulis & fœno comparatū) *ipse autē saluus erit,*

sic

ſic tamen quaſi per ignem l. Annon apertè remiſſionem aliquam peccatorum in futuro ſeculo futuram ſignificant? Sed qualium? an reipſa & ſecundum imputationem quoque mortalium? hoc nec hæretici quantumuis ſtolidi dixerint. An eatenus venialium tantum, quatenus non imputantur ad pœnam? Sed cur ergo ardent? cur ad tempus puniuntur? Reſtat ergo, vt venialium ex ſua natura & conditione.

a *Vide Bellarm. lib. 1. de pecc. c. 9. & 10.* b *Mag. in 2. d. 41. S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 1.* c *Concil. Mileu. c. 7. & 8. Trid. ſeſſ. 6. c. 11. & 13. & can. 23. 25. & ſeſſ. 14. c. 5. can. 7. Gregor. XIII. in Bul. anni M. D. LXXIX.* d *Prouerb. 20.* e *Iacobi 1.* f *Matth. 6.* g *Mileuit. can. 7. Trid. ſeſſ. 6. c. 11.* h *Pſalm. 31.* i *Matth. 20.* k. *Lucæ 12.* l *1. Corinth. 3*

60. Quid, quod peccata quædam rebus per ſe, ac natura ſua maximis, alia rebus per ſe minimis comparantur, vt *Camelo* quædam, alia *culici a*, quædam *trabi*, alia *feſtucæ b*, ac *minuto c*? Quis autem credat peccata mortalia à cœleſti beatitudine excludentia, ac inter Deum & hominem ſempiternum diuortium facientia rebus eiuſmodi per ſe ac natura ſua minimis comparari? Huc ſpectat illud Chriſti *d*, *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo Raca, reus erit conſilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Sunt ergo prorſus peccata quædam, quæ licet reum faciant hominem,

 adeo-

adeoque imputentur, gehennæ tamen ignis reum non faciant.

a *Matth.23.* b *Luc.6.* c *Luc.12.* d *Matth.5.*

61. Consonat huic veritati ipsum naturale lumen. Cum enim amicitia humana non quauis offensa dissoluatur; & præterea quædam peccata ex sua conditione leuissimæ culpæ sint, vt *paulò immoderatius ridere, indebita animi remissione iocari, videre aliquid* (leue) *ad concupiscendum, immoderatius poma* (etiam sua) *decerpere, plusculo cibo crudiorem esse, inter orandum* (ex subreptione) *aliud cogitare, &c.* qualia Augustinus *a* inter venialia memorat, quis nisi Censorio Catone rigidior, hæc omnia & singula ad diuinam tanti momenti amicitiam disrumpendam vim habere dixerit? Quis verbum quoduis otiosum de quo alioqui *in nouissimo die rationem reddendam* Christus affirmauit *b* ad hominem perpetuis suppliciis mactandum valere crediderit?

a *l. de nat. & gratia c.38.* b *Matth.12.*

62. Vnde nec satis etiam circumspectè, ex Catholicis quidam *a* asseruerunt, peccata non ex se, sed ex Dei benignitate esse venialia. Cum enim hoc dupliciter intelligi possit, aut nimirum, quod de facto omnia peccata eam turpitudinem habeant, per quam instar mortalium mereantur pœnam æternam, etsi reipsa à Deo non imputentur ad pœnam æternam; aut quod saltem illis ex natura sua debita sit talis inordinatio, ita vt si Deus illa conuenienter eorum naturis voluisset

ſet prohibere, aſtringere debuiſſet, aut certè potuiſſet, homines ad omnia peccata vitanda ſub reatu mortalis culpæ, primus quidē ſenſus nunc apertè hæreticus eſt, alter verò minimum falſus, vt ex dictis liquet.

a *Gerſon 3. part. Theol. tract. de vita ſpirit. animæ. lect. 1. Roff. in refut. a. 2. Lutheri, Almain tract. 3. c 20.*

63. Et eſto Deus tanquam ſupremus Dominus, per abſolutam potentiam homini venialiter peccanti decernere potuiſſet ſupplicia æterna (in quo fortaſſis ſenſu, Dei bonitati venialium peccatorum leuitatem tribuendam cenſuerunt Catholici illi) non tamen idcircò conſequens eſt, nulla peccata natura ſua eſſe venialia; ſed potius ea, quæ iam natura ſua ſunt venialia, ob diuinam conſtitutionem ac legem à ſolo Dei beneplacito pendentem potuiſſe fieri mortalia, ſicut de facto multa, quæ ex ſe nulla ratione mala ſunt, ob legis prohibitionem fiunt mala.

64. Nec aduerſariorum fundamenta quicquam roboris habent. Obiiciunt hæretici quædam ſcripturę loca *a*, in quibus aſſeritur peccata mortem adferre. Sed niſi cum pertinacia ſtoliditatem coniunxiſſent, facilè animaduertiſſent, eiuſmodi loca de peccatis venialibus, nec iuxta ſuam quidem ſententiam intelligi poſſe; ſed de mortalibus ſolum, quandoquidem alias aſſerendum foret, peccata venialia non modo poſſe à Deo æterna morte puniri, quod ipſi di-

cunt,

cunt, sed etiam reipsa sic puniri, adeoq; ad mortem æternam imputari, quod nunquam dixerint. Catholicos præcipuè mouit quædam à vilitate personæ peccãtis ad infinitam excellentiam personæ offensæ deducta calculatio: sed quæ cũ locum non habeat, nisi in eodem actu, & cæteris paribus, ad institutum nihil facit.

a *Ezech. 18. Rom. 6. Matth. 5. Iacob. 2.*

65. Sed dubium est an peccatum veniale saltem per accidens aliquãdo puniatur æterna pœna, tunc scilicet, quando in aliquo hac vita defuncto coniunctum reperitur mortali. Et quanquam id graues quidam Theologi negent *a*, tutior tamen ac verior videtur communis sententia affirmantium *b*, quandoquidem censendum est, iuxta Concilij Tridentini definitionem *c*, extra Ecclesiam, & sine meritis Christi nulli peccati vllius remissionem contingere, adeoq; iuxta vulgatum Ecclesiæ dictum in inferno nullam penitus nec venialis quidem delicti fore redemptionem.

a *Scot. in 4. d. 21. q. 1. Maior, Gabr. d. 15. & 16. Vega lib. 14. in Concil. Trid.* b *S. Thom. 1. 2. q. 87. a. 5. Mag. Bonau. Rich. in 4. d. 15. Hal. Adrian.* c *Sess. 14. c. 8.*

66. Neque mirum est, peccatum mortale & veniale, quoad pœnæ reatum adeo inter se dissidere, cum etiam quoad propriæ malitiæ rationem plurimum differant. Quia enim propria peccati mortalis malitia in hoc consistit; quod sit

ſit tranſgreſſio legis diuinæ obligantis etiam hîc & nunc ſub amiſſione vltimi finis, quod peccato veniali non conuenit; hinc fit, vt mortaliter peccans (non item venialiter,) ab vltimo fine auerſus, & ad creaturam turpiter conuerſus *a*, plus amet creaturã, quàm Deum, vt ſacra Scriptura multis in locis patheticè declarat *b*, quidquid interim contra receptam Theologorum ſententiam negarint quidam *c*, per peccatum mortale vltimum finem in creatura conſtitui.

a *S. Thom. q. 87. a. 4. & q. 72. art. 5. & com. DD.* b *Hierem. 2. Epheſ. 5. Philip. 3. &c.* c *Adrian. quodl. 7. q. 3. Nau. in man. prælud. 9. n. 19.*

67. Neque tamen idcirco, vt quidam ſentiunt *a*, malitiam peccati mortalis ſimpliciter infinitam putamus, adſtipulante communi Theologorum ſententia *b*, neque adeo in ſuo genere paruam peccati venialis malitiam cenſemus, vt non ſit propriè peccatum, aut offenſa; cum & vtrunque hoc nomen in ſcripturis abſolutè ſortiatur *c*, & peccati definitio ei verè competat, etſi non malè quodam ſenſu analogicè peccatum dixerit S. Thomas *d* cum aliis *e*, quia nimirum in genere peccati eſt aliquo modo imperfectum (ſicut puer in ſpecie humana, quod eſt exemplum ipſius S. Thomæ *f*) & quia ſimul eius ratio explicari vix plenè poteſt, ſine ordine ad peccatum mortale.

a *Med. Cod. de pœnit. tract. de Satisfact. quæſt. 1.* b *in 3. d. 20. & in 4. d. 15. Caiet. in 3. p. q. 1. a. 2.* c *1. Ioan.*

c *1.Ioan.2.Iacob.2.* d e *q.88.a.1.2.3.Thomistæ comm. Alb.Bonau.&c. in 2.d.42.* f *q.88. a.3.ad 1. & a.6.ad 1.*

68. Constat etiam peccatum veniale verè esse contra præceptum ac legem Dei; neque hoc negare vnquam in mentem venit Theologis: etsi quodam sensu rectè communiter dicant *a*, id duntaxat esse præter legem Dei, (quod malè intellectum calumniantur hæretici) quia scilicet non ita repugnat legi, vt sit etiam contra finem legis, qui est charitas, iuxta illud Rom. 13. *Qui diligit, legem impleuit.* Et in consimilem aliquem sensum etiam par est interpretari, quod dixit Bonauentura *b*, peccatum veniale non esse offensam, & quod Scotus *c* & Gabriel. *d* esse contra consilium, nomen hoc generatim vsurpantes pro aliquo decreto, aliquid non simpliciter necessarium ad finem vltimum consequendum præscribente.

a *com. DD. vide Bell. 1. de amißione grat. cap. 11.* b *l.c.* c d *in 2.d.21. vel 22.*

69. Peccata venialia disponunt quidem ad mortale, at non ita propinquè tamen *a*, vt per se necessariò sequi debeat mortale, aut quasi ipsa mulplicatio venialium per se tãdem faciat mortale, quidquid *b* glossa dixerit, sed remotè, idq; tum per se & directè *c*, quatenus videlicet generatim neglectum quendam Dei inducunt, atq; etiam sæpius iterata producunt habitum, seu dispositionem, qua animus ad peccata etiam grauiora

niora in simili materia perpetranda facilè inclinatur: tum per accidens & indirectè *d*, quatenus remouent impedimentum peccati mortalis, feruorē scilicet charitatis, & peculiaria quædam auxilia gratiæ diuinę, quibus homo alioqui à peccato mortali solet retardari. In quem sensum intelligendus est Augustinus *e* cum significat venialia multiplicata nocere, vt mortalia.

a c d *S.Thom.q.88.a.3.& 4.com.DD.* b *in cap. Tres sunt.de pœn.d.1.* e *epist.108.& tract.11. in Ioan.& serm.88.de temp.& 41.de Sanctis.*

70. Cum autem triplex sit peccatorum per se venialium genus *a*, nimirum ex genere siue obiecto suo, ob prauitatem materiæ, & propter imperfectionem actus; (quorum proinde omnium habenda ratio est, vt veniale à mortali discernatur) fieri quidem potest, vt peccatum veniale idem numero physicè spectatum, in mortale transeat, aut etiam, vt actus quispiam peccati mortalis simul & venialis malitiam coniunctam habeat: vt accidit v. g. in mendacio contra iustitiam; attamen vt veniale ex suo genere, intra eandem speciem fiat mortale; fieri non potest: etsi contra mortale ex suo genere possit fieri, veniale etiam intra eandem speciem, ob defectum deliberationis, aut paruitatem materiæ.

a *S.Thom.q.88.a.2.&c.*

71. Quod ad subiectum remotum peccati mortalis & venialis attinet, certum est, fieri posse, saltem per extrinsecum Dei fauorem, siue pro-

protectionem, vt etsi quis possit peccare venialiter, non possit tamen mortaliter (quod accidit confirmatis in gratia) & rursus, vt licet possit peccare mortaliter, non tamen venialiter, seu per indeliberationem, seu ex paruitate materiæ, nisi prius mortaliter peccauerit. Vt in primo statu Innocentiæ Angelis & hominibus accidisse putandum est *a*, quidquid aliqui senserint *b*. Non minus certum est, nec Angelos bonos peccare iam vllo modo posse, & malos moraliter loquendo semper peccare moraliter.

a *S.Thom.q.89.art.3.& 4. Halens. Dur. Bonau. Bellarm. Val. Azor. &c.* b *Scot. Gabr. Maior. &c.*

72. Quantum verò est ex intrinseca dispositione operantis, etsi fieri possit, vt peccare aliquis possit mortaliter, & non venialiter per indeliberationem *a*, quisquis tamen potest peccare mortaliter, potest etiam venialiter, saltem ob paruitatem materiæ *b*: sicut etiam è contra quisquis potest peccare venialiter, per se, & seclusa ignorantia vel errore, specialiq; auxilio diuino, potest, quantum est ex intrinseca eius dispositione, peccare mortaliter *c*. Vnde fit, vt quisquis habet facultatem vsus rationis sufficientem ad hoc, vt peccare possit venialiter, habeat etiam sufficientem ad hoc, vt possit peccare mortaliter *d*. etsi quo ad eos, qui primum ad vsum rationis perueniunt, contrarium non omnino videri possit improbabile *e*.

73. De

a *com.DD.* b *Scot.Gab.in 2.d.21.& 22.Almain Altisiodor.&c. & Sig.Val.quæst.17.p.2. ad 1.* c d *S.Thom.q.89.a.6.in 4.d.9.a.4.Caiet.cit.a.6. Medin.1.2.q.10.a.3.Victor.Relect.13.p.2. Henriq.lib.vlt.c.6.in glossa B.* e *Victor.l.c.*

73. De quibus etiam illud multò verisimilius videtur, posse eos, licet solo peccato originali obstrictos, primum venialiter peccare, sicq; peccatum veniale coniungi posse cum solo mortali: vt extra scholam S. Thomæ communis habet Theologorum sententia *a*. Et quamuis probabile sit, hominem, cum primum rationis vsum consequitur, aduertendo rationem boni & honesti, teneri aliquo modo conuerti ad Deum, non quidem explicitè, multò minus per amorem eius super omnia, quod magni tamen alioqui Theologi senserunt *b*; sed implicitè, ponẽdo videlicet, in reliqua vita sectari bonum honestum *c*; probabilius tamen videtur, hominem in primo statim vsu rationis ad hoc non teneri, vt alij sentiunt *d*. quanquam negandum non sit, debere hominem non diu differre eiusmodi propositum ad totum reliquæ vitæ decursum rectè componendum admodum necessarium.

a b *Palud. Durand. &c. Val. Azor.* c *S.Thom. q.89 a.6.Capreol.Sot.Nau.* d *Victor.Caiet. Medin.*

V CAPVT

CAPVT V.

De peccato habituali.

74. Transacto peccato actuali tam veniali, quàm mortali (de quibus hactenus egimus) hominem verè ac propriè esse ac manere peccatorem, adeoque dari peccatum habituale seu per modum habitus, in homine permanens, quamdiu peccatum ei non remittitur, ex scripturis compertum est, & extra controuersiam. Sed quę nam sit ratio peccati habitualis, dictu non ita facile est. Certum tamen est, non esse habitum vitiosum, vt Ariminensi *a* placuisse videtur, nec vllam qualitatem positiuam, nec solam ordinationem ad pœnam, vt disconuenientem ipsi animæ, vt alij *b* putarunt; Hæc enim bona est, imò à Deo est; peccatum autem non potest non esse mali quippiam.

a *in 2.d.30.* b *Scot.in 4.d.14.q.1.Gabr.ibid.*

75. Rem autem in particulari declarando, distinguendum omnino est, inter peccatum mortale & veniale, & rursum inter statum hominis eleuati ad finem supernaturalem, & statum purę naturæ. Nam peccatum habituale mortale, etsi communi nomine rectè dici possit (vt etiam secundum rei veritatem est) habitualis quædam auersio à Deo *a*, non quidem fundata in aliquo positiuo ordine ad obiectum præteriti peccati actualis, qui transacto actu peccati in voluntate remaneat, vt nonnulli existimarunt, talis enim ordo

ordo præter rationem fingitur, ſed abſolutè relicta ex peccato actuali; huius tamen ipſius auerſionis, adeoq; etiam peccati habitualis, alia nunc ratio eſt, atque fuiſſet in ſtatu puræ naturæ. Pro hoc enim ſtatu conſiſtit in priuatione gratiæ & charitatis, quatenus per eas homo antea fuerat habitualiter ad Deum conuerſus *b*: in ſtatu autem puræ naturæ, quia gratię & charitatis homo tum capax non eſſet, auerſio illa nihil aliud fuiſſet, quàm moralis quidam effectus peccati actualis, quo ſecundum prudentem exiſtimationem peccator hoc ipſo habitualiter à Deo auerſus manere iudicatus fuiſſet, quod ſeſe per peccatum mortale actuale ſemel à Deo auertiſſet, & nulla ratione ad eum rurſus poſtea fuiſſet conuerſus *c*.

a *Iſai. 45. Ier. 3. Ezech. 18. Zachar. 1.* b c *S. Thom. q. 86. a. 2. Conrad. Caiet. Med. ibid. Val. q. 12. p. 1. q. 16.*

76. Similiter loquendo de peccato veniali, cum alioqui per illud etiam in hoc ſtatu nec perdatur, nec remittatur gratia vel charitas, quidquid contra communem ac certam Theologorum ſententiam nonnulli dixerint *a*, nec per ſe loquendo vlla alia ſeu naturalis, ſeu ſupernaturalis qualitas poſitiua habitualis; ſed ſolũmodo impedimentum ponatur peculiari cuidam familiaritati cum Deo, & auxiliis etiam quibuſdam ſpecialiſſimis, quibus alioqui ad promptum & feruentem vſum charitatis & amicitiæ diuinæ

à Deo excitari & adiuuari homo solet, omnino fatendum est, peccatum veniale habituale nihil aliud esse, quam effectum quendam moralem peccati actualis, secundum quem homo censeatur manere in sua præcedente voluntate praua, adeoq; inhabilis, siue indignus peculiari illa Dei familiaritate & specialissimis quibusdam auxiliis gratiæ *b*, &c. cum tamen in statu naturæ puræ, ratio eius peccati eiusmodi inhabilitatem ad illa gratiæ dona secum non aduexisset. Nec aliud volunt illi, qui dicunt, peccatum hoc consistere in priuatione cuiusdam facultatis siue habilitatis ad expeditum & feruens exercitium charitatis *c*, &c.

a *Victor. relect. de charit.* b *sig. S.Thom. q. 89. a. 1. & 3. & 3. p. q. 87. a. 2. & citati. c. Val. l. c.*

77. Neque tamen ex dictis fit consequens, omnia peccata habitualia eiusdem esse speciei. Distinguuntur enim nihilominus per habitudinem ad diuersa peccata actualia, à quibus ortum habent *a*, & in quibus peccator habitualiter permanere censetur, donec ab iis aliqua ratione liberetur. Quæ etiam causa est, cur vnum peccatum habituale, altero etiam in eodem genere (mortalis scilicet aut venialis) possit esse grauius; cur item peccata habitualia, plura in eodem homine inesse queant. Tametsi enim reipsa vna tantum sit priuatio gratiæ, &c. est tamen illa dependens à pluribus actibus.

a *S.Thom. 1. 2. q. 86. ad 3.*

78. Ne-

78. Neque refert, quod habitus gratię & charitatis, in quorum priuatione consistere diximus peccatum habituale mortale, per se & directè non cadant sub legem, sed solum indirectè & ex consequenti. Cum enim suppositâ lege Dei ordinaria in hoc statu, eiusmodi priuatio gratię includat habitualem auersionem à Deo, adeoque modo aliquo (habitualiter scilicet) eandem contineat malitiam *a*, quam peccatum actuale, vtpote in quo homo ratione habitualis tamdiu manere censetur, donec ei remittatur, ad hoc vt intelligamus priuationem illam gratię verè peccati rationem habere; adeoq; esse quiddam à diuina lege formaliter exorbitans, Deoq; exosum faciens, &c. in quo supra *b* peccati ratioñe consistere diximus, satis est, vt habitus gratiæ & charitatis saltem ex consequēti, per diuinam legem sint debiti *c*; cum tamen interim ob contrariam rationem, hoc ipsum non sufficiat, vt habitus vitiosi verè peccati habitualis rationem habeant.

a b *Bellarm. l. 5. c. 19. de peccat.* c *thesi 40. & 41.*

CAPVT VI.

De peccato originali.

79. Peccatũ originale etsi à nonnullis *a* quandoque accipiatur etiam pro actuali, illo scilicet, quod est origo & causa omnium aliorum peccatorum, quodque homines in ipsa origine sua

Adamo scilicet primo parente commiserunt; in proposito tamen accipi solet, pro aliquo propriè dicto & veri nominis peccato, quidquid Durandus *b* minus cautè loquutus dixerit, ex illo priore orto, cum quo homo nascitur. Quod ideo etiam originale dicitur, quod vel in ipsa origine hoc est natiuitate contrahitur, vel certè quia ab ipsa origine seu primo parente humani generis (in quo peccatum originale, hoc posteriore sensu propriè fuisse nõ rectè dicitur, quidquid de nomine contendat Caietanus *c*) in alios deriuatur. Qua de causa etiam peccatum naturæ dicitur, quòd naturali generatione, non autem propria voluntate contrahitur.

a *Bellarm. lib. 5. de peccat. c. 17.* b *in 2. d. 30. q. 2.* c *q. 83. a. 1.*

80. Esse verò eiusmodi peccatum, etsi negarunt præter Pelagianos olim, & Armenos, atque Albanenses *a*, nostro etiam tempore Anabaptistæ, item Zwinglius *b* (quantumuis alias ab hoc errore videri velit immunis) & Faber Stapulensis *c*, quin etiam Erasmus *d* valde hac in re suspectum se reddiderit: de fide tamẽ certum est, esse peccatum eiusmodi, adeoque paruulos naturali generatione ex Adamo propagatos, verè ac propriè peccatores nasci. Id enim apertè docet scriptura, definiuit Ecclesia in multis Cõciliis vt in Mileuitano can. 2. in Palæstino, in quo teste Augustino *e*, Pelagius suam illam hæresin, etsi fraudulenter, damnauit, Item in Arausicano

can,

can.1. & 2. Toletano VI. can.1. Elibertino can. 25. Ephesino *f* tom.3.c.5.& can.3. Florentino in decreto Vnionis, Tridentino sess.5. Quin etiam ex SS. Patribus plerique, præcipuè Augustinus *g* (qui multa etiam antiquorum Patrum testimonia pro Catholica sententia accumulat) *h* integris libris *i* hæresin illam, cum primum in Ecclesia caput erigere cœpit, improbarunt, refutarunt, damnarunt.

a *Castro V. peccat. hæresi 1.* b *L. de Baptis. tract. 3. & in declar. de peccato Orig. ad Vrb. Rheg.* c d *in cap. 5. Rom.* e *De peccat. Origin. cap. 15.* f *Refert Greg. l. 5. Regist. c. 114.* g h *Lib. vn. de peccato Origin. duobus de nupt. & concup. tribus de pecc. merit. & remiss. quatuor contra duas epist. Pelagian. sex cont. Iul.* i *Lib. 1. & 2. contra Iul.*

81. Ex scriptura locus imprimis celebris est ille Rom. 5. vbi ait Apostolus: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, &c. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines, in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Quem locum etsi aduersarij, deprauando etiam ex parte, contra omnium codicum fidem, textum, ad peccata actualia con-

torquere nitantur, luculentior tamen est, quam vt vllo artificio eludi queat. Huic similis est locus ille 2. Cor. 5. v. 14. Ephes. 2. v. 3.

82. Contrahitur autem hoc peccatum à solis, & omnibus hominibus (vnum quidem numero à singulis, vnum verò specie ab omnibus *a* etsi virtute multiplex censeri possit *b*) qui naturali via generationis ex Adamo propagantur, nisi forsitan quis singulari Dei priuilegio ab hac ordinaria lege sit exceptus, qualem quidē prȩter B. Virginem neminem fuisse de fide est *c*. quidquid cum Zwinglio Caluinus *d* eorumque assecla peccatum hoc filiis fidelium non imputari dixerint; fuisse tamen exceptam B. Virginem, non solum piè, sed etiam probabilissimè, ipsomet communi præsentis Ecclesiæ sensu fauente creditur *e*, quem si Doctoribus illis aliter olim sentientibus *f* suo tempore præsentem spectare licuisset, nostræ sententiæ non inuitos subscripturos fuisse, par est credere.

a *S.Thom.q.82.art.2.& comm.DD.* b *Aug.Enchir.c.45. S.Thom. q.82 a.2.ad 1.* c *S.Thom. q.82.a.3 comm.DD.* d *L.4.instit.c.16.§.24. & 25.* e *Sixtus IV. Extrauag cum præ excelsa. Concil.Trid.sess.5.comm. DD.extra Scholam S.Thom.&c.* f *S.Thom.q.82.a.3.&c.*

83. Sicut autem si peccante Adamo, (etsi forsitan sola interna voluntate) Eua non peccasset, peccatum quidem Originale ad posteros propagatum fuisset, ipsa verò ab eo immunis fuisset

ſet *a*; ita ſi Eua ſola peccaſſet, aut quiſpiam ex Adami poſteris, ipſi quidem ſibi gratiam & Iuſtitiam Originalem (fruſtra hoc negante Catharino *b*), perdidiſſent, at verò poſteris nihil incommodaſſent *c*, quidquid aliqui dixerint *d*. Quod ſi Adam ante peccatum filium generaſſet, & poſtea peccaſſet, tum, vti certum eſt, nepotes Adami poſt eius peccatum ex tali filio genitos, fuiſſe contracturos peccatum Originale, vtpote verè ex Adamo iam peccatore genitos; ita certum eſt, filium ipſum propter conſequens peccatum Adami perditurum non fuiſſe gratiam. De aliis donis iuſtitiæ originalis vtraq; pars quæſtionis probabiliter defendi poteſt.

a b *S.Thom.q.81.a 2.& 5.comm.DD.* c *In epiſt. Rom.5.* d *Scot.in 2.d.31.Dried.l.2.de captiu. hum.gen. tractat.2.c.2. S.Thom.olim q.5.de malo a.8 ad 8.*

84. Sed de ratione peccati originalis reſtat difficultas. In qua de fide certum eſt, id nõ eſſe ſubſtantiam quandam, aut formam ſubſtantialem, nec formæ ſubſtantialis priuationem ſeu remiſſionem, quidquid imperitè ſimul ac impiè delirarit Lutheranorum quondam Hyperaſpiſtes Illyricus *a*, ſe quidem Lutheri auctoritate ſtrenuè tueri conatus, ſed à ſuiſmet Symmyſtis *b* damnatus. Qui tamen ipſi (fortè neſcij quid dicerent) non minus inſulsè aſſeruerunt, peccatũ originale eſſe incredulitatẽ, & actualem cupiditatem, & cogitationem cordis *c* prauã, aut quod

homo sit sine metu & fiducia *d*, &c. facientes ex peccato originali, actuale. Quod si rectè faciũt, certè ab originali peccato immunes pronunciandi sunt infantes, vtpote qui secundum scripturam *e. ignorantes distantiam boni & mali*, nec boni quicquam agunt, nec mali, vt meritò Pelagianos quosdam rideat Augustinus *f*, quod infantibus recens natis dicerent inesse peccata actualia.

a *In va. lib. de peccat. origin.* b *Kemnitio, VVigando, Heshusio.* c d *Kemnit. in Exam. Conc. Trid. sess. 5. Confess. August. a. 2.* e *Deuter. 1. Rom. 9.* f *L. 1. de pecc. merit. & remiss c. 35.*

85. Non minus falsa & damnata est *a* communis illa hęreticorum huius temporis opinio, qua dicunt concupiscentiam, siue illam ipsam naturæ nostræ corruptionem, quæ & qualis etiam in renatis reperitur, esse verè ac propriè peccatum originale, licet fidelibus non imputetur ob fidem. Quæ hæresis innumeris scripturæ locis apertissimè refellitur, quibus significatur nullum in homine iusto, peccatum mortale remanere, sed omnia eiusmodi peccata in eo penitus destrui & aboleri. Sic enim dicitur, Deum peccata per iustificationem *auferre*. Exodi 30. Isaiæ 27. *deponere iniquitates & proiicere in profundum maris*. Michææ 1. *velut niuem dealbare, vt sint alba quasi lana*. Isaiæ 1. *Tollere*. Ioan. 1. *remittere peccata nostra, & emundare nos ab omni iniquitate*. 1. Ioannis 1. Huc etiam spectat illud Apostoli ad

Rom.

Rom. 4. vbi ait, *nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu.*

a *Trident. sess. 5.*

86. Eiusdem generis plurima testimonia vel in vnico Psal. 50. suppeditat nobis S. Dauid. *Dele*, inquit, *iniquitatem meam*. Et rursus: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et rursus: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Et rursus: *Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innoua in visceribus meis, &c.* Et demum ne frustra toties orasse videatur; *Asperges me*, inquit, *hysopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Eant nunc logodædali isti, & quærant in quonam Dasypodio seu Calepino legerint, *tolli, deleri, auferri, mundari velut niuem, imo super niuem dealbari*, id quod sordidum est, idem significare quod *tegi* tantum, *non imputari, &c.* Quanto rectius Augustinus a *peccata tecta sunt*, inquit, *abolita sunt.* Et alibi *b* apertè docet, baptismum aufferre crimina, non radere. Quin etiam Proclus olim apud Epiphanium *c*, & Messaliani apud Theodoretum *d* hæreticis accensiti sunt, quod dicerent, per baptismum radi, non penitus tolli peccata.

a *In exposit. 2. Psal. 31.* b *L. contra 2. epist. Pelag.* c *Hæres. 64.* d *L. 4. hæret. fabul.*

87. Præterea nonne apertè S. Paulus *a* efficaciorem facit gratiam Christi ad nos sanctificandos, quàm malitiam Adami, ad nos inficiendos? Certè

eius sunt hæc verba. *Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit.* Et infrà: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Et demum concludit, *vbi abundauit delictum, superabundasse gratiam.* Quæ cum ita sint, quantum piaculum est, dicere, Adamum quidem verè nos suo peccato infecisse, imo in nos peccatum transfudisse, at Christum è conuerso nullam internam sanctificationem homini conferre, adeoque peccata tegere tantum, non tollere? Quasi verò cumulatissima illa Christi merita plus efficere nõ potuerint, quam vt fœdissimæ illæ peccatorum sordes, velut panno quodam obtectæ manerent, ne ad pœnam imputarentur. a *Rom. 5.*

88. Sanè quidem execrabilem hanc blasphemiam ipsa etiam ratio Christiani hominis detestatur. Si enim peccatum adeo graue & detestabile malum est, adeoq; Deo exosum, vt propter illud oportuerit filium Dei tot probra, iniurias, ac ipsam demum acerbissimam mortem perferre; quin etiam si optio detur, cuique vel millies potius ipsa gehenna ignis (secluso peccato) deligenda sit, quàm vel semel peccandum; quis nisi impius dixerit, filium Dei, tanto suo labore non tollẽdi peccati munus, sed eius potius tuen-

di

di ac defendendi patrocinium, suscepisse, vt nimirum peccata ipsa tegerentur quidem, sed non delerentur, adeoque, vt essent, sed non imputarentur. Contra apertissimam scripturam *a*, *similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius.*

a *Sapient.14.*

89. Neque verò vel vnum apicem scripturæ, aut Ecclesiasticorum scriptorum suo errori consentientem habent aduersarij. Obiiciunt potissimum, concupiscentiam licet inuoluntariam vocari malum & peccatum ab Apostolo *a*. Sed non propterea baculus stat in angulo. Nam & malum latius patet, quàm peccatum, vt vel pueri norunt; & peccata in scriptura sæpè vocantur ea, quę non nisi impropriè & per figuram quandam peccata dici possunt. Sic enim Deut.9. peccatum appellatur vitulus aureus, quia erat causa & effectus peccati. Sic Rom.7. dicitur: *lex peccatum* (id est causa peccati) *est?* sic 2.Cor.5. Christus vocatur peccatum, quia fuit sacrificium pro peccato. Sic Oseæ 4. sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi.* Eodem igitur modo peccatum à S.Paulo accipitur pro causa & effectu peccati, & aliter accipi non posse, ex infinitis aliis scripturæ locis, quæ supra indicauimus, fit manifestum. a *Rom.6.& 7.*

90. Sed Augustinum opponunt, cum passim significat concupiscentiam peccatum esse, in baptismo quoad reatum dimitti, &c. Atq; illud inprimis cum ait *a*, *concupiscentiam & peccatum esse,*

esse, & pœnam peccati, & causam peccati, Addit Lutherus *b*, & post eũ Philippus Melachthon in Apol. Agu. Confess. a. 2. quasi Augustinus dixerit alibi *c peccatum in baptismo dimitti, non vt nõ sit, sed vt non imputetur*. Et rursus *d*: *Idem peccatũ reatu transire actu manere*. Sed hæc nõ obiicerẽt homines isti, si eis mens fuisset sequẽdi, non calumniandi Augustinum, qui in iisdem libris tam apertè suam hac de re sententiam declarat. Sic enim ait *e*: *Omni peccato carent iustificandi, sed nõ omni malo*. Et in libro posterius citato *f*: *concupiscentia in renatis*, inquit, *iam non est peccatum, si ei ad illicita opera nõ consentitur*. Et ne quis fortè dicere ausit, Augustinum eiusmodi sententiam retractasse, idem in suis retractationibus *g* habet, cum locum illum Apostoli *h* ab hæreticis obiici consuetum eodem modo explicat, quo nos paulo ante intelligendum diximus; *Hoc peccatum*, inquit, *de quo hic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est*.

a *Cont. Iul. lib. 5. c. 3.* b *In assert. a. 22.* c *L. 1. de nupt. & concupisc. c. 25.* d *ibid. c. 27.* e *Lib. 6. contra Iul. cap. 5.* f *de nupt. & concupisc. c. 23.* g *l. 1. retract. c. 15.* h *Rom. 6. 7.*

91. Ex his liquet, quid ad obiecta loca Augustini respondendum sit. Primum scilicet illud generatim; nonnunquam ab Augustino significari, concupiscentiam in non renatis peccati rationem, (in priuatione gratiæ constitutam) extrin-

extrînſecè adiunctam habere, adeoq; peccatum originale eſſe materialiter; vt infra ex Catholica ſententia declarabitur. Deinde ad priorem locum in ſpecie reſpondemus, Auguſtinum illic peccati vocem latè vſurpare, prout quælibet vitioſitas naturę à præfixa regula aliquo modo deficiens peccatum appellari conſueuit, ſeu prout etiam obiectum peccati nonnunquam peccatum (obiectiuè nimirum) dicitur. Quæ reſponſio ex eo quoque confirmatur, quod Iulianus, contra quem eo loco diſſerit Auguſtinus, ex doctrina Catholica inferebat, carnis concupiſcentiam (intelligendo per eam etiam prauos illius motus) ſi pœna peccati ſit, nec obiectiuè quidem malam eſſe, ſed bonam & laudandam, ac proſequendam: *ſi libido,* inquit, *pœna peccati eſt, abiicienda eſt pudicitia; ne rebellis in Deum caſtitas, illatam ab eo dicatur eneruare ſententiam.* Contra quem Auguſtinus concupiſcentiam & pœnam peccati & peccatum eſſe probauit; peccatum ſcilicet obiectiuè, ſi ei non conſentiatur; formaliter autem, ſi conſenſus accedat, vt ipſemet infra his verbis declarat: *Cum ergo dicitur, homo tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus à Deo cedit eis, atque conſentit, vincitur, capitur, traditur, poßidetur.*

92. Reliqua duo loca pro ſua impudentia falsò citauit Lutherus. Contrarium enim potius dixit Auguſtinus; nimirum concupiſcentiam actu quidem manere in renatis; ſed non imputari,

tari, non reos facere pœnæ, vel culpæ alicuius, adeoque non esse propriè peccatum. Verba Augustini citato capite 25. sunt; *Si autem quæritur, quomodo ista concupiscentia carnis manet in regenerato, in quo vniuersorum facta est remißio peccatorum, quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati: aut certè si in parente baptizato potest & esse, & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit: ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur, &c.* Et cap.36. *In eis ergo,* inquit, *qui regenerantur in Christo, cum remißionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, vtique necesse est, vt reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, vt in peccatum, sicut dixi, non imputetur.* Et ne quis fortè somniet, ex sententia Augustini, peccatum posse manere sine reatu, mox infra subdit: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Eodem modo loquitur S. Augustinus cap.27. ex quo vltimus locus malè desumptus est. Verba sunt: *Sic itaque fieri è contrario potest, vt etiam illud* (concupiscentiæ malum) *maneat actu, prætereat reatu.* vbi tametsi gratis daremus, pronomen demonstratiuum, *Illud*, referre peccatum concupiscentiæ, necessariò tamen fatendum esset, vocem peccati illic non accipi, nisi pro materiali significato, ipsa nimirum concupiscentia, quæ ante baptismum peccati rationem extrinsecè

secè adiunctam habet, cum alioqui etiam iuxta Dialecticorum regulas S. Augustino longè melius, quàm hæreticis huius temporis perspectas, nomen adiectiuum, vel quasi adiectiuum, prædicatum de aliquo subiecto habente materiale significatum, appellare soleat materiale significatum, non formale.

93. Ex dictis autem colligitur, nec ipsam concupiscentiam, nec vllam aliam qualitatem, aut etiam priuationem, quæ & qualis etiam in renatis permanet, verè ac propriè esse peccatum originale. Nec diuersum vllus Catholicorum vnquam vel errando sensisse videtur. Licet enim Gregorius Ariminensis *a* in eo quidem errasse videatur, quod fomitem seu pronitatem concupiscendi, esse qualitatem aliquam positiuam, ab ipsomet appetitu distinctam, & nescio ex quibus qualitatibus prauis carnis & seminis cõtractam, asserere visus est, nunquam tamen putauit peccatum originale verè ac propriè esse qualitatem eiusmodi etiam in renatis permanentem, cum hæc sint eius expressa verba *b*: *Est igitur & in baptizato originalis concupiscentia seu fomes, sed ipsa non est in eo peccatum, ac per hoc propriè loquendo de peccato scilicet pro culpa, nec ipse baptizatus habet originale peccatum.* vt manifestissimum sit, cum dixit *c*: peccatum originale *tolli quoad reatum, non quoad essentiam.* de peccato originali tantum materialiter & impropriè esse loquutum.

a *in 2. d. 30. & 31.* b *l. c.* c *a. 4.*

94. Eadem est sententia Driedonis *a*, qui tamen potius rem in medio relinquit, & simul apertè asserit, peccatum originale consistere formaliter in priuatione originalis iustitiæ. Eodem modo conuenit interpretari Magistrũ *b* & Henricum *c*. Periculosius errasse videnrur illi *d*, qui peccatum originale dixerunt esse ipsum solummodo actuale peccatum Adami, commissum in esu fructus vetiti, quod non reipsa quidem, sed quadam imputatione, & extrinseca denominatione duntaxat ad paruulos deriuetur; cum tamen ex definitione Concilij Tridentini *e* apertum sit, peccatum originis *inesse cuiq; proprium*, adeoque distinctum esse in singulis.

a *l.1.de grat. & lib.arb.c.3.p.4.* b *cit.d.30.& 31.* c *quodl.2 q.11.* d *Pig.in contr ou.de pecc. orig.& Catharinus in tract.de casu hominis.* e *sess.5.n.3.*

95. Dicendum igitur ex communi Theologorum sententia *a*, peccatum originale propriè ac formaliter esse habitualem auersionem à Deo, consistentem in priuatione iustitiæ seu gratię, & charitatis, quatenus hominem conuertunt ad vltimum finem supernaturalem, Deoque gratum & amicum faciunt. Hæc enim ipsa priuatio est *mors animæ* (quo nomine peccatum originale vocatur in Concilio Arausicano *b*, & Tridentino *c*) & habitualis peccati rationem habet, vt supra diximus, & in omnibus Adami posteris, cum primum nascuntur, inest, & per baptismum tolli-

tollitur, vt ex Milenitano *d* & Tridētino *e* Concilio patet.

a *Sot.l.1.de natura & gratia c.5. & seq.Bell.l.5. de pecc.c.17. Val.quæst.12.p.1.* b *seß.2.can.2.* c *seß.5.* d *can.2.* e *seß. 5.*

96. Nec alio ſenſu accipienda eſt veterum Theologorum ſententia, cum aiunt, peccatum originale formaliter conſiſtere in priuatione iuſtitiæ originalis debitæ, ſiue cum debito habendi *a*, ſiue, vt alij loquuntur *b*, cum dignitate carendi illa, ſiue cum indignitate habēdi illam. Et fruſtra quidam inter ſe contendunt, dum alij quidem aſſerunt, peccatum originale eſſe priuationem ſubiectionis erga Deum, & negant interim eſſe priuationem gratiæ & iuſtitiæ: alij verò vnum primariò, alterum ſecundariò ad originalis peccati eſſentiam pertinere, alij neutrum iſtorum eſſe, ſed auerſionem à Deo: cum tamen hęc omnia non ſecus ac forma, & formalis effectus, reipſa coincidant *c*.

a *Anſelm.lib.de peccat.orig. S.Thom.q.82.art.3. Bonau. Scot.in 2 d.30.c 31.* b *S.Thom. q.4.de malo a.1.ad 11.* c *vide Val.l.c.*

97. Cur autem peccatum originale non dicatur eſſe priuatio iuſtitię originalis quoad omnes effectus, ex ſupra dictis colligitur; quia nimirum eiuſmodi priuatio per baptiſmum non tollitur; nec quoad ſecundarios illos effectus talis eſt, in qua conſiſtat habitualis auerſio à Deo, cum tamen peccatum habituale mortale, quale conſtat

esse originale, in eiusmodi auersione necessariò consistat, vt supra diximus *a*. a *Thess.75.*

98. Vnde licet quis diceret, etiamsi peccatum originale consistat in priuatione totius iustitiæ originalis, secundum omnes effectus, nihilominus tamen per baptismum tolli culpam peccati originalis, quia *licet remaneat carentia iustitiæ originalis quoad posteriores* (& secundarios) *effectus, non tamen esse culpam, quia illud positiuum non est debitum. Solui enim debitum habendi istud donum, & commutari indebitum habendi aliud donum, scilicet gratiam*, vt sanè quidem loquitur Scotus *a*, adhuc tamen non rectè in priuatione totius iustitiæ originalis peccatũ originale constitutum esse dixerit; vt interim taceam eiusmodi sententiam videri supponere falsum, quasi videlicet Deus peculiarem aliquam legem dederit Adamo, & in eo posteris Adami de conseruanda iustitia originali, quod tanquam superuacaneum, imo etiam falsum meritò reiicitur *b*.

a *loc.cit.* b *Bellarm.lib.5.cap.19.vide thesin 78.*

99. Concupiscentia, seu accipiatur formaliter, pro inordinatione potentiarum animæ, ex defectu iustitiæ originalis, prout hominem ad Deum conuertebat, consequuta, siue materialiter pro ipsismet potentiis ita inordinatis, in non renatis, materialiter peccatum originale dici potest, vt communis habet Doctorum *a* loquendi ratio; non quasi ipsa velut pars quædam essentialis aut integrans propriè ac intrinsecè constituat

tuat peccatum originale, aut quasi perinde se habeat ad peccatum originale, sicut actus prauus ad peccatum actuale *b*: sed tum quia talis inordinatio est priuatio eius rectitudinis, quæ in iustitia originali quasi quiddam materiale erat, tum, quia est quasi materialis & præcipuus quidam effectus priuationis iustitiæ originalis, prout in ea peccatum originale formaliter consistere diximus; & vsitatum est nonnunquam à materiali effectu rem denominare, sic enim ira dicitur esse ebullitio vel accensio sanguinis circa cor. Vbi si formale desinat, etiam materiale quãtumuis reipsa maneat, suam denominationem à formali participatam amittit.

a *S. Thom. 1. 2. q. 82. a. 3. Mag. Scot. &c. in 2. d. 32.*
b *Sot. 1. de natur. & grat. cap. 8. & 9. Barthol. Med. q. 82. a. 1.*

100. Ex his facilè de subiecto peccati originalis (adeoque etiam habitualis mortalis personalis) fit iudicium. Sicut enim gratiâ (eadem est ratio iustitiæ originalis secundum primarium effectum) ita etiam peccatum originale propriè ac principaliter est in ipsa essentia animę ex probabiliore sententia S. Thomæ *a* licet alij in voluntate *b* alij tum in hac, tum in potentiis animæ sensitiuis *c* id collocent. Æqualiter est in omnibus secundum formale, non autem secundum id quod materiale, nempe quoad procliuitatem illam ad malum, cum alij magis quam alij ad vitia proni deprehendantur.

a *quæst.82.art.2.* b *Scot.Bonauent.* c *Durand. in 2.* d *32.quæst.3.*

CAPVT VII.

De subiecto peccati actualis.

101. Cum, vt ex dictis liquet, actuale peccatum actio quædam sit, seu defectus actionis, quæ vt sic formaliter subiectum inhæsionis non deposcit, sed denominationis, hinc fit, vt non omne illud in quo subiectiuè inest illud, quod verè ac propriè rationem peccati habet, propriè ac formaliter peccati subiectum dici debeat *a* (alioqui enim etiam in gladio v.g. aut pecunia aliena, &c. peccatum inesse dicendum esset) sed illud tantum, in quo ita inest mala actio, vt etiam aliquo modo denominet, adeoq; ab eo tanquam à morali quadam causa deformitatis aliquo modo procedat.

a *S Thom.1.2.quæst.74.art.4.ad 1.*

102. Quo posito, rectissime asserit S. Thomas *a*, membra quidem exteriora peccati subiectum propriè ac formaliter non esse, attamen non solam voluntatem, sed etiam intellectum atque appetitum sensitiuum, adeoque omnes & solas illas potentias, quę virtutum subiecta sunt, etiam vitiorum & peccatorũ subiecta esse, quanquam non *b* pauci peccatum in sola voluntate propriè ac formaliter inesse contendunt. Quod eatenus concedi potest *c*, quatenus voluntas est

præ-

præcipua peccati radix, ita quidem, vt peccatum formaliter esse non possit, nisi quatenus aliquo modo à voluntate procedit. Alioqui negari non debet, quin ad formalem malitiam peccati sufficiat voluntarium & liberum extrinsecè ac denominatiuê.

a *cit.q.74.a.2.& q 2.de malo art.3. Caiet. Med. cit.q.74.art.2. Angl.in 2.d.37.q.5. Azor.l.4.c. 20.q.4.&c.* b *Scot.in 2.d. 42.q 4.a.2. Dur. ibid.q.1.a.1. Gabr.ibid.q.1.a.1. Bonau. Rich. Maior.* c *Angles loco cit.*

103. Etsi vero peruersi motus sensualitatis non sint peccata, quandiu nullus eis voluntatis consensus accedit, (vt fieri quidem etiam potest tametsi ex imaginatione absentis rei ꝓueniant *a*, etsi grauissimi Theologi olim *b* aliter sensisse videantur) quidquid stolidi huius temporis hæretici satis supra *c* refutati obganniant: Si tamen eis cum plena deliberatione consentiatur *d*, idque siue directè, siue indirectè (vt fit quotiescunq; homo eiusmodi *e* delectationi sine causa rationabili sciens & prudens immoratur) circa rem mortaliter illicitam, vt sic, etiamsi licita sit sub apprehensa conditione, quæ tamen ei nō subest; imo etiamsi reipsa olim in alio quandoq; statu licita fuerit *f*, peccata sunt mortalia. Secus, si consensus non sit plenè deliberatus; aut res prout delectationem terminat, non sit mortaliter illicita: vt fit etiam, cum quis delectatur de de rebus positiuo solum præcepto prohibitis,

non qua prohibitæ sunt, sed vt per se bonæ, vel saltem non ita malæ sunt *g*, &c.

a *Scot. 2 d. 42. q. 3. Rich. 2. d. 21. a. 2. q. 3. Capreol. Conrad. Med. comm.* b *Halens. p. 2. q. 108. m. 2. S. Thom. q. 7. de malo a. 6. ad 8. Durand. 2. d. 21. q. 1. &c.* c *thes. 41. 42. 43. & 85. 86. &c.* d *S. Thom. q. 74. a. 8 comm. DD.* e *Val. q. 4. p. 3. Azor l. 4. c. 6. q. 5. &c.* f *Syluest. V. delectatio q. 3. Nau. c. 16. man. num. 10. &c.* g *Cordub. lib. 2. quæst. 30. dub. 1. Val. quæst. 4. p. 4. Vasq. d. 110. post Gabr. Adr. Ledesm. cont. Ioan. Medin.*

104. Quin etiam mortaliter peccare videtur, qui ob quamcunque demum causam, absoluta intentione procurat, imo etiam qui absolutè cupit vel optat, sibi aut alteri euenire, etiam præter intentionem aliquid, ex suo genere mortaliter illicitum *a*, (qualis non videtur inuoluntaria pollutio in somno sola naturali via consequens, non voluptatis, sed honesta causâ sanitatis, &c. expetita *b*) vt & qui de tali actu, secundum se mortaliter illicito, licet ex accidenti ob ignorantiam videlicet, aut violentiam à peccato mortali fuerit excusatus, sciens ac prudens delectatur *c*; nisi quis fortè non delectetur de ipso actu secundum se, sed sub ratione boni cuiusdam honesti, aut certè non ita turpis, actui adiuncta.

a *Nau. man. c. 16. n. 17. Barthol. Medin. q. 74. a. 6. Angl. 2. d. 37. q. 5. Azor l. 4. c. 9. q. 6. Vasq. d. 115. c. 2.*

c.2. b *Anton.2.p.tit.6.c.5. Palud.4.d.9. Angel. Armill. v.pollutio,* Nau.*c,16.n.7. Cordub. l.2.q.30. Vasq.d.115. Sa.v. Luxuria.cont. Sot. 4.d.12.q.1.a.7. Angl. Med. Azor. l.c.* c *Palud. Sot. Cord. Azor, Vasq. l.c.*

105. Spectat autem consensus in opus peruersum ad eandem speciem peccati ad quam ipsum opus, secundum omnes. Peccatum autem morosæ delectationis eius speciei generatim est, ad quam pertinet actus malus, prout in apprehensione est obiectum morosæ delectationis *a*. Vnde fieri non rarò potest, vt non sit in eadem specie, in qua est ipse actus prauus secundum se, vt viri doctissimi non paruo Confessariorum commodo sentiunt *b*, asserentes, delectationes turpes de cogitatis fœminis quibuslibet, vt fœminæ sunt, eiusdem esse speciei, & ad simplicem fornicationem spectare.

a b *Azor lib.4.c.9.q.3. Vasq.d.112.c.2.&c.*

CAPVT VIII.

De causis peccatorum.

106. Peccatum, vti & malum quodlibet formaliter spectatũ, cum sit priuatio, causam propriè efficientem non habet, quidquid olim Manichæi dixerint *a*, sed deficientem, qualis quidem principaliter est volũtas *b* libera, negligens in agendo se conformare regulæ diuinæ legis & rectæ rationis. Minus principales & quasi me-

 diatæ,

diatæ, adeoq; per se insufficientes, aut internæ *a* sunt, vt intellectus, imaginatio siue sensus, & appetitus sensitiuus, aut externæ, vt homo, dæmon, & bona quælibet externa. Quin etiam ex peccatis vnum alterius causa esse potest; idque secundum quodlibet genus causæ *d*. Quamobrem etiam quædam capitalia dicuntur, quod cętera communiter ab illis prouenire solent *e*.

a *apud Aug. lib. de nat. boni contra Manich. & l. de fide contra eosdem.* b c d *S.Thom 1.2.q.75.* e *Gregor. lib. 3. moral. c. 31. Caßian. lib. 5. de institut. cænob. c. 1. & collat. 5. c. 2. S.Thom. 1.2. quæst. 84.*

107. Ignorantia, quæ poni solet causa peccati ex parte intellectus, si prorsus inuincibilis sit, vti secundum se peccatum non est, ita nec est causa peccati, nisi materialiter, quandoquidem actum illum, qui fit ex tali ignorantia, à peccato penitus excusat, etiamsi concomitans tantum sit *a*. Si autem vincibilis sit, & causa peccati esse potest, & peccatum, etiam secundum se; non tamen moraliter distinctum ab eo, quod ex ignorantia comittitur *b*, nisi cum ea ignorantur, quę ratione vocationis, status, aut officij cuique per se & absolutè, adeoque non tantum in ordine ad particulare aliquod factū, scitu necessaria sunt *c*. Semper tamen hæc ipsa (nisi affectata sit) aliquo modo minuit peccatum, etiamsi concomitans sit. Peccata ex ignorātia commissa eiusdem speciei sunt *d*, cuius essent, si scienter fuissent commissa,

missa, exceptis iis, quæ ex sua ratione requirunt voluntarium directè.

a *Barth. Med 1.2. q.74. a.3. Angles in flor. 2. d.22. q.2. Azor lib.1. c.14. q.4. &c.* b c *Med. Angles loc. cit.* d *Med. q.76. art.4. Val. q.6. p.3. Azor l.1. c.14. q.6.*

108. Appetitus sensitiuus (quo refertur etiam ei deseruiens sensitiua cognitio) causa peccati est, quatenus vim habet voluntatem aliquo modo mouendi, non quidem directè, sed indirectè *a*, idque tum per modum cuiusdam distractionis, tum ex parte obiecti; quatenus ex naturali quadam potentiarum sympathiâ, facilè erga id ipsum voluntas afficitur, quod appetitui sensitiuo arridet *b*. Vnde etiam ex fragilitate peccare dicitur voluntas, quando ex passione peccat. Quod si præcedens passio prorsus inuoluntaria sit, vsumque rationis penitus tollat, tunc actum subsequentem à peccato penitus excusat, alias minuit, sed non semper vsque ad veniale *c*. Ad peccandum autem cogere, aut necessitare voluntatem nunquam potest.

a b c *S. Thom. 1.2. q.77. comm.* DD.

109. Dicitur homo quandoq; ex malitia peccare; quod fit, quando quis ex habitu malo & voluntario, vel ex ipsa naturali vi voluntatis, citra vllam passionem, vel ignorãtiam, liberè peccatum eligentis, peccat *a*. Qua de causa etiam hoc peccatum, cęteris paribus, grauius censetur, quàm quod ex passione, vel ignorantia committitur

titur

titur *b*. An autem possit vllum omnino peccatum committi absq; omni ignorantia aut errore saltem practico, adeoque sine vllo prorsus defectu rationis, grauis quæstio est, & inter viros doctissimos controuersa; aliis negantibus *c*, aliis affirmantibus *d*, nobis peccatum communiter accidere non videtur sine aliqua actuali inconsideratione *e* nec vnquam sine practico errore intellectus.

a b *S.Thom.q.78.* c *Dur.in 2.d.39.q.1. Adrian. quodl.4.a.1. Caiet. Med.1.2.q.77.a.2. Bell.l.3. de grat.c 8. Val.q.8.p.1.sig. Arist.3. Eth.3. & 7. Eth.3. S.Thom.q.77.a.2.* d *Scot. Gabr.in 3. d.36. Almain. tractat.3. moral. cap.de prud.* e *Suar. Met.disp.19. sect.17. &c.*

110. Homo homini peccati causa existere potest, tum exterius inducendo, tum etiam per originem peccatum transmittendo, de qua re supra *a*. Diabolus verò *b* tum exterius suadendo, vel inducendo, idque vel per se, vel per alium; tum interius suggerendo, & instigando; ciendo scilicet phantasiam, vel appetitum sensitiuum; illam quidẽ actuali repræsentatione specierum sensibilium, hunc verò etiam motione cordis & sanguinis ad propositæ passionis rationem accommodata *c*. Ipsam tamen voluntatem directè mouere, vel ad peccãdum cogere, quantumuis etiam rationis vsum adimat, & homine ad malum actum efficiendum violenter abutatur, non potest. Neq; censendum est, omnia & singula

gula peccata ex Diaboli ſuggeſtione prouenire *d*, niſi remotè, quatenus ipſa quoque naturæ corruptio & pronitas ad peccandum, ex qua hominem quandoque ſine vlla externi hoſtis tentatione peccare accidit, ex diaboli tentatione prouenire.

a *theſ.79. &c.* b c *S.Thom.1.2.q.80.* d e *Orig. l.3 periarch. cap.2. lib. de Eccleſ. dog. cap.28. S.Thom.q.80.*

111. Impia & blaſphema vox eſt, *Dei proprium opus eſſe Iudæ proditionem, ſicut eſt Pauli vocatio*, vt Melanchthon *a* olim dixit, aut Deum ſic velle, & ab æterno abſoluta voluntate prædefiniſſe mala opera quæ fiunt, vt etiam ad ea inclinet, impellat, trahat, & quodammodo cogat, non quidem coactione extrinſeca, ſed interno impulſu, vt Lutherus quondam *b* ac etiam nunc eius ex Caluino *c* & Zwinglio *d* nepotes aſſerunt; quantumuis interim à blaſphemia purgatos ſe exiſtiment, dum aiunt, Deum illud ſic facere, vt tamen ipſemet non peccet, nec peccata iubeat *e*, nec peccati auctor dici poſſit *f*.

a *in c.8.Rom.* b *in aſſert. a.36. & de ſeru. arbit.* c *l 1. inſtit. c.18. ſect.2. & l.3. c.23. §.7.* d *tom. 1. ſerm. de prouid.* e f *Caluin. in l. de æter. Dei prædeſt.*

112. Aduerſatur hic error apertiſſimis ſcripturæ teſtimoniis. Clamat enim Pſalmiſta. *Non Deus volens iniquitatem tu es a.* Et: *odiſti omnes qui fornicantur abs te b.* Clamat ſapiens *c*: *odio eſt*

Deo

Deo impius & impietas eius. clamat tota ſcriptura, Deum peccata deteſtari, prohibere, punire. Quomodo igitur ea vult? quomodo procurat? quomodo ad damnationis cauſam impellit, adeoq; abſoluta voluntatis prędefinitione quoſdam vult damnari, qui iuxta Apoſtolum, *omnes homines vult ſaluos fieri d,* qui *neminem vult perire e;* qui adeo grauiter apud Prophetam proteſtatur: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij f?* Et rurſus alibi *g. Perditio tua Iſraël; tantummodo in me auxilium tuum?* Et quid illa? *Non dicas, ille me implanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij h. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis i. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt, ipſe enim neminem tentat k.* Nonne apertè impias illas hæreticorum voces damnant, quas ipſa quoque naturalis ratio exhorreſcit?

a *Pſalm.5.* b *Pſal 72.* c *Sap.14.* d *1.Timoth.2.* e *2 Pet 3.* f *Ezech.18.* g *Oſeæ 13.* h *Eccleſ.15.* i *1.Cor.1.* k *Iacob.1.*

113. Nam ſi, vt blaſphemè aiunt, Deus ad peccatum impellit, inſtigat, cogit, quidni peccati auctor erit? quid ni etiam ipſe peccabit? Imò verò ſolus ipſe peccabit, vtpote qui ſolus libera, abſoluta, ac antecedente voluntate, vt aiunt, vult & cauſat malos peccatorum actus. Homo verò tum quia ſecundum iſtos liberè non facit, quod facit, tum quia ex inſtinctu & impulſu, adeo-

adeoque voluntate Dei facit, quidquid mali facit, à peccato prorſus immunis erit pronunciandus. Quid verò aliud Libertini, quos ipſimet vt blaſphemos inſectantur a, ſibi volunt, dum aiunt, *peccatum nihil eſſe præter inanem & falſam opinionem, cum Deus omnia faciat, qui nihil mali operari poteſt, non debere reprehendi eos, qui occidunt, mœchantur, furantur, id enim eſſe Deum reprehendere; non oportere prohibere, quin pro ſuo quiſque viuat arbritio, &c.* Vtri rectius? Illi Deo peccatum tribuunt, ſed malum negant. Illi ſummum malum eſſe non negant, & adhuc tamen tribuunt.

a **Caluin. lib. contra Libert. cap. 13.**

114. Peſſimè ſanè & blaſphemè ſentire vtroſque; antiqui etiam Patres conteſtantur. *Impius profectò iudicabitur*, inquit Euſebius a, *imò verò peſſimus omnium, qui à creatore vniuerſi, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur.* Et infrà: *Quare non iure homo,* inquit, *ſed creator eius, peccator erit: quo dogmate nihil ſceleſtius cogitari poteſt.* In eandem ſententiam Auguſtinus b: *Illud quaſi neceſſarium*, inquit, *iis, quibus talia ſunt curæ, credendum dimittur, aut diuinam prouidentiam, non vſque ad hæc vltima & ima protendi, aut certè mala omnia Dei voluntate committi. Vtrumque impium, ſed magis poſterius.* Et alibi f: *Malæ,* inquit, *voluntates ab illo nō ſunt, quoniam contra naturam ſunt.* Et rurſum g: *Nuſquam legimus, non eſt voluntas, niſi à Deo.*

Deo. Et *rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin & peccatorum, quod absit, auctor est Deus*. Mitto cætera.

a *lib. 6. de præparat. Euang. c. 5.* b *lib. 1. de ordin. c. 1.* c *lib. 5. de ciuit. Dei, c. 9.* d *de spirit. & lit. cap. 31.*

115. Quæ cum ita sint, nec fidei, nec rationi, nec veterum Scholasticorum doctrinæ consentaneam putamus quorundam nimis liberè philosophantium opinationem; Deum videlicet ab æterno prædefinire, ac postea per modum causæ vniuersalis physico quodam influxu in ipsum liberum arbitrium, prędeterminare hominem ad actus malos. Quamuis enim Deus effectiuè concurrat ad totum actum peccati, quatenus ens & actus quidam realis est *a*, quod malè negauit Durandus *b*; ita tamen concurrit, vt hominem in agendo nequaquam præueniat, adeoque nec ad eum prędeterminet; sed simul cum eo in actũ illum, vt ens est, influat: ita vt vna & eadem indiuisibilis sit actio primæ & secundæ causæ, pendens & procedens in eodem instanti naturę tam à Deo, quam ab homine; at nõ per aliam actionem, sed seipsâ. Jlla verò prędeterminatio prorsus tollit vsum liberi arbitrij, & quod consequẽs est, peccati culpam in Deum transferre cogitur. Quocirca etiã definitio in Concilij Tridentini *c* aduersam censemus; qua dicitur: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona, Deum operari non*

per-

permißiuè solum, sed etiam propriè & per se, adeo vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

a *Mag. in 2. d. 37. S. Thom. q. 79. a. 2. comm. DD.* b *in 2. d. 37. q. 1.* c *seß. 6. can. 6.*

116. Neque verò Deus excœcare, aut indurare dicitur positiuè ad peccatum, aut perseuerantiam in peccato, impellendo, vel prædeterminando; sed negatiuè, tum permittendo peccatum, tum deserendo peccantem. Quo sensu dixit Augustinus *a*: *Sine dubitatione credendum, quod Pharaonem non tam Dei potentia, quam Dei patientia fecerit obdurari.* Et alibi *b* disertè pronunciat, non obdurare Deum *impertiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam. Miseretur scilicet,* vt alibi *c* ait: *magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, vt nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus, nisi de suis meritis conqueratur.* Vnde quia excœcatio, induratio, præter subtractionē gratiæ diuinæ, malitiam quandam ex parte hominis includit, *motum* scilicet *animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine*, vt post S. Augustinum docet S. Thomas *d*, non potest propriè & simpliciter loquendo, Deus causa indurationis & excœcationis dici *e*.

a *Serm. 88. de temp.* b *epistol. 105.* c *Enchirid. cap. 99.* d *q. 79. art. 3.* e *Bellarm. lib. de pecc. cap. 14.*

CAPVT IX.

De peccatorum effectibus.

117. Tres præcipui numerantur peccatorum effectus; corruptio videlicet naturæ, macula, & reatus pœnæ *a*. Corruptio naturę (cuius passim in scripturis *b* fit mentio, quidquid olim Pelagiani dixerint) non sic accipienda est, quasi vel natura, vel naturalis propensio hominis in se per peccatũ sublata vel diminuta sit, aut etiamnum tollatur, vel imminuatur *c*, vt nostri temporis hæretici somniant; sed quia per peccatum quidem actuale commissionis sæpius præsertim frequentatum, ob accessum alicuius impedimenti, habitus nimirũ vitiosi, naturalis inclinatio voluntatis impeditur, ne promptè, facilè, & constanter in bonum honestum feratur *d*.

a *S.Thom.q.85.* b *Psal.13.37.40. Rom.8.2.Pet.1. Concil.Arauf.can.1.Trid.seß.6.c.1.* c *Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla, &c.* d *Anselm. in lib. de concept. vir.c.27. S.Thom.q.85.a.5. & q.87.a 4.comm.DD.*

118. Deinde quia per peccatum originale, ob priuationem iustitiæ originalis, in se quidem supernaturalis doni; sed ratione effectus quodammodo naturalis, quatenus videlicet naturam componebat, eiusque defectus supplebat atque ad ipsa opera naturalia hominis rectè perficienda iuuabat, natura hominis, eiusque potentiæ, suæ propriæ ac naturali dispositioni ac inclinationi

tioni relictæ sunt *a*, in qua natæ sunt, concupiscere contra rationem, aliisque, quos modo experimur, defectibus (inter quos tum mors ipsa, tum inprimis quatuor illa, vt dici solent, vulnera naturæ *b* recensentur, *ignorantia* videlicet *in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in irascibili*) subiacere, ita scilicet, vt nec iam corpus animæ, nec sensualitas rationi, nec ratio Deo plenè subiiciatur.

a *Iam citati.* b *S.Thom.quæst.85.a.3. ex Beda.*

119. Hominem per peccatum maculam aliquam contrahere, apud omnes in confesso est, & ex scripturis patet. Sic enim Iosuæ 22. dicitur: *Vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Sic Deum, legimus, elegisse sibi sponsam, *non habentem maculam, neque rugam a.* Vnde etiam passim in scriptura peccatores dicuntur *immundi*, adeoque mundationis & ablutionis indigi *b*. Est autem macula hæc nihil aliud reipsa, quàm ipsum peccatum habituale (de quo supra *c*) quatenus hominem in diuino conspectu turpem & deformem reddit, vt habet communis Doctorum sententia *d*. Vnde quia per peccatum veniale, vt sic, nulla qualitas positiua perditur, vel remittitur, vt supra dictum est, asseruit S. Thomas *e*, peccatum veniale *propriè non causare maculam*, etsi & illud eam suo modo habere negandum non sit *f*.

a *Eccles.47. Ephes.5.* b *Osee 19. Psal.50. Ephes.5.*

Apoc.1. c *thesi 74.&c.* d *S.Thom.q.86.art.1.* *& 2.Caiet.Val.ibid.* e *q.89.a.1.* f *Sig.Eccles.* *31.Psal.14.S.Thom.l.c.& 3.p.q.87.a.2.*

120. Reatus pœnæ propriè nec peccatum est, neque pœna peccati, sed quiddam medium inter vtrunque, nempe dignitas seu obligatio, seu debitum quoddam morale soluendi pœnas. Est autem de fide, quidquid olim nonnulli senserint, hominem per quodlibet peccatum mortale incurrere reatum pœnæ æternæ *a*, idque tam sensus, quam damni, si peccatū mortale sit personale *b*, damni verò tantum, si sit originale, vt habet communis & recepta Doctorum sententia; etsi cum de hoc (nimirum quòd peccatum originale sola pœna damni, non etiam sensus, mulctandum sit) non sólum hæretici hodie, sed etiam olim ex sanctis *c* nonnulli aliter sensisse videantur, res non sit omnino de fide certa.

a *Conc.Trid.sess.6.c.14.* b *Isaiæ 33.& vlt. Matt.* *25.Marci 9.* c *Fulg.lib.de fide ad pet.cap.21.* *Aug.serm.14. de verb. Apost. & propendent.* *Arim. & Driedo, &c.*

121. An autem Deus ex priuilegio aliquē peccatorem in inferno positum, ab hac generali lege exceperit, controuersia est *a*, ad fidem non pertinens. Sane quidem peccatores, quos nonnunquam à sanctis ad vitam, adeoque ad statum pœnitentię reuocatos satis constat, veram & absolutam damnationis sententiam accepisse, censendum non est.

a *vide*

a *vide Abul. in 4. Regum c. 4. q. 56. Val. tom. 4. d. 11. p. 2. Bellarm. lib. 2. de purgatorio cap. 8.*

122. Dicere autem, paruulos cum originali peccato ex hac vita decedētes, post iudicij diem in superficie terræ, naturali quadam Beatitudine perpetuò fruituros, vt quidam inutili quadam commiseratione moti dixerunt *a*, nos cum grauioribus Theologis *b* nec Scripturis, nec sanctis Patribus, nec rationi consonum putamus *c*. Certè quidem ita sentientes Augustinus *d* non obscurè notasse videtur, cùm ait: *Nouellos hæreticos Pelagianos iustissimè Conciliorum Catholicorum, & sedis Apostolicæ damnauit auctoritas, eò quod ausi fuerint, non baptizatis paruulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum cœlorum.* An autem dolorem aliquem saltem leuissimum in limbo, qui proprius eorum locus est *e*, percepturi sint, ex priuatione æternæ beatitudinis, controuersum est inter Doctores, quibusdam negantibus *f*, aliis affirmantibus *g*; nobis vtrumque probabile videtur.

a *Pigh. Catharinus.* b *S. Thom. Scot. comm. in 2. d 33. vel in 4. d. 45. Bellarm. lib. 6. de pecc. c 2. Val. q. 7. p. 4.* c *vide Rom. 5. Concil. Flor. seß. vlt. Trid. seß. 5.* d *lib. 2. de orig. animæ. c. 12.* e *Sig. Flor. l. c.* f *August. l. c. Arim. Mag. in 2. dist. 33. Bell. c. 7. Val. loco cit. &c.* g *S. Thom. q. 5. de malo. comm. theol. in 2. d. 33.*

123. Peccatum mortale pœnam sensus infinitam quoad intensionem, nec de facto meretur,

nec etiam ex se dignum videtur tali pœna *a*, quidquid *b* aliqui senserint; etsi negandum non sit, Deum punire citra condignum *c*, & potuisse etiam peccato mortali iustissimè decernere pœnam annihilationis *d*: Quin etiam ipsum peccatum pœna peccati (etiam sui ipsius) esse potest, & solet: idq; non modo per accidens, ratione causæ, nempe subtractionis gratiæ diuinæ, aut ratione ipsius actus positiui mali molesti, & laboriosi, iuxta illud impiorum: *Lassati sumus in via iniquitatis e*, aut ratione effectus, puta infamiæ, morbi consequentis, &c. Sed etiam aliquo modo secundum se, ratione videlicet priuationis, non eatenus quidem, quatenus à mala voluntate hominis procedit; sed quatenus in misera volũtate, seu anima hominis etiam quodammodo nolente recipitur; vt doctissimi sentiunt *f*, etsi nonnulli negent *g*.

a *S.Thom. quæst. 87. art. 4. Caiet. ibidem comm. DD.* b *Gerson p 3. de vit. spirit. anim. lect. 1.* c *August. lib. 21. de ciuit. cap. 25. comm. DD.* d *S.Thom. in 4. d. 4. quæst. 2. art. 2.* e *Sap. 5.* f *Mag. Bonauent. Gabr. S.Thom. in 2. dist. 36. Scot. d. 27. Conrad. 1. 2. quæst. 87. artic. 2. Val. ibid.* g *Durand. Caiet. Medin.*

124. Peccato quoad culpam remisso, non semper totum reatum pœnæ auferri, sed potius non rarò pœnam temporalem, aut in hac, aut in altera vita luendã restare, secus quàm huius temporis hæretici autumant, tũ ex Ecclesiæ defini-

tione,

tione *a*, tum ex ſcripturis patet. Sic enim Adamo, & omnibus poſteris eius, etiam remiſſo peccato originali, mors luenda reſtabat, de quo ſupra; Sic Dauidi poſt remiſſam culpam adulterij, & homicidij, mors filij, pœnæ loco irrogata *b*. Sic idem ob peccatum numerati populi, etſi iam pœnitentia deletum, difficilem optionem facere cogitur, vt inter grauiſſimas belli, famis, aut peſtis, pœnas, quam malit, ſeligat *c*. Sic & de peccato idololatriæ Iſraëlitarum *d* pronunciauit Deus, ſe & hoc peccatum eorum *in die vltionis viſitaturum*, tametſi exprobrante, & grauiter vindicante Moyſe, pleroſque ſine dubio, ne dicam omnes, de eo legitimum pœnitentiæ dolorem concepiſſe cenſendum ſit.

a *Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. c. 14. canon. 30. & ſeſſ. 14. c. 8.* b *2. Regum 12.* c *2. Regum 28.* d *Exod. 32.*

125. Omnis pœna eſt propter aliquam culpam ſiue originalem, ſiue actualem propriam, aut alterius *a*: nec ſpiritualis propriè dicta pœna vnquam infertur, ſine quadam culpa eius, qui punitur, vt habet communis Theologorum ſententia *b*: quantumuis Deus velut ſupremus Dominus omnium, per abſolutam potentiam etiam innocentem addicere potuiſſet gehennæ ignis *c*, etſi id negare quidam videantur *d*.

a b *S. Thom. quæſt. 87. artic. 8. &c.* c *Arimin. Gabr. &c. in 1. d. 41. Barthol. Medin. 1. 2. q. 87. a. 8.* d *Scot. 1. d. 41. Marſil. d. 46.*

126. Jmò probabilius videtur, pœna etiam corporali & temporali neminem à Deo puniri propter peccatum alterius, adeoque nec ſubditos propter peccata ſuperiorum, nec filios ob peccata parentum, niſi eos, qui vel ipſam etiam propriis peccatis commeruerint (quorum tamen punitionem pro tempore Deus diſſimulaturus erat, niſi Dominorum aut parentum v. g. peccata acceſſiſſent *a*) vel quibus certè ea ipſa pœna ſit medicinalis *b*. Jn quem ſenſum variæ ſcripturæ, & ſcriptorum ſententiæ *c*, quæ alioquin hac de re pugnantes videri poſſint, conciliari poterunt.

a b *comm. SS. PP.* c *Deuter. 24. Iob. 4. Ezech. 18. Exod. 20. &c.*

FINIS.

In

In I. II. sancti Thomæ.

Disputatio Theologica III.

DE LEGIBVS AC PRIVILEGIIS.

Proposita Ingolstadij anno M. DC. XV.

DE legibus accuratè disserit sanctus Thomas 1.2. à q. 90. vsque ad 108. cuius vestigiis inhærentes, in duo capita hanc disputationẽ partiemur. Primum aget de lege in genere, ac quibusdam eius diuisionibus & membris, speciatim de lege æterna & naturali. Secundum de lege positiua diuina. Tertium de lege positiua humana secundum se, eiusq́ legitima sanctione. Quartum de obligatione eiusdem. Quintum de abrogatione eiusdem, ac de dispensatione & priuilegiis.

126. Jmò probabilius videtur, pœna etiam corporali & temporali neminem à Deo puniri propter peccatum alterius, adeoque nec subditos propter peccata superiorum, nec filios ob peccata parentum, nisi eos, qui vel ipsam etiam propriis peccatis commeruerint (quorum tamen punitionem pro tempore Deus dissimulaturus erat, nisi Dominorum aut parentum v. g. peccata accessissent *a*) vel quibus certè ea ipsa pœna sit medicinalis *b*. Jn quem sensum variæ scripturæ, & scriptorum sententiæ *c*, quæ alioquin hac de re pugnantes videri possint, conciliari poterunt.

a b *comm. SS. PP.* c *Deuter. 24. Iob. 4. Ezech. 18. Exod. 20. &c.*

F I N I S.

In I. II. sancti Thomæ.

Disputatio Theologica III.

DE LEGIBVS AC PRIVILEGIIS.

Proposita Ingolstadij anno M. DC. XV.

DE legibus accuratè disserit sanctus Thomas 1.2. à q. 90. vsque ad 108. cuius vestigiis inhærentes, in duo capita hanc disputationẽ partiemur. Primum aget de lege in genere, ac quibusdam eius diuisionibus & membris, speciatim de lege æterna & naturali. Secundum de lege positiua diuina. Tertium de lege positiua humana secundum se, eiusq́; legitima sanctione. Quartum de obligatione eiusdem. Quintum de abrogatione eiusdem, ac de dispensatione & priuilegiis.

126. Jmò probabilius videtur, pœna etiam corporali & temporali neminem à Deo puniri propter peccatum alterius, adeoque nec ſubditos propter peccata ſuperiorum, nec filios ob peccata parentum, niſi eos, qui vel ipſam etiam propriis peccatis commeruerint (quorum tamen punitionem pro tempore Deus diſſimulaturus erat, niſi Dominorum aut parentum v. g. peccata acceſſiſſent *a*) vel quibus certè ea ipſa pœna ſit medicinalis *b*. Jn quem ſenſum variæ ſcripturæ, & ſcriptorum ſententiæ *c*, quæ alioquin hac de re pugnantes videri poſſint, conciliari poterunt.

a b *comm. SS. PP.* c *Deuter. 24. Iob. 4. Ezech. 18. Exod. 20. &c.*

F I N I S.

In I. II. sancti Thomæ.

Disputatio Theologica III.

DE LEGIBVS AC PRIVILEGIIS.

Proposita Ingolstadij anno M. DC. XV.

DE legibus accuratè disserit sanctus Thomas 1.2. à q. 90. vsque ad 108. cuius vestigiis inhærentes, in duo capita hanc disputationẽ partiemur. Primum aget de lege in genere, ac quibusdam eius diuisionibus & membris, speciatim de lege æterna & naturali. Secundum de lege positiua diuina. Tertium de lege positiua humana secundum se, eiusq; legitima sanctione. Quartum de obligatione eiusdem. Quintum de abrogatione eiusdem, ac de dispensatione & priuilegiis.

CAPVT I.

De legibus in communi ac variis eius diuisionibus & membris, præcipuè de lege naturali ac diuina.

THESIS PRIMA.

LEx sic dicta quasi à legendo *a*, quia scribitur vt legatur; seu vt aliis placet *b*, à ligando, quoniam obligat, vel etiam ab electione, seu delectu *c*, sine quo non est lex, varias admodum habet acceptiones, quibus nunc prætermissis, eam pro nostro instituto vniuersim definimus: rectum quoddam rationis practicæ decretum, aliquid subditis propter commune bonum faciendum, aut non faciendum imperans seu præscribens; quæ definitio re ipsa non differt ab illa S. Thomæ *d* ita legem definientis: *quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Vbi nominis potiùs, quàm rei est quęstio, an lex propriè & formaliter sit actus rationis seu intellectus, an verò voluntatis. Rectius loquuntur, qui prius asserunt *e*: *præcipere enim & prohibere ad legem pertinet, imperare autem rationis est f.* Quin tamen interim lex in scripturis voluntas Dei subinde appelletur, non abnuimus, sed in sano sensu, causaliter nimirum & antecedēter (non formaliter) iuxta illud *g*. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Quocirca etiam actus ille, in quo pro-

propriè consistit lex (saltem positiua) non est iudicium illud præcedens voluntatem, quo quid fugiendum expetendumuè sit, cognoscitur à legislatore, vt nonnulli existimasse videntur; id enim per se vim nullam obligandi habet, sed alius quidam actus consequens & repræsentans, adeoque proponens seu intimans voluntatem legislatoris *b*.

a *Isidorus lib.2. Etymol.c.10.* b *S.Thom.1.2.q.90. a.1. Gabr.in 3.dist.37. a.1.* c *Cicero 1. de leg. & August.q.15 noui Testam.* d *cit.q.90.a.4.* e *S.Thom.ibid. & Thomistæ. Val tom.2.disp. 7.q.1.p.2. Azor.tom.1.lib.5.c.2.q.1.Vasq.disp. 49.cap.2. & disp.150.cap.3. & 4.cont.Castro lib.1. de leg.pœn.cap.1. Suar.lib.1.de leg.cap. 6.n.24.&c.* f *S.Thom.q.17.a.1.* g *L.1 ff. de constitut. Principum.* h *num.31. Vasq. Azor. loc.cit.*

2. Causa legis efficiens, est authoritas in communitate præsidens; Finalis, bonum commune; formalis seu obiectiua, dici possunt actus virtutum quos imperat, & vitiorum, quos vetat; subiectiua vel materialis est intellectus eius, qui illam condit. Et permanenter quidem non est nisi in intellectu diuino, in quo est rationis decretum perseuerans, vtpote ab intellectu diuino nihil distinctum; in intellectu autem aliorum legislatorum permanet tantùm secundùm radicem, vel memoriam, & habitum, ipsamq; etiam synteresin *a*, ex qua lex proficiscitur. Tanquam in

in ſigno autem manet & cuſtoditur lex ſcriptura ac litteris, quæ cuſtodia de legis eſſentia non eſt *b*: *Scriptæ ne ſint leges, an non ſcriptæ, intereſſe nil videtur.*

a *S. Thom q. 90. a. 1. ad 2. q. 94. a. 1. ad 2.* b *Ariſt 10. Ethic. c. 9.*

3. Lex Theologis variè diuiditur, ac primum iuxta durationem eius conceptus, qui lex dicitur, in temporalem ac æternam *a*. Hæc in Deo ab æterno exiſtens nihil aliud eſt *b*, quàm ipſa ratio gubernationis rerum, ſeu ratio ac Idea rerum faciendarum ac diſponendarum, qua Deus res omnes in ſuos fines ita dirigit, vt illis iuxta conditionem ipſarum modum aliquem neceſſitatis adferat: de qua Auguſtinus *c* ait: eſſe *rationem vel voluntatem Dei, quæ ordinem naturalem conſeruari iubet, perturbari vetat.* Et verius eſt, eam, præſertim ex æternitate, non niſi latiori quodam ſignificatu, rationem legis participare *d*, cùm in ea nec verum imperium, ſaltem reſpectu rerum rationis expertium, multo minus imperium aliquod æternum ſit inuenire.

a b *S. Thom. q. 91. a. 1.* c *Auguſt. 22. cont. Fauſt. c. 27.* d *Medin. q. 91. a. 1. iuxta S. Thom. ibidem ad 2. contra Val. q. 1. p 2. Salas diſp. 1. ſect. 10. n. 69. & diſp. 2. ſ. 1.*

4. Secundo diuiditur lex in naturalem & poſitiuam *a*, quam Ariſtoteles *b* eandem diuiſionem proponens, vocat *Ius legitimum.* Lex naturalis poſt eundem Philoſophum *c* à Theologis voca-

vocatur illa *d*, quæ quo ad ſuam vim & obligationem nulla indiget arbitraria inſtitutione, ſed ipſa ratione naturæ intelligentis nixa, nil aliud eſt, quàm dictamen ſeu iudicium quoddam euidens rationis naturalis, quo bonum aliquod faciendum, aut malum fugiendum decernitur: ſiue interim *e* hoc dictamen ſit principium aliquod per ſe notum, & actus quidam à ſynteresi, ſeu habitu principiorum practicorum elicitus, ſiue ex aliquo eiuſmodi principio euidenter deducatur. Qui legem naturalem primariò aut ipſam naturam rationalem *f*, aut habitum *g*, ſeu vim eius naturalem eſſe exiſtimant, à communi modo loquendi Theologorum & S. Thomæ *h* recedunt: etſi non malè ipſum etiam lumen naturale rationis ſuo modo, quaſi per metonymiam ſeu radicaliter lex naturalis vocetur *i*: iuxta illud Pſalmi 4. *Quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

a *S. Thom. quæſt. 91. a. 2.* b c *Ariſtot. 5. Ethic. c. 7.* d *S. Thom. loc. cit.* e *S. Thom. q. 94. a. 5. & 6.* f *Vaſq. 1. 2. d. 150. c. 3.* g *Alenſ. 3. p. q. 27. memb. 2. Bonau. 2. d. 39. a. 2. q. 1.* h *q. 94. art. 1. vide Suar. lib. 2. cap. 5.* i *S. Thom. & comm. apud Suar. loc. cit. n. 14.*

5. Differt lex naturalis ab aliis legibus, quod in eo cui ineſt, non neceſſario ſupponit liberum actum volũtatis *a*, ſed ex ſe prior eſt omni eiuſmodi actu voluntatis. Dei voluntatem liberam ſupponit quidem ex parte ſubiecti, ſeu quoad exiſten-

existentiam, sed non ex parte obiecti, & quoad specificationẽ *b*. Si tamen per impossibile Deus non esset, eadem quidem naturalis rationis regula esset *c*, & quidem sub peccato obligans, sed per se propriè lex ac præceptum non esset *d*; quia superioris non esset. Quocirca etiam lex naturalis, quædam lex diuina est, *e* ac participatio legis æternæ *f*, quæ eo ipso quodammodo homini promulgatur, quod ei practicũ aliquod principium innotescit, seu vt loquitur S. Thomas *g*, *quod Deus eam inseruit mentibus hominum naturaliter cognoscendam*.

a b c *S.Tho.q.91.a.1.& q.104.a.1.Vasq. d.97.c.3. Sal.disput.1.sect.6.n.23.& 24.com.* d e *Val. disp.7.q.4.p.1. Suar.l.2.c.4. Castro l.1.de leg. pœn.cap.4.post Bonauent.Gers. Alma.signif. S.Thom.q.91.a.1. contra Vasq.d.97.c 3.nu.8. & Sal.d.1.s.6.n.26.& d.5.s.4.n.14.* f *S.Thom. q.91.a.2.ad 1.* g *q.90.a.4.ad 1.*

6. Lex hæc, ex se ac sua natura, perinde in omnibus hominibus est eadem *a*, ac ipsa natura humana, etsi nonnunquam praua consuetudine, quoad aliquas conclusiones quantumuis euidentes, apud integras etiam quandoque gentes obliteretur *b*. Mutari ex parte obiecti ordinaria Dei lege non potest, multò minus vniuersim tolli & abrogari. An per absolutam Dei potentiam in ea dispensari, vel etiam penitus abrogari possit, controuertitur. Quidam simpliciter affirmant *c*, rati omne peccatum ideo tantùm esse ma-

se malum & peccatum, quia voluntate Dei prohibitum est. Alij etsi negant dispensari posse in quibusdam, aiunt tamen posse in aliis, quod varij variè explicant *d*.

a *Isidor. l.5. Etymol. c.4. S.Thom. quæst. 94. a.4.* b *S.Tho. q.94. a.4. ex Iulio Cæsare l.6. de bello Gallico, &c.* c *Occam. 2. q. 9. Gerson tract. de vita spirit. lect. 1. coroll. 10. Alm. tract. 3. moral. c. 15. & fauet Corduba lib. 3. q. 10.* d *Scot. 2. d. 37. q. 1. Gabr. ibid. art. 2. volunt in duobus præceptis negatiuis primæ tabulæ non posse dispensari, in aliis posse. Bonau. 1. d. 47. q. 1. fauente etiam Bernardo de dispens. & præcept. 2, nec quidem in affirmatiuis primæ tabulæ posse, Dur. 1. d. 47. solùm in 4. & fortè etiam in 5. præcepto Decalogi posse, Sot. l. 2. de iust. q. 3. a. 8. posse solùm in præceptis extra Decalogum.*

7. Verior & communior doctrina habet, propriè loquendo de dispensatione, in nulla lege seu pręcepto naturali, etiam de absoluta Dei potentia posse dispensari *a*: quod ipsum multò magis sentiendum est de vniuersali eiusdem abrogatione: posse verò in quibusdam impropriè; in aliis autem, vt sunt vniuersalissima quędam pręcepta naturę, & aliqua etiam particularia negatiua, saltem primæ tabulæ, vt Deos alienos non esse colendos, Deum verum odio habendum, &c. nec impropriè quidem posse dispensari.

a *S.Thom. q.94. a.5. & q.100. art. 8. ac ibi Caiet.*

Alber-

Albertus Magnus in summa p.2. tract.20. q. 80.a.2. Altisiod.in summa l,3.tract.7.c.1.q.5. Sot.l.2.de iust.q.3.a.8.Victor.relect.de homicidio, Rich.in 3.dist.37.a.1.q.5. & ibi Palud. Bassol.& alij.Val.q.4.p.6.Suar.l.2.c.15.n.26. Azor.tom.1.lib.6.c.1.q.3.Vasq.d.179.c.2. Sal. d.1.s.9.post Arist.2.Ethic.6. & August.l.1.de lib.arbit.c.6.

8. Controuersia de nomine est, an in præcepto sexto de non adulterando,& septimo de non furando, saltem impropriè possit dispensari. Verior tamen est responsio negatiua, quandoquidem furtum & adulterium adeò intrinsecè,& ex sua natura mala sunt, vt si quidem furtum vel adulterium sit, fieri non possit, quin etiam eo ipso malum sit. Pari modo se res habet cum fornicatione & homicidio moraliter accepto, prout lege prohibetur.

S.Thom.q.100.a.7.ad 3.Vasq.d 179.

9. Neque exempla aut facta in contrarium afferri solita quidquam sentētiæ nostræ officiunt. Quando enim Deus præcepit Abrahæ interficere filium *a*, id fecit tanquam Dominus vitæ & mortis: neque dispensatione eguisset, si per se ipsum voluisset Isaac interficere, sed ex suo absoluto & penitus independenti dominio id facere potuisset. Eodem ergo modo potuit vti Abrahamo tanquam instrumento; cùm quintum præceptum non prohibeat esse instrumentum Dei in occisione, si ipse præceperit. Similiter

non

non dispensauit cum Hebræis *b*, quando Ægyptiorum spolia eis concessit, sed vel tanquam supremus Dominus donauit, vel saltem tanquam supremus Iudex reddidit eis mercedem laborum suorum *c*. Quod Oseas *d* fornicariam in Matrimonium cooptauerit *e*, verior habet sententia; idque vel Deo *f* (quod absolutè loquendo potest) consensum alioqui inter contrahentes requisitum supplente, vel quod verius videtur *g*; mutuo vtriusq; consensu interueniente.

a *Genes.22.* b *Exodi 11.* c *Suar.l.2 c.15.nu.20. Val.q.4.p.6.* d *Oseæ 1.* e *Hieron.Theodoret.& alij. Irenæus l.4.contra hæreses c.37. August. lib.22. contra Faustum c.8. Suar.loc.cit.Val. tom 4.disp.10.q.3.p.1.* f *S.Bernar.de dispens. & præcep.c.5.S.Thom.quæst 94.a.5.ad 2. & q.100.a.8.ad 3. Val.q.4.p.6.* g *August.lib.2. contra Faustum cap.80. Val. tom.4. disp. 10. q.3.p.1.Suar.cit.*

CAPVT II.

De lege positiua diuina.

10 Lex positiua est, quæ supposita etiam natura rationali, arbitratu legislatoris liberè ponitur & constituitur *a*, supponens proinde in ipso suo autore liberum actum voluntatis, esto materia ipsius interim ipsa quoq; lege naturali præscribatur *b*. Diuiditur in legem diuinam & humanam. Lex diuina est, quæ à Deo & authori-

tate diuina immediatè fertur. Ea duplex est, vetus seu Mosaica, per Mosen præcipuè tradita, si non etiam quadam ex parte condita *c*; & noua seu Euangelica, per Christum lata & promulgata. Illa ex diuersitate materiæ, in præcepta moralia, iudicialia, & cæremonialia rectè distribuitur *d*: hæc præter pręcepta moralia, fidem & sacramenta potissimùm respicit. Meritò *anathema* dicitur illi *e*, *qui dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant.*

a *Arist. 5. Ethic. 7.* b *S.Thom. q. 95. a. 2.* c *Vt affirmat Salmer. tract. 61. in Acta & 1. Cor. 7. disp. 12. post Origen. Basil. Hieron. Bed. Hugonem; rectiùs negant Medin. q. 98. a. 2. Maldon. in Matt. 19. Vasq. q 98. a. 2. Salas d. 22. s. 2. post Clement. Alexand. 1. Pædag. cap. 7.* d *S.Thom. q. 98. & seq.* e *Concil. Trident. sess. 6. can. 21.*

II. Obligationem legis Mosaicæ iam quidem re ipsa desiisse, de fide est *a*, contra Cherintum & Ebionem, eorumque asseclas. Et verò existimamus eam desiisse, non solùm, quoad præcepta cæremonialia & iudicialia, de quibus lis nulla est, (tametsi & ex his ea necessariò etiam Christianis essent obseruanda, si quæ fortè à Magistratu Christiano pro bono communi seruanda legitimè denuò sancirentur) *b* sed etiam quoad moralia, seu ipsa præcepta Decalogi *c*; non quidem absolutè & secundum se spectata, sed vt à Mose tradita & promulgata, atque ex eius pro-

mulga-

imulgatione vim habentia: cùm interim duplici alio titulo iis obstringamur omnes, & quia scilicet præcepta sunt legis naturæ, & quia denuò confirmata, ac per Christum tradita fuerunt *d*, secluso tamen illo, de Sabbati sanctificatione, quâ ceremoniale erat.

a *ad Hebr. 7. ad Ephes. 2. ad Gal. 3. Epiphan. hæres. 18. & 28. Iren. l. 1. c. 26. Aug. hær. 8. 9.* b *ex comm. Val. q. 7. p. 7. & Vasq. d. 182. nu. 72. post S. Thom. q. 104. a. 3.* c *Sot. l. 2. de iust. & iure q. 5. art. 4. Val. loc. cit. Tolet. in cap. 3. ad Rom. annot. 15. Salmer. ad Rom 7. disp. 6. Suar. l. 9. c. 11. n. 20. & seqq. post S. Thom. q. 98. a. 5. contra Vasq. d. 180. c. 3.* d *Matth. 19. & 25. Ioan. 15. &c.*

12. Mortua autem lex Mosaica est vnà cum Christo, adeoque eius obligatio desiit, statim in ipsa morte, imo in momento mortis Christi *a*; tunc enim & *velum templi scissum est b*; & Christus ea verba protulit, *Consummatum est c*, quæ hoc sensu à plerisq; Patribus exponuntur, quidquid aliqui *d* tempus illud extendant vsq; ad resurrectionem Christi, nonnulli verò etiam vsq; ad pentecosten *e*, & vltra.

a *S. Thom. q. 103. a. 3. & 3. p. q. 66. a. 5. Vasq. d. 181. c. 2. Salas d. 23. s. 4. Val. quæst. 7. p. 7. ex comm.* b *Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.* c *Ioan. 19.* d *Sot. 2. de iustit. q. 5. art. 4. &c.* e *Suar. l. 9. c. 13. n. 4. fauet Maldon. Matth. 5. v. 18.*

13. At verò itane lex Moysis tunc viuere desiit,

vt simul statim etiam ante completum Euangelij in toto mundo ab Apostolis promulgati tempus (quod communiter extendi solet ad annum quadragesimum post Christi passionẽ elapsum, adeoque ad excidium vsq; Hierosolymitanum) obseruatio legalium sub ratione cultus Mosaici esset mortifera; neque omnino liceret illa cærimonialia etiam vt mortua obseruare, ad protestandam ea obseruatione excellẽtiam diuinam, ipsiq; Synagogæ velut defunctæ honorifico illo & quasi funebri legalium cultu parentandum, ne alioqui non minus, quàm Gentilium ritus ab Ecclesia Christiana damnari viderentur? S. Hieronymo quidem *a* isthęc obseruatio statim post mortem Christi visa est fuisse mortifera; S. Augustino verò *b* solum mortua, quæ vt verior, ita communior est sententia *c*.

a *in comment. epist. ad Gal. cap. 2. & epist. 89. ad August.* b *epist. 19. ad Hieron.* c *Beda ad Galat. 2. Nicolaus de Lyra ibidem. Hugo de S. Victor. l. 2. de Sacram. p. 6. c. 4. Scot. & alij in 4. dist. 4. vel 1. S. Thom. q. 103. a. 4. Conrad. Medin. ibid. Val. cit. Suar. l. 9. c. 17. Baron. anno Christi XLIV. & LVIII. &c.*

14. Constat enim, etiam Apostolos ipsos ante prędictum tempus, passim legalia obseruasse. Sic Petrus quoad legalia Iudæis pro tempore se conformauit. Galat. 2. Sic etiam S. Paulus circumcidit Timotheum *a*, & ex cõsilio Iacobi vnà cum aliis iuxta Iudęorum ritum se Hierosolymis purifi-

rificauit *b*; ſic idem in Cenchris caput more Iudæorum totondit. Nec rectè dicitur, hæc omnia facta eſſe per ſimulationem: nam ſimulatio falſi cultus ſeu religionis, qua nempe vſurpētur eiuſmodi facta vel verba, quę per ſe ſignificatiua ſint falſæ religionis, nunquam eſt licita *c*.

a *Actor.16.* b *Act.21.* c *communiter Theologi. Alenſ.3.p.q.183.n.2. Anton.2.p.tit.12.c.6. Caiet. Ban. Arag.2.2.in q.3.a.2. Angel. Armil. Sylu.v.Fides. Nau.c.11.manu.n.25. Val.tom. 3.diſp.1.q.3.p.2. Vaſq.1.2.d.182.c.4. Salas diſp. 23.ſ.9. Suar.l.9.c.17.n.15.*

15. Neq; huic Auguſtini ſententię quidquam obſtat illud *a* Apoſtoli: *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit:* intelligitur enim hoc de circumciſione, cum opinione neceſſitatis ſuſcepta, quaſi verò ſine ea ſalus obtineri non poſſit. Sed quomodo non mentiebatur is, qui cęrimonialia tunc tēporis vſurpabat, cùm ea ex ſua primaria inſtitutione ſignificarent Chriſtum venturum, Chriſtus verò tunc non venturus eſſet, ſed veniſſet modo, imo iam ad Patrem rediiſſet? Reſpondetur, cæremonias illas eſſe vſurpatas, non vt erāt ſignificatiuæ Myſterij venturi Chriſti, ſed fine alio & intentione ſuperius inſinuata *b*, vt proinde nullum interuenerit mendacium.

a *ad Gal.5.* b *theſi 13. S.Thom.q.103 a.4.ad 1.*

16. Lex Baptiſmi ante mortem Chriſti non obligauit *a*, in puncto tamen eiuſdem obligare

cœpit eos *b*, qui necessitatem illius ante cognouissent; nè dicendum sit, fuisse aliquod tempus medium inter veterem, nouamque legem, quo nulla lex diuina merè positiua obligaret. Neque tamen Baptismus statim à morte & resurrectione Christi fuit necessarius necessitate medij, omnibus omnino hominibus, tam adultis, quàm paruulis, sed probabilius est, respectu earum gentium & locorum, in quibus lex hęc nondum erat promulgata (permanente tantisper circumcisionis, saltem in quantum legis naturæ remedium erat, virtute *c*) Deum aliquanto post tempore velut inducias aliquas concessisse *d*; quas conuenienter sententiæ S. Augustini, ad tempus factæ promulgationis in toto mundo, adeoque excidij Hierosolymitani *e*, quo tempore lex vetus cœpit esse mortifera, extendimus; idemque etiam de fide explicita in Christum quoad medij necessitatem asserimus.

a *com. DD. cum S. Bern. epist. 77. & Hugo Victor. l. 2. de Sacram p. 6 c. 4. & 5.* b *Val q. 8. pu. 1. Vasq. d. 181. c. 2. Salas d. 24. s. 4. num. 20. & 28. post S. Thom. 4. d. 2. q. 1. a. 4. qla. 3. & d. 3. q. 1. a. 5. qla. 3. & 3. p. q. 66. a. 2. ad 1. Rich. Durand. Pal. Adrian. &c. contra Suar. lib. 10. c. 4. n. 8. post Scot. Gabriel. Capreol. &c.* c *Sot. Medin. Suar. infra, Salas d. 23 s. 6. num. 27. post Scot. Gabr Capreol. Palat. Radam, Nunnium, &c. S Bern. epist. 77. contra Vasq. d. 181. c. 2.* d *Capreol. 4. dist. 2. q. 2. Sot. l. 2. de iustit. q. 5. art. 4.*

Vega

Vega l.5. in Trident. c.3. Suar.3.p.tom 3.d.27. s.4. & hic l.10.c.4. Medin. q.103.a.3. Henriq. l.2.c.2.n.6.& 7. signif. Trident. s.6.c.4. comm. cont. Vasq. d.181. num.22. c *Vega, Suar. post Rich. Scot. &c.*

17. Lex diuina de perceptione aliorum Sacramentorum (excepta Eucharistia) non obligauit statim post mortem & resurrectionem Christi: de quibusdam enim Sacramentis percipiendis ex probabili nullũ exstat præceptum diuinum; quędam verò primùm post resurrectionem sunt instituta, vt *a* de pœnitentia constat: excipitur Eucharistia, quia hanc in vltima Cœna institutam fuisse, & præceptum etiam de ea percipienda datum, idque etiam alibi prenuntiatum *b*, satis certum est.

a *Ioan.20. ex Concil. Trid. seß.14.c.1.* b *Ioan.6.*

18. Fictitio hæreticorum discrimine inter nouam veteremq; legem reiecto, vtpote quod legem ferè omnem tollit ac subuertit, verum earum discrimen ponimus in vario perfectionis excessu, quo noua veterem superat. Et I. quidem superat ex parte materiæ. II. Ex parte immediati legislatoris. III. Ex parte subditorum. IV. Ex parte durationis. V. Ex motiuo obseruationis. VI. Facilitate & paucitate præceptorum VII. Efficacia: lex enim noua iustificat *a*, quod vetus non *b* præstabat: *Si enim per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est* c.

a *ex Apost. ad Rom.1. 1. ad Corinth.15. S.Thom.*

 q.107.

q.107. b *ad Rom.3. ad Gal.3. S.Thom.q.100. a.12.& q.102.a.3.* c *ad Galat.2.*

19. Ceterùm huius discriminis ratio potissimùm in his tribus consistit. I. Quòd sacramenta propria veteris legis nullam *a* ex se, & ex opere operato vim habebant iustificandi, nec adeò erant efficacia & instrumentaria signa gratiæ; cùm è contra *b* sacramenta noue legis, tanquam instrumenta efficacia, verè gratiam conferant. II. Quia lex Moysis secundùm eum præcisè statum, quem à suo proprio quasi legislatore Moyse habebat, scripta solùm erat in tabulis lapideis, at verò lex Christi iuxta suum primarium statũ, quem habet à Christo legislatore, scribitur in *tabulis cordis carnalibus* c, nec aliud est, quàm ipsa fides & gratia Christi, diffusa in cordibus nostris. Deniq; quia lex Moysis *d* etiam plenissimè seruata, non poterat iustificare secundum se & absq; respectu ad statum & conditorem nouæ legis, sed solùm cum respectu ad Christum, in lege noua exhibitum, omnis gratiæ fontem & originem.

a *Colligitur ex Apost ad Gal.4. vbi dicuntur infirma & egena elementa. ad Coloss.2 Hebr.9. & 10. ex Concil. Florent. in litte. vnio.* b *contra Sectarios nostros Concil. Trident. s.7. can. 6.7.8. S.Thom.3.p.quæst.62.a.1. & 7. ex com.* c *Ierem.31. Ioan.1. Rom.3. 2. Corinth.3. & 10.* d *S.Thom.quæst.100.a.12. & q.106.a.1.comm. vide Val.q.6.p.3 §.2.*

CAPVT

CAPVT III.

De lege positiua humana secundum se, eiusq́; legitima sanctione.

20. Lex humana est, quę ab homine, & authoritate humana immediatè fertur. Diuiditur à Theologis *a* in Ius gentium & ciuile. Ius gentium *b* est lex humana, quæ omnium gentium ac populorum consensu recepta est & approbata, ideo quod supposita humana societate, facili negotio, etsi quoad vim obligandi non necessario & euidenter, ex principiis naturalibus deducatur *c*. Atque hoc iure constat, non quidem religio erga Deum, erga parentes obseruantia, quæ Theologis *d* iuris naturalis sunt, sed *e* diuisio rerum, ac proprietas; item emptio, venditio, aliæque eiusmodi commutationes rerum in genere: ius item propriæ defensionis, belli, iustæ captiuitatis ac manumissionis, inuiolatæ quoq; fidei legatorum, & alia similia, quæ vti simpliciter non erant necessaria, etiam supposita humana societate, ita nūc ei vel maximè sunt consentanea. Jus ciuile *f* latè loquendo est, quod non est idem apud omnes gentes, sed pro varietate locorum & temporum variatur. Deriuatur ex lege naturali, tum per modum determinationis *g*, tum etiam per modum *h* conclusionis probabilis.

a *S.Thom. q.95.* b *ibid.a.4.* c *Val.quæst.5.p.2. Vasq.d.157.c.3.* d *supra thesi 4.contr. L.2.ff. de Iust. & iure.* e *L.3.4.5.ff.de Iust. & iure.*

 f *L.6.*

f *L.6.ff.cit.comm.DD.* g *Vasq.d.154.cap.3. S.Thom.q.95.a.2.* h *Val.q.5.p.1.cont.Vasq.*

21. Lex humana pro materia habet tum bonum, tum malum, licet vniuersim, seclusa lege, tale esse non debeat *a*, qua tamen lege nihilominus rectè ac necessariò quandoq; permittuntur *b* quędam mala, tum vt vitentur mala maiora, ne fortè eradicando zizania eradicetur simul & triticum; tum vt conseruetur seu obtineatur aliquod bonum, iuxta prudentis æstimationem Reipublicæ magis oportunum, quàm sit malum permissum eidem perniciosum.

a *Arist.5.Ethic.c.7. Caiet.q.96.art.4. Val.q.5. p.7. Salas d.9.s.4.* b *S.Thom.quæst.91.a.4.ex August.lib.1. de liber.arb.cap.4. colligitur ex Matth.13.*

22. Dubitatur an Magistratus humanus, præsertim Ecclesiasticus, potestatem habeat in actus merè internos, ita vt eos præcipere vel prohibere possit. Affirmant aliqui *a* sine limitatione; at verò cùm Magistratus humanus de actibus occultis ac merè internis per se iudicare non possit, quomodo eos præscribere vel prohibere poterit? Absolutè alij negant *b*. Sed inde sequi videtur, omnibus Ecclesiæ præceptis per meram simulationẽ & hypocrisin satisfieri posse, quod nec ipsi quidem sententiæ huius assertores facilè admiserint. Placet itaque doctrina eorum *c*, qui distinguunt, posse nimirum Ecclesiam præcipere ac prohibere actus internos, non tamen directè

directè & per se, ac sine respectu ad actum aliquem externum, sed quasi indirectè, seu per quandam consecutionem, & quatenus subinde informãt quasi actus externos, & cum illis coniunguntur, vel vt quædam principia seu causæ, vel vt modi & conditiones quædam.

a *Rosel.v.Absolut.num.28. Adrian quodl.8.a.1. Pigh.lib.6.Eccl.hier.c.16. & quidam Canon. apud Azor. inf. & fauet Less. lib.1. de Iust.c. 37.dub.11.* b *Dur. Palud. Gabr. Castro, Sot. Drie.Sylu.Nau & alij quos citant ac sequuntur Couar.de reg.Iuris nu.7.Vasq.d.160 c.2. fauet S.Thom.q.91.a.4 & q.100.a.9 c.Sot.10. de Iust.q.5.a.5.Val.q 5.p.7.Azor.l.5.c.10.q.1. Suar.tom.5.d 4.s 2.& hic lib.3.c.13 nu.2.& seq. nec videtur dissentire Salas d.9.s.1.n.24. nec S.Thom.loc.cit.*

23. Conditiones ad substantiam & valorem humanæ legis requisitæ sunt hæ. I. Vt sit iusta *a*, adeoq; diuinę & naturali legi conformis *b*. II. Vt bono cõmuni vtilis *c*. III. Vt sit lata à legitimo Magistratu *d*. IV. Vt sit superioris nomine & authoritate debitè promulgata; Et quidem ad valorem cuiusuis humanæ legis, seu Ciuilis, seu Ecclesiasticæ, etiamsi sit reuocatoria prioris *e*, requiritur publica promulgatio, cum lex sit signum voluntatis principis, qua vult communitatem obligare & mouere, quod fieri nõ potest, nisi tale signum fiat publicum. Quod si sint leges reuocatoriæ priuilegiorum, tunc vim priùs

non

non habent, quàm denunciatæ sint seu innotuerint eis, quibus eiusmodi priuilegia fuerant cōcessa *f*, nisi fortè legislator in aliquo casu contrarium expresserit.

a *S.Thom.q.95.a.3.* b *q.90.a.2.* c *eadem q.a.3.* d *eadem q.a.4.* e *ex communi Azor. l.5. c.3. q.7. Vasq.d.156.c.4. Suar.l.3.c.16.n.1. contra Cordub.q.36.de Indul. Medin.q.90.a.4.* f *cum Felino & Panorm. ex com. Sot. l.1. de Iust. q.2. a.2. Val. quæst.5.p.5. Carbo lib.3. de legib. d.9. Vasq. cit. c.4. Azor. tom.1. lib.5. c.3. q.5. Sal. d.12. f.8. qui tres contenti sunt quacunq; certa manifestatione legis reuocatoriæ, &c.*

24. Hinc I. ille, qui priuilegium habet eligendi confessarium, vel absoluendi à reseruatis *a*, valide eo vtitur, donec sciat, id sibi esse reuocatum. II. Valent *b* acta procuratoris absentis & ignorantis factam esse reuocationem, donec ipsi eadem innotescat. III. Firma *c* sunt acta Vicarij, Executoris, Nuncij vel Legati Apostolici, donec certior fiat, se à principe vel superiore esse reuocatum. IV. Indulgentię non cessant *d*, donec de earū reuocatione certiores fiant illi, quibus fuerant concessæ, nisi fortè cum strictissimè reuocantur in anno Iubilæi *e*, aut nisi alio modo *f* Pontifex contrarium expresserit.

a *ex com. Sot. Val. Vasq. loc. cit. modo eligatur approbatus iuxta* Trid. *sess.23. c.15.* b c, *ex L. si mandassem ff. mandati vel contra; excipe causam Matrimonij ex cap. vlt. de procuratoribus*

toribus in 6. ex com. d *Val. Azor. Sal. loc. cit.* e *iuxta Extrauag. 4. de pœnitent. & remiß.* f *Vasq. l. c. n. 27.*

25. Cæterum ſicut ad obligationem legis Imperatoriæ, ſeu Ciuilis, pro vnoquoque regno ſeu prouincia, ſufficit promulgatio eius *a* in Curia, ſeu metropoli eiuſdem regni vel prouinciæ, ita ad obligationem legis Pontificiæ, pro vniuerſo Chriſtiano orbe *b*, ſufficit promulgatio in Curia Romana, niſi fortè in particulari caſu *c* contrarium ſit expreſſum, aut leges quæpiam ſint irritatoriæ contractuum *d*: has enim verius eſt promulgari debere in ſingulis prouinciis ſeu Diœceſibus, niſi hæ ipſæ leges relatæ iam eſſent in commune corpus Iuris *e*, aut alioqui communiter inter doctos practicarentur, etiam ante promulgationem ibi factam *f*, aut certè aliâs ipſe princeps iuſta de cauſa contrarium expreſſiſſet.

a *comm.* b *gloſſa & Ioan. Andr. in fin. 6. Nauar. conſil. 1. de conſtit. q. 4. & 9. Val q. 5. p. 4. Vaſq. d. 156. n. 12. Molin. d. 395. Syl. V. Lex. q. 6. Carbo l. 3. de leg. d. 9. Sal. d. 12. n. 12. Suar. l. 4. c. 15. Azor. l. 5. c. 3. q. 3. qui dicit contrarium non eſſe tutum cont. Angelum. Sot. Conrad. Medin. Sa, Panorm. Felin. &c.* c *Exemplum habetur in Concil. Trident. ſeß. 24. c. 1. de reform. Matrim.* d *eſt commun. quoad leges ciuiles, quoad Pontificias traditur à Soto. Azor. Molin. Sala loco cit. iuxta Authent. Vt factæ noua*

tate diuina immediatè fertur. Ea duplex est, vetus seu Mosaica, per Mosen præcipuè tradita, si non etiam quadam ex parte condita *c*; & noua seu Euangelica, per Christum lata & promulgata. Illa ex diuersitate materiæ, in præcepta moralia, iudicialia, & cæremonialia rectè distribuitur *d*: hæc præter præcepta moralia, fidem & sacramenta potissimùm respicit. Meritò *anathema* dicitur illi *e*, *qui dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant.*

a *Arist.5.Ethic.7.* b *S.Thom.q.95.a.2.* c *vt affirmat Salmer. tract.61. in Acta & 1. Cor.7. disp.12. post Origen. Basil. Hieron. Bed. Hugonem; rectiùs negant Medin. q.98.a.2. Maldon. in Matt.19. Vasq. q.98.a.2. Salas d.22.s.2. post Clement. Alexand. 1. Pædag. cap.7.* d *S.Thom. q.98. & seq.* e *Concil. Trident. sess.6. can.21.*

II. Obligationem legis Mosaicæ iam quidem re ipsa desiisse, de fide est *a*, contra Cherintum & Ebionem, eorumque asseclas. Et verò existimamus eam desiisse, non solùm, quoad præcepta cæremonialia & iudicialia, de quibus lis nulla est, (tametsi & ex his ea necessariò etiam Christianis essent obseruanda, si quæ fortè à Magistratu Christiano pro bono communi seruanda legitimè denuò sancirentur) *b* sed etiam quoad moralia, seu ipsa præcepta Decalogi *c*; non quidem absolutè & secundum se spectata, sed vt à Mose tradita & promulgata, atque ex eius pro-

 mulga-

mulgatione vim habentia: cùm interim duplici alio titulo iis obstringamur omnes, & quia scilicet præcepta sunt legis naturæ, & quia denuò confirmata, ac per Christum tradita fuerunt *d*, secluso tamen illo, de Sabbati sanctificatione, quâ ceremoniale erat.

a *ad Hebr. 7. ad Ephes. 2. ad Gal. 3. Epiphan. hæres. 18. & 28. Iren. l. 1. c. 26. Aug. hær. 8. 9.* b *ex comm. Val. q. 7. p. 7. & Vasq. d. 182. nu. 72. post S. Thom. q. 104. a. 3.* c *Sot. l. 2. de iust. & iure q. 5. art. 4. Val. loc. cit. Tolet. in cap. 3. ad Rom. annot. 15. Salmer. ad Rom 7. disp. 6. Suar. l. 9. c. 11. n. 20. & seqq. post S. Thom. q. 98. a. 5. contra Vasq. d. 180. c. 3.* d *Matth. 19. & 25. Ioan. 15. &c.*

12. Mortua autem lex Mosaica est vnà cum Christo, adeoque eius obligatio desiit, statim in ipsa morte, imo in momento mortis Christi *a*; tunc enim & *velum templi scissum est b*; & Christus ea verba protulit, *Consummatum est c*, quæ hoc sensu à plerisq; Patribus exponuntur, quidquid aliqui *d* tempus illud extendant vsq; ad resurrectionem Christi, nonnulli verò etiam vsq; ad pentecosten *e*, & vltra.

a *S. Thom. q. 103. a. 3. & 3. p. q. 66. a. 5. Vasq. d. 181. c. 2. Salas d. 23. s. 4. Val. quæst. 7. p. 7. ex comm.* b *Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.* c *Ioan. 19.* d *Sot. 2. de iustit. q. 5. art. 4. &c.* e *Suar. l. 9. c. 13. n. 4. fauet Maldon. Matth. 5. v. 18.*

13. At verò itane lex Moysis tunc viuere desiit,

vt simul statim etiam ante completum Euangelij in toto mundo ab Apostolis promulgati tempus (quod communiter extendi solet ad annum quadragesimum post Christi passionē elapsum, adeoque ad excidium vsq; Hierosolymitanum) obseruatio legalium sub ratione cultus Mosaici esset mortifera, neque omnino liceret illa cæremonialia etiam vt mortua obseruare, ad protestandam ea obseruatione excellētiam diuinam, ipsiq; Synagogæ velut defunctæ honorifico illo & quasi funebri legalium cultu parentandum, ne alioqui non minus, quàm Gentilium ritus ab Ecclesia Christiana damnari viderentur? S.Hieronymo quidem *a* isthęc obseruatio statim post mortem Christi visa est fuisse mortifera; S. Augustino verò *b* solum mortua, quæ vt verior, ita communior est sententia *c*.

a *in comment. epist. ad Gal. cap. 2. & epist. 89. ad August.* b *epist. 19. ad Hieron.* c *Beda ad Galat. 2. Nicolaus de Lyra ibidem. Hugo de S. Victor. l. 2. de Sacram. p. 6. c. 4. Scot. & alij in 4. dist. 4. vel 1. S. Thom. q. 103. a. 4. Conrad. Medin. ibid. Val. cit. Suar. l. 9. c. 17. Baron. anno Christi XLIV. & LVIII. &c.*

14. Constat enim, etiam Apostolos ipsos antè prędictum tempus, passim legalia obseruasse. Sic Petrus quoad legalia Iudæis pro tempore se conformauit. Galat. 2. Sic etiam S. Paulus circumcidit Timotheum *a*, & ex cōsilio Iacobi vnà cum aliis iuxta Iudęorum ritum se Hierosolymis purifi-

rificauit *b*; ſic idem in Cenchris caput more Iudæorum totondit. Nec rectè dicitur, hæc omnia facta eſſe per ſimulationem: nam ſimulatio falſi cultus ſeu religionis, qua nempe vſurpētur eiuſmodi facta vel verba, quę per ſe ſignificatiua ſint falſæ religionis, nunquam eſt licita *c*.

a *Actor.16.* b *Act.21.* c *communiter Theologi. Alenſ.3.p.q.183.n.2. Anton.2.p.tit.12.c.6. Caiet. Ban. Arag.2.2.in q.3.a.2. Angel. Armil. Sylu.v.Fides. Nau.c.11.manu.n.25. Val.tom. 3.diſp.1.q.3.p.2. Vaſq.1.2.d.182.c.4. Salas diſp. 23.ſ.9. Suar.l.9.c.17.n.15.*

15. Neq; huic Auguſtini ſententię quidquam obſtat illud *a* Apoſtoli: *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*: intelligitur enim hoc de circumciſione, cum opinione neceſſitatis ſuſcepta, quaſi verò ſine ea ſalus obtineri non poſſit. Sed quomodo non mentiebatur is, qui cęrimonialia tunc tēporis vſurpabat, cùm ea ex ſua primaria inſtitutione ſignificarent Chriſtum venturum, Chriſtus verò tunc non venturus eſſet, ſed veniſſet modo, imo iam ad Patrem rediiſſet? Reſpondetur, cæremonias illas eſſe vſurpatas, non vt erāt ſignificatiuæ Myſterij venturi Chriſti, ſed fine alio & intentione ſuperius inſinuata *b*, vt proinde nullum interuenerit mendacium.

a *ad Gal.5.* b *theſi 13. S.Thom.q.103 a.4.ad 1.*

16. Lex Baptiſmi ante mortem Chriſti non obligauit *a*, in puncto tamen eiuſdem obligare

cœpit eos *b*, qui necessitatem illius ante cognouissent: né dicendum sit, fuisse aliquod tempus medium inter veterem, nouamque legem, quo nulla lex diuina merè positiua obligaret. Neque tamen Baptismus statim à morte & resurrectione Christi fuit necessarius necessitate medij, omnibus omnino hominibus, tam adultis, quàm paruulis, sed probabilius est, respectu earum gentium & locorum, in quibus lex hęc nondum erat promulgata (permanente tantisper circumcisionis, saltem in quantum legis naturæ remedium erat, virtute *c*) Deum aliquanto post tempore velut inducias aliquas concessisse *d*; quas conuenienter sententiæ S. Augustini, ad tempus factæ promulgationis in toto mundo, adeoque excidij Hierosolymitani *e*, quo tempore lex vetus cœpit esse mortifera, extendimus; idemque etiam de fide explicita in Christum quoad medij necessitatem asserimus.

a *com. DD. cum S. Bern. epist. 77. & Hugo Victor. l. 2. de Sacram p. 6 c. 4. & 5.* b *Val q. 8. pu. 1. Vasq. d. 181. c. 2. Salas d. 24. f. 4. num. 20. & 28. post S. Thom. 4. d. 2. q. 1. a. 4. qla. 3. & d. 3. q. 1. a. 5. qla. 3. & 3. p. q. 66. a. 2. ad 1. Rich. Durand. Pal. Adrian. &c. contra Suar. lib. 10. c. 4. n. 8. post Scot. Gabriel. Capreol. &c.* c *Sot. Medin. Suar. infra, Salas d. 23 f. 6. num. 27. post Scot. Gabr Capreol. Palat. Radam, Nunnium, &c. S Bern. epist. 77. contra Vasq. d. 181. c. 2.* d *Capreol. 4. dist. 2. q. 2. Sot. l. 2. de iustit. q. 5. art. 4.*

Vega

Vega l.5.in Trident.c.3. Suar.3.p.tom 3.d.27. ʃ.4. & hîc l.10.c.4. Medin.q.103.a.3. Henriq. l.2.c.2.n.6.& 7.ʃignif.Trident.ʃ.6.c.4.comm. cont.Vaʃq.d.181.num.22. c *Vega, Suar.post Rich.Scot.&c.*

17\. Lex diuina de perceptione aliorum Sacramentorum (excepta Euchariſtia) non obligauit ſtatim poſt mortem & reſurrectionem Chriſti: de quibuſdam enim Sacramentis percipiendis ex probabili nullũ exſtat præceptum diuinum; quędam verò primùm poſt reſurrectionem ſunt inſtituta, vt *a* de pœnitentia conſtat: excipitur Euchariſtia, quia hanc in vltima Cœna inſtitutam fuiſſe, & præceptum etiam de ea percipienda datum, idque etiam alibi pręnuntiatum *b*, ſatis certum eſt.

a *Ioan.20.ex Concil.Trid.ſeß.14.c.1.* b *Ioan.6.*

18\. Fictitio hæreticorum diſcrimine inter nouam veteremq; legem reiecto, vtpote quod legem ferè omnem tollit ac ſubuertit, verum earum diſcrimen ponimus in vario perfectionis exceſſu, quo noua veterem ſuperat. Et I. quidem ſuperat ex parte materiæ. II. Ex parte immediati legiſlatoris. III. Ex parte ſubditorum. IV. Ex parte durationis. V. Ex motiuo obſeruationis. VI. Facilitate & paucitate præceptorum VII. Efficacia: lex enim noua iuſtificat *a*, quod vetus non *b* præſtabat: *Si enim per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt* c.

a *ex Apoſt. ad Rom. l. 1, ad Corinth.15. S.Thom.*

 q.107.

q.107. b *ad Rom.3. ad Gal.3. S.Thom.q.100. a.12.& q.102.a.3.* c *ad Galat.2.*

19. Ceterùm huius discriminis ratio potissimùm in his tribus consistit. I. Quòd sacramenta propria veteris legis nullam *a* ex se,& ex opere operato vim habebant iustificandi, nec adeò erant efficacia & instrumentaria signa gratiæ; cùm è contra *b* sacramenta nouę legis,tanquam instrumenta efficacia, verè gratiam conferant. II. Quia lex Moysis secundùm eum præcisè statum,quem à suo proprio quasi legislatore Moyse habebat,scripta solùm erat in tabulis lapideis, at verò lex Christi iuxta suum primarium statũ, quem habet à Christo legislatore, scribitur in *tabulis cordis carnalibus c*, nec aliud est, quàm ipsa fides & gratia Christi, diffusa in cordibus nostris. Deniq; quia lex Moysis *d* etiam plenissimè seruata, non poterat iustificare secundùm se & absq; respectu ad statum & conditorem nouæ legis, sed solùm cum respectu ad Christum, in lege noua exhibitum, omnis gratiæ fontem & originem.

a *Colligitur ex Apost ad Gal.4. vbi dicuntur infirma & egena elementa. ad Coloß.2 Hebr.9. & 10. ex Concil. Florent. in litte. vnio.* b *contra Sectarios nostros Concil. Trident. s.7. can. 6.7.8. S.Thom.3.p.quæst.62 a.1. & 7. ex com.* c *Ierem.31. Ioan.1. Rom.3. 2. Corinth.3. & 10.* d *S.Thom.quæst.100.a.12. & q.106.a.1.comm. vide Val.q.6.p.3 §.2.*

CAPVT

CAPVT III.

De lege positiua humana secundum se, eiusq́; legitima sanctione.

20. Lex humana est, quę ab homine, & authoritate humana immediatè fertur. Diuiditur à Theologis *a* in Ius gentium & ciuile. Ius gentium *b* est lex humana, quæ omnium gentium ac populorum consensu recepta est & approbata, ideo quod supposita humana societate, facili negotio, etsi quoad vim obligandi non necessario & euidenter, ex principiis naturalibus deducatur *c*. Atque hoc iure constat, non quidem religio erga Deum, erga parentes obseruantia, quæ Theologis *d* iuris naturalis sunt, sed *e* diuisio rerum, ac proprietas; item emptio, venditio, aliæq́ue eiusmodi commutationes rerum in genere: ius item propriæ defensionis, belli, iustæ captiuitatis ac manumissionis, inuiolatæ quoq; fidei legatorum, & alia similia, quæ vti simpliciter non erant necessaria, etiam supposita humana societate, ita nūc ei vel maximè sunt consentanea. Jus ciuile *f* latè loquendo est, quod non est idem apud omnes gentes, sed pro varietate locorum & temporum variatur. Deriuatur ex lege naturali, tum per modum determinationis *g*, tum etiam per modum *h* conclusionis probabilis.

a *S. Thom. q. 95.* b *ibid. a. 4.* c *Val. quæst. 5. p. 2. Vasq. d. 157. c. 3.* d *supra thesi 4. contr. L. 2. ff. de Iust. & iure.* e *L. 3. 4. 5. ff. de Iust. & iure.*

 f *L. 6.*

f *L.6.ff.cit.comm.DD.* g *Vasq.d.154.cap.3. S.Thom.q.95.a.2.* h *Val.q.5.p.1.cont.Vasq.*

21. Lex humana pro materia habet tum bonum, tum malum, licet vniuersim, seclusa lege, tale esse non debeat *a*, qua tamen lege nihilominus rectè ac necessariò quandoq; permittuntur *b* quędam mala, tum vt vitentur mala maiora, ne fortè eradicando zizania eradicetur simul & triticum; tum vt conseruetur seu obtineatur aliquod bonum, iuxta prudentis æstimationem Reipublicæ magis oportunum, quàm sit malum permissum eidem perniciosum.

a *Arist.5.Ethic.c.7. Caiet.q.96.art.4. Val.q.5. p.7. Salas d.9.s.4.* b *S.Thom.quæst.91.a.4.ex August.lib.1. de liber.arb.cap.4. colligitur ex Matth.13.*

22. Dubitatur an Magistratus humanus, præsertim Ecclesiasticus, potestatem habeat in actus merè internos, ita vt eos præcipere vel prohibere possit. Affirmant aliqui *a* sine limitatione; at verò cùm Magistratus humanus de actibus occultis ac merè internis per se iudicare non possit, quomodo eos præscribere vel prohibere poterit? Absolutè alij negant *b*. Sed inde sequi videtur, omnibus Ecclesiæ præceptis per meram simulationẽ & hypocrisin satisfieri posse, quod nec ipsi quidem sententiæ huius assertores facilè admiserint. Placet itaque doctrina eorum *c*, qui distinguunt, posse nimirum Ecclesiam præcipere ac prohibere actus internos, non tamen

directè

directè & per se, ac sine respectu ad actum aliquem externum, sed quasi indirectè, seu per quandam consecutionem, & quatenus subinde informãt quasi actus externos, & cum illis coniunguntur, vel vt quædam principia seu causæ, vel vt modi & conditiones quædam.

a *Rosel.v. Absolut.num.28. Adrian quodl. 8.a.1. Pigh.lib.6. Eccl.hier.c.16. & quidam Canon. apud Azor. inf. & fauet Leß. lib.1. de Iust.c. 37.dub.11.* b *Dur. Palud. Gabr. Castro, Sot. Drie. Sylu. Nau & alij quos citant ac sequuntur Couar. de reg. Iuris nu.7. Vasq. d.160 c.2. fauet S.Thom.q.91.a.4 & q.100.a.9 c. Sot.10. de Iust.q.5.a.5.Val.q 5.p.7. Azor.l.5.c.10.q.1. Suar.tom.5.d 4 ſ 2 & hic lib.3.c.13 nu.2.& seq. nec videtur dissentire Salas d.9.ſ.1.n.24. nec S.Thom.loc.cit.*

23. Conditiones ad substantiam & valorem humanæ legis requisitæ sunt hæ. I. Vt sit iusta *a*, adeoq; diuinę & naturali legi conformis *b*. II. Vt bono cõmuni vtilis *c*. III. Vt sit lata à legitimo Magistratu *d*. IV. Vt sit superioris nomine & authoritate debitè promulgata; Et quidem ad valorem cuiusuis humanæ legis, seu Ciuilis, seu Ecclesiasticæ, etiamsi sit reuocatoria prioris *e*, requiritur publica promulgatio, cum lex sit signum voluntatis principis, qua vult communitatem obligare & mouere, quod fieri nõ potest, nisi tale signum fiat publicum. Quod si sint leges reuocatoriæ priuilegiorum, tunc vim priùs

non

non habent, quàm denunciatæ sint seu innotuerint eis, quibus eiusmodi priuilegia fuerant cõcessa *f*, nisi fortè legislator in aliquo casu contrarium expresserit.

a *S. Thom. q. 95. a. 3.* b *q. 90. a. 2.* c *eadem q. a. 3.* d *eadem q. a. 4.* e *ex communi Azor. l. 5. c. 3. q. 7. Vasq. d. 156. c. 4. Suar. l. 3. c. 16. n. 1. contra Cordub. q. 36. de Indul. Medin. q. 90. a. 4.* f *cum Felino & Panorm. ex com. Sot. l. 1. de Iust. q. 2. a. 2. Val. quæst. 5. p. 5. Carbo lib. 3. de legib. d. 9. Vasq. cit. c. 4. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 3. q. 5. Sal. d. 12. s. 8. qui tres contenti sunt quacunq; certa manifestatione legis reuocatoriæ, &c.*

24. Hinc I. ille, qui priuilegium habet eligendi confessarium, vel absoluendi à reseruatis *a*, valide eo vtitur, donec sciat, id sibi esse reuocatum. II. Valent *b* acta procuratoris absentis & ignorantis factam esse reuocationem, donec ipsi eadem innotescat. III. Firma *c* sunt acta Vicarij, Executoris, Nuncij vel Legati Apostolici, donec certior fiat, se à principe vel superiore esse reuocatum. IV. Indulgentię non cessant *d*, donec de earũ reuocatione certiores fiant illi, quibus fuerant concessæ, nisi fortè cum strictissimè reuocantur in anno Iubilæi *e*, aut nisi alio modo *f* Pontifex contrarium expresserit.

a *ex com. Sot. Val. Vasq. loc. cit. modo eligatur approbatus iuxta Trid. sess. 23. c. 15.* b c, *ex L. si mandassem ff. mandati vel contra; excipe causam Matrimonij ex cap. vlt. de procuratoribus*

toribus in 6. ex com. d *Val. Azor. Sal. loc. cit.* e *iuxta Extrauag. 4. de pœnitent. & remiß.* f *Vasq. l. c. n. 27.*

25. Cæterum ſicut ad obligationem legis Imperatoriæ, ſeu Ciuilis, pro vnoquoque regno ſeu prouincia, ſufficit promulgatio eius *a* in Curia, ſeu metropoli eiuſdem regni vel prouinciæ, ita ad obligationem legis Pontificiæ, pro vniuerſo Chriſtiano orbe *b*, ſufficit promulgatio in Curia Romana, niſi fortè in particulari caſu *c* contrarium ſit expreſſum, aut leges quæpiam ſint irritatoriæ contractuum *d*: has enim verius eſt promulgari debere in ſingulis prouinciis ſeu Diœceſibus, niſi hæ ipſæ leges relatæ iam eſſent in commune corpus Iuris *e*, aut alioqui communiter inter doctos practicarentur, etiam ante promulgationem ibi factam *f*, aut certè aliâs ipſe princeps iuſta de cauſa contrarium expreſſiſſet.

a *comm.* b *gloſſa & Ioan. Andr. in fin. 6. Nauar. conſil. 1. de conſtit. q. 4. & 9. Val q. 5. p. 4. Vaſq. d. 156. n. 12. Molin. d. 395. Syl. V. Lex. q. 6. Carbo l. 3. de leg. d. 9. Sal. d. 12. n. 12. Suar. l. 4. c. 15. Azor. l. 5. c. 3. q. 3. qui dicit contrarium non eſſe tutum cont. Angelum. Sot. Conrad. Medin. Sa, Panorm. Felin. &c.* c *Exemplum habetur in Concil. Trident. ſeß. 24. c. 1. de reform. Matrim.* d *eſt commun. quoad leges ciuiles, quoad Pontificias traditur à Soto. Azor. Molin. Sala loco cit. iuxta Authent. Vt factæ noua*

ua constit. cont. Val. loco citato, Salas excipit scientes. e f *Molin. Azor. citat.*

26. An legum vis & valor ab acceptatione populi dependeat, controuertitur. Quidam absolutè affirmant *a*. Quidam absolutè negant *b*. Alij de ciuilibus legibus affirmant, de Pontificiis negant *c*. Nos de hac re ita statuimus, videlicet non solùm à Magistratu Ecclesiastico, verùm etiam à suprema potestate ciuili, absolutè loquẽdo *d*, posse leges ferri independenter ab acceptatione populi; quorum prius est adeò certũ *e*, vt non videatur negari posse sine errore: quandoquidem ipso iure diuino Pontifex est caput totius Ecclesię *f*, nec suam ab ea potestatem accipit. Et verius est, etiam absoluti ac supremi cuiusq; Principis potestatem, maiorem esse, quàm totius populi *g*: etsi quoad hoc authoritati principis consuetudine, aut prima institutione derogari possit, Romano Pontifici non possit *h*.

a *Maior 4. dist. 15. q. 4. Driedo lib. 1. de lib. Christ. c. 9. Nau. Man. c. 23. n. 41. Syl. V. Lex. q. 6. Angel. & Armil. V. Lex. Couar. l. 1. variar. c. 16. n. 6. Felin. & Canon. com. in Cap. 1. de Treug. & Pac. Azor. l. 5. c. 4. q. 1. Val. q. 5. p. 4. qui vocant eam communem Theologorum & Iurist.* b *Carbo lib. 3. de leg. c. 10. Vasq. d. 56. c. 5. Suar. lib. 3. c. 19. & l. 4. c. 16. iuxta Platonem dialog. Polit.* c *Medin. q. 90. a. 3. & quidam alij apud Azor. l. c.* d *Cast. l. 1. de lege pœnali. c. 1. Vasq. d. 156. c. 5. Salas q. 96. d. 13. n. 6. & 7. Suar. l. 4. c. 16.*

c.16. e *Sal. Suar. ibid. contr. Maior. l.c. Gerson. Cusan. & Alm. Panorm. in Cap. Significasti de Elect. &c.* f *Scholast. com. in 4. d.19. & S.Thom. 2.2. q.1. a.10. Ant. Turrec. Aluar. Pelag. Caiet. de authoritate Papæ & Concilij ac alij.* g *Tanner. lib. 2. defens. Eccles. libert. c.3. & 15. &c. Sal. cit. n.6. com.*

27. Reipsa tamen probabilius videtur, leges ciuiles omnes, nisi cõtrarium alicubi sit expressum, aut ex ipso facto superioris, aut vsu regni manifestum *a*, pendere ab acceptatione populi, ita vt si non acceptentur, per se ac directè non obligent. Vnde consequitur, Magistratum ciuilem non velle suis legibus directè subditos obligare, nisi hac conditione tacita, si acceptentur: cùm enim reipsa per non vsum seu consuetudinem contrariam, tacẽte Principe, abrogari possint leges, cur non etiam per nõ acceptationem vis earum impediri, si interim verbo aut facto contrarium non exprimat legislator?

a *ex L.31. ff. de leg. vbi dicitur: Ipsæ leges nulla alia de causa nos tenent, quàm quod iudicio populi receptæ sunt. Consentit Arist. lib. 2. Polit. cap. 6.*

28. Id ipsum etiam probabilius videtur de plerisque legibus Ecclesiasticis seu Pontificiis *a*, ob suauiorem totius Ecclesiæ gubernationem, & maiorem cum Politia ciuili, in causa non dissimili, conformitatem: parum enim foret Ecclesiæ consultum, si vniuersim alia esset mens Pontificis,

tificis, subditorum alia. Interim tamen negandum non est, nonnullas leges Pontificias ea firmitate atq; potestatis plenitudine ferri *b*, vt earum valor & obligatio ab acceptatione populi nequaquam pendeat; cùm nonnunquam Pontifex in ipsa lege omni contrariæ consuetudini, tam præsenti, quàm futuræ expresse deroget; quin etiam mox de facto ac reipsa contumaces ad obedientiam pœnis Ecclesiasticis compellendo satis significet, se non velle eiusmodi leges arbitrio & voluntati subditorum permittere, ita vt earum valor & obligatio ab illorum acceptatione pendeat.

a *Arg. cap. 1. de noui operis nunc. & gloss. ibid. & sumitur ex dicto Grati. dist. 4. Canon. In istis §. Leges, vbi habetur leges promulgatione constitui, firmari autem vsu.* b *Sylu. Nauar. Vasq. Sal. Azor. Medin. Carb. Suar. loco citat. Tanner. lib. 2. defens. libertat. Eccles. c. 15. & seqq. post Felin. & alios.*

29. Quin etiam vniuersim saltem contra iustitiam legalem peccant non solùm inferiores Magistratus, quorum negligentia accidit, vt subditi legem iustam ac Reipublicæ commodis salutarem, à suprema authoritate latam, non recipiant, & in praxin deducant, sed ipsi quoque subditi, cum eiusmodi legem sine rationabili causa non acceptant *a*. Quod peccatum an veniale, an verò mortale sit, iudicandum est ex subiecta materia, scandalo, contemptu repugnantium,

&

& præcipuè ex nocumento Reipublicæ, cujus bonũ hac ratione negligitur: esto ex causa probabili, possit plebs sine peccato non acceptare legem, si videat hoc legislatorem scire, & non punire; nec vrgere acceptationem legis, cùm alioqui commodè posset *b*.

a *Val.loc.cit.& alij.* b *Azor.cit.cap.4.q.5.*

30. Possunt quoque in omni casu à Magistratu tum Ecclesiastico, tum Ciuili, si penes hunc sit suprema potestas leges ferendi, executores deputari, qui populum pœnis intentatis & illatis cogant ad executionem seu acceptationem legis vtilis; qua in re esto ob contumaciam subditorum nihil proficiat ille legislatoris conatus, probabilissimũ tamen est, non receptionem nihil impedire vim legis *a*, saltem quam diu legislator in suo conatu persistit, & hanc suam obligandi voluntatem retinet.

a *Sylu.q.6.V. Lex.Azor.c.4.q.2.& 4.& c.11.q.1. Suar.Vasq.Sal.Carb.Medin.&c. loc.cit.*

31. Quòd si nulla spes sit, populum vnquam ad obseruationem legis perducendi, tum sanè erit officium Christiani ac prudentis Magistratus, qui potestatem nõ habet in destructionem, sed in ædificationem, non frustra contra torrentem niti, verùm à lege inculcanda abstinere; at si nihilominus absque vlla spe fructus publici legem vrgere pergat, tum quidem fortasse meritò videri poterit lex talis irrita, cùm nullam vnquã vtilitatem Reipublicæ allatura credatur *a*. Hoc

a vniuer-

vniuersim etiam de lege Canonica certum videtur *b*, eam si per consuetudinem toleratam non acceptetur, tandem non obligare, etiamsi fortè in principio culpabiliter fuerit non obseruata.

a *iuxta Maior. Dried. Nauar. Val. loc. cit. Gerson. lib. de vita spir. lect. 4. &c.* b *iuxta cap. vlt. de consuetud. Suar. lib. 4. cap. 16. & alij ex comm.*

32. Jn eo casu, quo lex pendet ab acceptatione populi, sufficit, vt acceptetur à parte communitatis potiore seu maiore (nō tam numero, quàm meritis & bonitate) siue id scripto aut voce, siue vsu & praxi fiat, siue ea tantum ratione tacitè approbetur, quod à maiore seu potiore parte communitatis verbo aut facto non improbatur *a*; Quod si communitas ea pluribus prouinciis, aut communitatibus partialibus perfectis constet, tum vt singulas obliget, etiam à maiore parte singularum acceptari necesse est *b*.

a *Sylu. V. Lex q. 6. Val. q. 5. p. 5. Sal. d. 13. s. 2. & alij.* b *Val. cit. Azor. l. 5. c. 4 q. 3. Sal. cit.*

33. Sed à quonam tempore incipit lex obligare? Vel legislator certum tempus determinat, à quo velit legem suam obligare; vel non determinat. Si prius, tum eiusmodi determinationi standum est, etiam in foro conscientiæ: hoc totum enim est positum in arbitrio legislatoris, eiusque rei exemplum habemus in decreto *a* Concilij Tridentini, de nullitate matrimonij clandestini, quod nō obligat in aliqua parochia, nisi

nisi post elapsos 30. dies à die primæ publicationis in eadem parochia factæ. Si posterius, tunc particularia quidem statuta Capitulorum, Academiarum, Ciuitatum, Episcoporum, & inferiorum Principum, obligare censenda sunt, statim à facta promulgatione *b*.

a *sess. 24. decreto de reform. Matrim. c. 1.* b *Val. q. 5. p. 5. Suar. l. 3. c. 18. n. 9. Nauar. c. 23. n. 44. Azor. l. 5. c. 3. quæst. 2. Sot. l. 1. de Iust. q. 1. a. 4. comm.*

34. Generales verò leges latæ non solùm ab Imperatore *a*, sed etiam Rege, & quolibet supremo Principe, plures sub se prouincias habente *b*, ex probabiliori, communi iure non obligant, nisi post duos menses à promulgatione legitimè facta elapsos; ita nimirum, vt si lex Ciuilis seu regia sit, non obliget ciuitatem regiam, nec prouincias, nisi post elapsos duos menses à promulgatione in ea ciuitate, vel prouinciis facta. Idem de Pontificiis quoque legibus generalibus verius videtur *c* à promulgatione Romæ facta. Interim tamen si particularis cuiuspiam regni praxis alia sit, ei standum erit.

a *com. Theolog & Iurisper. ex nouella 66. seu Authent. vt factæ nouæ constit. cont. paucos recent.* b c *Nauar. c. 23. n. 44. Aug. V. Lex q. 12. Sylu. V. Lex. q. 6. Tabien. n. 25. Sa ibid. Val. q. 5. p. 5. Barth. Medin. q. 90. a. 4. & significat Bulla Pij IV. de tempore obligat. Concil. Trident. contra Azor. lib. 5. c. 3. q. 2. Molin. d. 395. Salas*

q.96.f.3. Vasq.d.156.c.3. Suar.l.3.c.18.fauet stylus curiae apud Nauarr.*consil.1. de constit. num.17.*

CAPVT IV.

De vi, & obligatione legis humanae.

35. Elapso ad modum explicatum tempore singulis legibus præstituto, omnes etiam ignorantes eiusmodi legibus tenentur & obligantur, non quidem quasi in foro conscientiæ aut culpam, aut pœnam contrahant, si ignorantia sit inuincibilis, sed tum quia contractus, si qui per legem irritati sunt, nihil valent *a*, tametsi cum ignorantia inuincibili ita sint initi, tum quia in foro saltem exteriori pœna legis à transgressoribus exigitur, nisi legem se ignorasse probent; tum quia vis obligatiua legis reuera etiam ad ignorantes pertinet *b*: alioqui enim nõ rectè dicerentur excusari à violatione legis. Quanquam interim de sententiis quorumcunq; ordinariorum *c* illud sapienter statutum est, vt eas non incurrant ignorantes, nisi ignorantia fuerit crassa & supina.

a *comm.* b *Sot. Medin. Val. Suar. contra Panorm. Caietan. Castro.* c *cap. vt animarum. de constit. in 6.*

36. Posse ab vtroque Magistratu tam Ciuili, quàm Ecclesiastico, etiam in materia alioqui per se nec diuino, nec naturali præcepto præscripta, leges

leges ferri in conſcientia obligantes *a*, de fide eſt. Ita verò obligabunt *b*, ſi quis legitimus ſuperior ex authoritate ſuperioris, quam habet, aliquid verè & abſolutè præcipiat faciendum, aut non faciendum, cùm ſuppoſito pręcepto, in eius arbitratu non ſit, obligare vel non obligare *c*. Verba abſolutè præceptiua communiter referuntur hæc, *Præcipio, mando* (ſi in Conſtitutione ponatur) *iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico*; quibus æquiualent iſta: *Debeant, teneantur, neceſſariò, neceſſe eſt, non licet, non poteſt*, etſi voculæ, neceſſe eſt, non poteſt, ſicut & verbum *oportet*, ſubinde ad ſolam honeſtatem, ſeu ad quandam neceſſitatem ex ſuppoſitione certi finis, aut ſolam actus inualiditatem referri poſſunt *d*, quod ex circumſtantiis diiudicandum erit.

a *Colligitur ex Lucæ 10. 1. ad Theſſal. 4. Rom 13. 1. Pet. 2. S. Thom. q. 96. a. 4. fusè hoc ipſum defenditur à Bellarm. l. 4. de Pontifice c. 16. Val. q. 5. p. 6. § 1. quicquid dixerit Gerſ. tract. de vita Spir. lect. 4. quē explicare conatur Vaſq.* b c *Victor. relect. de poteſt. ciuili nu. 17. & 20. Medin. q. 96. a. 4. Sot. Inſt. l. 1 q. 6. art. 4. & 5. Couar. reg. peccatum p. 2. §. 5. nu. 2. Bellarm. l. 3. de memb. Eccleſ. c. 11. Vaſq. d. 154. n. 15. & d. 158. nu. 17. Sal. d. 10. ſ. 6. cont. Sylu. v. præceptum. v. Inobedient. v. Lex q 8. & 17.* d *Caſtro. Ioan. Medin. Vaſq. d. 158. n. 21. &c.*

37. Verba communia, & quę per ſe pręceptum non ſonant, ſunt hæc: *Ordinamus, volumus, decerni-*

cernimus, statuimus, sancimus; at verba imperatiui modi; *Hoc faciant, non faciant, &c.* ambigua sunt, & pro ratione circumstantiarum nunc per modum directionis, aliquãdo per modum præcepti accipi possunt *a.* An eadem legum pœnalium sit ratio, ita scilicet vt non minus hæ, quàm aliæ in conscientia obligent, peculiaris est difficultas, per distinctionem dissoluenda; etsi quidã absolutè affirment *b*, alij absolutè negent *c.*

a *Vasq. cit. n. 23. ex Clement. Exiui §. Cùm igitur de verb. signif. & Cap. Exiit de verb. sig. in 6.* b *Sig. Nau. c. 23. n. 55. Val. q. 5. p. 6. §. 3.* c *Sot. l. 1. Iust. q. 6. a. 4. Azor. l. 5. c. 6. q. 4. &c.*

38. Vel enim lex est purè pœnalis, quæ videlicet nihil prohibet vel præcipit, sed solummodo pœnam decernit, si quis hoc aut illud fecerit vel omiserit; vel est pœnalis mixta, quæ scilicet præterea aliquid faciendum aut omittendum præscribit; prior etsi per se quidem, & quantum est præcisè ex vi verborum, in conscientia non obliget, tamen ratione grauitatis pœnæ *a* sæpè innuit, hominem aliunde iam, vel etiam ex tacita legislatoris intentione, sub peccato esse obligatum ad faciendum vel omittendum id, propter quod pœna infligitur. Lex pœnalis mixta in cõscientia obligat, si verba præceptiua habeat, aut alioqui pœna talis sit, quæ non nisi ob culpam decerni posse iure videatur *b.* Aliâs pœna temporalis legi annexa per se non est sufficiens indicium colligendi, an lex in conscientia obliget, nec

nec ne; cùm pœna, generatim loquendo, per se cum neutro pugnet *c*.

a b *Castro de leg pœn. l. 1. c. 9. Couarr. reg. pecc. p. 2. §. 5. Vasq. dist. 159. c. 2. Sal. q. 96. d. 10 s. 6.*
c *citati iux. reg. 23. de reg. iuris in 6.*

39. Reiecta quorundam falsa & temeraria opinione, asserentium *a*, leges humanas per se nunquam obligare sub mortali, secluso cōtemptu & scandalo, contra communem & certam Theologorum sententiam, satis communi vsu, & sensu fidelium comprobatam, qui legem de Ieiunio, de confessione annua, de audiendo festis diebus sacro, &c. nihil dubitant per se, & ex suo genere sub mortali obligare, duo huiusce obligationis dignoscendę indicia statuimus. Primum est grauitas materiæ: nam si materia vndequaque leuis sit *b*, non potest humanus legislator eam sub mortali præscribere; An verò è contra possit sub veniali tantùm obligare, si materia sit grauis, & conscientiam alioquî concernens, controuertitur. Affirmant *c* nonnulli, rectius videntur negare alij *d*. Grauis autem materia in proposito censetur esse, quando multum interest boni communis, id quod lege statuitur, communiter obseruari, vel non obseruari, iuxta prę-sentes circumstantias.

a *Immola & Felin. apud Suar. lib. 3. c. 24. & l. 4. c. 17. Sig. Caiet. v. Clericus & v. Ieiunium.*
b *com. apud Sal. d. 10 s. 6. Vasq. d. 158. num. 23. Suar. l. 3. c. 25.* c *Castro l. 1. c. 5.* Nau. manu.

 c. 23.

c.23. num 50. Sal.d.10.s.5. Suar.loc.cit.c.27. d *Barth.Medin.q.96.a.4. Dried.l.3 de liber. Christ.c.3.Victor.relect.de potest.ciui.nu.19. Arrag.2.2.q.62.a.3. Vasq.d 158.n.32. Bellar. l.3.de memb.Eccles.c.11 &c.*

40. Eadem grauitas materiæ sæpe etiam colligi potest ex verbis legis, vt si quid præcipiatur sub obtestatione & interminatione diuini iudicij *a*, aut sub indignatione omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri & Pauli, *b* &c. & communiter etiam si præcipiatur aliquid in virtute S. Obedientiæ *c*: licet hæc verba alioquî communia esse possint omni materiæ, sicut & cætera verba præceptiua: ex quibus proinde solis nullum potest iudicium ferri de obligatione sub mortali *d*, nisi supposita grauitate materiæ *e*.

a *Clem. vni. de imm. Eccles.* b *com.* c *Clem. Dudum de relig.* d e *Caiet. Bart. Med. Vict. Vasq. l.c. Sal. d.10. num.53. qui hoc modo intelligunt Clem. Exiuit de verb. sig. cont. Nau. Castro. Val. Azor. &c.*

41. Alterum indicium sumitur ex grauitate pœnæ legi annexæ. Nam si qua lege Ecclesiastica iustè contra transgressores decreta sit pœna Excommunicationis (seu latæ, seu ferendæ sententiæ) depositionis, degradationis, priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, &c. tunc nullum est dubium *a*, quin materia talis legis per se loquendo sub mortali obliget. Eadem videtur ratio *b* suspensionis simpliciter factæ, interdicti; atque

etiam

etiam irregularitatis, quando propter delictum, ac per modum pœnæ infligitur. Jn legibus autem ciuilibus obligationem sub mortali significant *c* pœna capitis, seruitutis, perpetui carceris, aut exilij; item confiscationis seu publicationis bonorum, infamiæ, & amputationis membri, &c.

a b *Sal.d.10.num.58. Azor.lib.5.c.6.q.5.* c *Sot. Barth.Medin. Castro. Azor. Sal. d.10.nu.25. contra Nauarr. &c.*

42\. Etsi communiter & ordinariè *a* leges humanæ (puræ) cum periculo vitæ non obligent, non deest tamen Magistratui ciuili (multò minus Ecclesiastico) potestas lege obligandi cum tanto periculo *b*, si necesse sit, idque iustè velit legislator, quod num ita sit, ex subiecta materia, aliisque peculiaribus indiciis poterit cognosci. Certum est, per accidens aliquando ita obligare *c*, si nimirum simul concurrat obligatio alicuius naturalis seu diuinæ legis, cum vitę periculo obligantis.

a *Val. q.5.p.6. Sylu. v. Metus num.7. Medin.q.96. artic.4. Azor.l.5.c.11.q.1. Vasq.d.161.c.2. post S.Thom. quodlib.11.a.9. Gabr. Maior. Sot. &c. contra Caiet. & quosdam Canonistas.* b *Sot. l.1. de iust.q.6.a.4. in fine & in 4. dist.22. q.1. a.4. Ledes.2.par.q.10.a.5. & q.25.a.3. & alij cit.* c *Val. cit. com.*

43\. Lege superioris, per se loquendo, omnes eius subditi obligantur; sed non nisi adulti & ra-

tionis compotes, vt qui soli eam propriè obseruare possunt *a*. Infantes autem & amentes materia quidem legis esse possunt *b*, sed non terminus, ad quem lex dirigatur *c*. Pueros tamen ante duodecimum, imo & decimum ætatis annum, & quidnî statim post rationis vsum, obligari præcepto abstinendi à carnibus & cibis vetitis, missamq; audiendi, satis certum videtur *d*. Imo non nemo probabiliter asserit, consuetudinem sic interpretari legem *e*, vt etsi mortaliter non peccent seu pueri, ante septennium ingrediendo monasteria monialium, seruantium clausuram, vel edendo carnes diebus prohibitis, seu etiam qui eos introducunt, vel admittunt ad monasteria, vel eis carnes præbent, &c. secus tamen se res habeat, si post septennium id fiat. Lege Ecclesiastica, esto, puer ante duodecimum ætatis annum, non obligetur *f* ad confitendum & communicandum (quod non nemo extendit ad annos *g* pubertatis:) lege tamen diuina multò citius ad confitendum *h*, & ex probabiliori, saltem in articulo mortis, etiam ad communicandum *i* obligatus esse potest. *Censuram*, ait quidam *k*, *nemo incurrit ante annum decimum, nec fortè ante annos pubertatis, secundum quorundam l probabilem sententiam*: quod tamen aliis *m* non immeritò displicet.

a c *com.* b *V.G. ne tem. interd. sepeliantur in loco sacro. Azor. l. 5. c. 11. q. 4. Sal. d. 16. s. 13. nu. 124. Couar. Cord.* d *Sal. n. 127. Azor. l. 7. c. 27. q. 2.*

q.2.Sa.v.Ieiun.com.post Innocent. Caietan. Cord. Ang. Syl.cont. Sot.4.d.12. quæst.1.a.11. e *Cord.Sum.q.40.sig.Sal.* f *Sot.Cord.l.c.Val. tom.4.d.6. q.8.p.4. Henriq.l 8.c.42. num.4. Suar.tom.3.d.70.s.1.& c.ex Cap.omnis vtriusque de pœnit. & remiss.* g *Cord.l.c.Vigu.de Confess.v.14. Sa.v. Confessio.* h *Sal. Cord.l. c. post S.Thom. Syl. Tab. Viuald. com.* i *Sal. Suar.l.c.cont.Cord.* k *Sa.v.Censura.* l *Sot.4. d.18.q.1.a.3.* m *Cord.Sal.l c. Azor. lib.5. c 11. q.4.ex com.iux.Cap. Pueris de Sent.Excommun.*

44. De principe lis est,an is legibus suis teneatur,multis *a* negantibus. Nos cum probabiliori Theologorum *b* sententia,principem quoad vim coactiuã suis legibus exemptum volumus, quoad vim directiuam eisdem illum subiicimus; si modo rationes & conditiones eiusmodi legis æquè etiam in principe locum habeant. Neque tamen directè ac ex vi ipsius per se legis humanæ, sed indirectè *c* ac ex vi legis naturalis eum obligari existimamus.

a *comm.Iurisperit.propter L.princeps ff.de legibus & senatusconsultis.* b *S.Thom.q.96.a.5. ad 3.Caiet. Conrad. Medin.ibid. Sot.l.1.Inst. q.6.a.7. Victor.relect.de potest.ciui.n.21 Sal. q.96.d.14.s.2.Suar.in 3.p.tom.4.d.36.s.2.n.5. & d.52 s.1.n.12.& hic lib.3.c.35. nu.4. & 15. com.iux.Cap Cum omnes de Constit. & L 4. de leg.& constit.princip.* c *Sal.d.14.s.2.Azor.*

lib.5.

tionis compotes, vt qui soli eam propriè obseruare possunt *a*. Infantes autem & amentes materia quidem legis esse possunt *b*, sed non terminus, ad quem lex dirigatur *c*. Pueros tamen ante duodecimum, imo & decimum ætatis annum, & quidnî statim post rationis vsum, obligari præcepto abstinendi à carnibus & cibis vetitis, missamq; audiendi, satis certum videtur *d*. Imo non nemo probabiliter asserit, consuetudinem sic interpretari legem *e*, vt etsi mortaliter non peccent seu pueri, ante septennium ingrediendo monasteria monialium, seruantium clausuram, vel edendo carnes diebus prohibitis, seu etiam qui eos introducunt, vel admittunt ad monasteria, vel eis carnes præbent, &c. secus tamen se res habeat, si post septennium id fiat. Lege Ecclesiastica, esto, puer ante duodecimum ætatis annum, non obligetur *f* ad confitendum & communicandum (quod non nemo extendit ad annos *g* pubertatis:) lege tamen diuina multò citius ad confitendum *h*, & ex probabiliori, saltem in articulo mortis, etiam ad communicandum *i* obligatus esse potest. *Censuram*, ait quidam *k*, *nemo incurrit ante annum decimum, nec fortè ante annos pubertatis, secundum quorundam l probabilem sententiam*: quod tamen aliis *m* non immeritò displicet.

a c *com.* b *V.G. ne tem. inter d. sepeliantur in loco sacro. Azor. l. 5. c. 11. q. 4. Sal. d. 16. s. 13. nu. 124. Couar. Cord.* d *Sal. n. 127. Azor. l. 7. c. 27. q. 2.*

q.2.Sa.v.Ieiun.com.post Innocent. Caietan. Cord. Ang. Syl.cont. Sot.4.d.12. quæst.1.a.11. e *Cord.Sum.q.40.sig.Sal.* f *Sot.Cord.l.c.Val. tom.4.d.6.q.8.p.4. Henriq.l 8.c.42.num.4. Suar.tom.3.d.70.s.1.&c.ex Cap.omnis vtriusque de pœnit.& remiss.* g *Cord.l.c.Vigu.de Confess.v.14. Sa.v. Confessio.* h *Sal. Cord.l. c.post S.Thom. Syl.Tab.Viuald.com.* i *Sal. Suar.l.c.cont.Cord.* k *Sa.v.Censura.* l *Sot.4. d.18.q.1.a.3.* m *Cord.Sal.l c. Azor. lib.5.c 11. q.4.ex com.iux.Cap. Pueris de Sent.Excommun.*

44. De principe lis est, an is legibus suis teneatur, multis *a* negantibus. Nos cum probabiliori Theologorum *b* sententia, principem quoad vim coactiuã suis legibus exemptum volumus, quoad vim directiuam eisdem illum subiicimus; si modo rationes & conditiones eiusmodi legis æquè etiam in principe locum habeant. Neque tamen directè ac ex vi ipsius per se legis humanæ, sed indirectè *c* ac ex vi legis naturalis eum obligari existimamus.

a *comm.Iurisperit.propter L.princeps ff.de legibus & senatusconsultis.* b *S.Thom.q.96.a.5. ad 3.Caiet. Conrad. Medin.ibid. Sot.l.1.Iust. q.6.a.7.Victor.relect.de potest.ciui.n.21. Sal. q.96.d.14.s.2.Suar.in 3.p.tom.4.d.36.s.2.n.5. & d.52 s.1.n.12.& hic lib.3.c.35.nu.4.& 15. com.iux.Cap Cùm omnes de Constit. & L 4. de leg.& constit.princip.* c *Sal.d.14.s.2.Azor. lib.5.*

lib.5.c.11 Medin.l.c.Vasq.dist.167.c.3. & ferè Val.q.5.p.4. Caiet. Sot.&c. contra Suar.l.3. c.35.n.8.

45. Ad eundem modum (quoad vim scilicet directiuam tantum) etiam Clerici obstringuntur legibus Ciuilibus *a* principum sæcularium, quæ spectant ad communem Reipublicæ gubernationem & pacem, nec cum sacris Canonibus, & statu Clericorum, aut concessis priuilegiis pugnant; quales v. g. sunt, quæ iusta rebus precia designant, quæ prohibent, ne quis armatus, aut sine lumine noctu incedat, neue ex prouincia frumentum exportetur, &c. ob quarum legum transgressiones, etsi Clerici ab ipso Magistratu ciuili iudicari aut puniri nullo modo possint *b*, possunt tamen ab Ecclesiastico. Et videtur probabilius, Clericos legibus eiusmodi politicis non obligari nisi indirectè, ex vi ipsius Iuris & naturalis & Canonici *c*.

a *Bellarm.l.1.de Clericis c.18. & opusc.de Cleric. c.1 Vasq.d.167 c.4.Medin.q.96.art.5.Victor. relect 1.de potest.Eccles.q.vlt. Sot.lib.1.Iust. q.6.a.7 Suar.l 3.c.34.n.6.comm.ex Cap.1. de noui operis nũtiatione. Cap.si in adiutorium d.10. vnde in Cap. de Capitulis ibid. ait Pontifex, se curare, vt Imperatoris leges seruentur, &c. contra Nau. consil.3. de constit. n.4.*
b *Cap. Ecclesiæ S. Mariæ, & Cap. Benè quidem d 96 Cap. Cùm non ab homine, de iudiciis.cap. qualiter & quando ibid. Cap, Cum laicis*

laicis de rebus Eccles. Cap. significasti de foro comp. Bulla Cœnæ. §. 15. & 19. Concil. Lat. sub Leone X. c Azor. lib. 5. c. 12. q 3. & tom. 2. l. 9. c. 7. q. 8. & 9. Vasq. d. 167. c. 4. Suar. l. 3. c. 34. n. 12. & 13. post Decium, Rebuffum; Pet. Greg. Zerolam, Castro, Ioan. Medin. iuxta cann. citt. contra Bart. Panorm. Victor. Sotum. Medin. Sal. d. 14. f. 8. num. 94. & 104. sig. Bellarm. loco cit.

46. Aduenæ illi, qui alicubi habitant, siue aliquo deueniunt, cum animo illic perpetuo, vel maiore anni parte, imò etiam breuiori tempore habitandi *a*, tenẽtur ratione domicilij, tabernę, officinæ, vel horrei saltem conducti, legibus illius loci, in quo versantur, tam quoad ieiunium, quàm quoad alia instituta: nisi quis fortè iam alibi expleuerit eiusmodi ieiunij, aut festi dieĩ legem *b*. Viatores autem & peregrini *c*, qui per aliquem locum solùm transeunt, sine animo illic habitandi, ij per se particularibus eius loci legibus, ad ipsam cum ciuibus communicationẽ alioqui haud spectantibus, non videntur obligari: etsi per accidens ob vitandum scandalum, &c. non raro eas seruare teneantur.

a *Medin. q. 96. c. 5. Azor. lib. 5. c. 11 q. 3. & l. 7. c. 30. q. 4. Sal. d. 14. f. 4. Suar. l. 3. c. 33. nu. 3. Leß. l. 4. c. 2. dub. 7. com. ex cap. Illa d. 12. & Can. quos contra dist. 8.* b *Sal. Leß. l. c.* c *Palat. 4. d. 15. q. 4. Medin. l. c. Henriq. l. 9. c. 25. n. 2. Suar. 3. p. tom. 3. d. 44. f. 3. post Archid. Host. Felin. Ant. Palud.*

Palud. contra Couar. lib. 4. variar. c. 20. n. 8. Azor. l. 5. c. 11. q. 13. Sal. d. 14. ſ. 4. Suar. hîc l. 3. c. 33. n. 3. & de relig. tract. 2. l. 2. c. 14. &c.

47. Quòd ſi è conuerſo in propriis eiuſmodi peregrinorum parochiis particularis quædam ieiunij aut feſti diei lex obliget, non communis ei loco, in quo nunc verſantur, verius eſt, eos tali ieiunij, aut feſti diei lege non teneri, ſed poſſe loci illius; in quo verſantur, conſuetudini (per ſe aliâs non illicitæ) ſe accommodare *a*, omdò abſit fraus & dolus.

a *Maior. 4. diſt. 15. q. 5. Couar. l. 4. variar. c. 20. n. 9. Azor. l. 5. c. 11. q. 13. Suar. l. 3 c. 32. num. 3. comm. Sumitur ex cap 2. de Conſtit. in 6. & ex cap. à nobis 1. de ſent. Excommun. & Can. illa d. 12. contra nonnullos apud Sal. d. 14. ſ. 5. iiſdem fauentem.*

CAPVT V.

De abrogatione legis humanæ; deq́ diſpenſatione ac priuilegiis.

48. Quæritur, quomodo abrogari poſſit lex humana, & in ea diſpenſari? Reſpondemus, abrogari primò expreſſa voluntate, ſeu decreto ſuperioris; qui legem condidit. II. Conſuetudine contraria *a*, quam neceſſe eſt, eſſe *b* generalem, ac maioris partis eius communitatis, in qua legem abrogatura eſt; item rationabilem, certè diuinæ & naturali legi non repugnantem; deniq; præ-

præscriptam (annis 40. contra Ius Canonicum, contra Ciuile 10. inter presentes, 20. inter absentes *c*,) adeoq; bona fide, non improbante principe, seruatam: quæ tamen præscriptio necessaria nõ est *d*, si princeps eius consuetudinis conscius sponte connixerit. Similis consuetudo *e*, saltem decennio præscripta, habet vim legis.

a *Cap. Cum dilectus, de consuet. Cod. quæ sit longa consuet. L. 2. S. Thom. q. 97. a. 3.* b c *Sylu. V. consuet. q. 7. Molin. Iust. t. 1. dist. 77. Azor. l. 5. c. 17. q. 8.* d *Medin. Val. inf.* e *Molin. l. c. iux. Can. consuetudo d. 1. & L. 32. ff. de leg. Suar. l. 7. c. 15. comm. contra quosdam Iuristas.*

49. Dispensare, etiam propriè dicta dispensatione, in lege humana, potest similiter Princeps, qui eam tulit, & eius successor, vel cui id isti commiserint, ex causa tamen rationabili; sine qua licet valeat dispensatio liberè facta per *a* ordinariam potestatem, (secus *b* si fiat ex commissione) licita tamẽ non est, sed tam is qui dispensat, quàm is cum quo dispẽsatur, peccant *c*, non quidem directè contra legem humanam, in qua validè est dispensatum, sed contra naturalem, secundum quam turpe est, partem dissidere à toto, & aliis partibus, cum quibus alioqui eiusdem est conditionis, etsi fortè hoc peccatum per se non sit graue *d*. Quòd si in dispensationis petitione falsa causa exprimatur, aut taceatur conditio, quam leges iubent exprimi, dispensatio tali petitioni nixa, est nulla *e*. Sed nec dispensatio-

ne

cernimus, statuimus, sancimus; at verba imperatiui modi; *Hoc faciant, non faciant, &c.* ambigua sunt, & pro ratione circumstantiarum nunc per modum directionis, aliquãdo per modum præcepti accipi possunt *a*. An eadem legum pœnalium sit ratio, ita scilicet vt non minus hæ, quàm aliæ in conscientia obligent, peculiaris est difficultas, per distinctionem dissoluenda; etsi quidã absolutè affirment *b*, alij absolutè negent *c*.

a *Vasq. cit. n. 23. ex Clement. Exiui §. Cùm igitur de verb. signif. & Cap. Exiit de verb. sig. in 6.* b *Sig. Nau. c. 23. n. 55. Val. q. 5. p. 6 §. 3.* c *Sot. l. 1. Iust. q. 6. a. 4. Azor. l. 5. c. 6. q. 4. &c.*

38. Vel enim lex est purè pœnalis, quæ videlicet nihil prohibet vel præcipit, sed solummodo pœnam decernit, si quis hoc aut illud fecerit vel omiserit; vel est pœnalis mixta, quæ scilicet præterea aliquid faciendum aut omittendum præscribit; prior etsi per se quidem, & quantum est præcisè ex vi verborum, in conscientia non obliget, tamen ratione grauitatis pœnæ *a* sæpè innuit, hominem aliunde iam, vel etiam ex tacita legislatoris intentione, sub peccato esse obligatum ad faciendum vel omittendum id, propter quod pœna infligitur. Lex pœnalis mixta in cõscientia obligat, si verba præceptiua habeat, aut alioqui pœna talis sit, quæ non nisi ob culpam decerni posse iure videatur *b*. Aliâs pœna temporalis legi annexa per se non est sufficiens indicium colligendi, an lex in conscientia obliget,

nec

nec ne; cùm pœna, generatim loquendo, per se cum neutro pugnet *c*.

a b *Castro de leg pœn.l.1.c.9. Couarr.reg.pecc. p.2.§.5.Vasq.dist.159.c.2. Sal.q.96.d.10 s.6.* c *citati iux.reg.23.de reg.iuris in 6.*

39. Reiecta quorundam falsa & temeraria opinione, asserentium *a*, leges humanas per se nunquam obligare sub mortali, secluso cōtemptu & scandalo, contra communem & certam Theologorum sententiam, satis communi vsu, & sensu fidelium comprobatam, qui legem de Ieiunio, de confessione annua, de audiendo festis diebus sacro, &c. nihil dubitant per se, & ex suo genere sub mortali obligare, duo huiusce obligationis dignoscendę indicia statuimus. Primum est grauitas materiæ: nam si materia vndequaque leuis sit *b*, non potest humanus legislator eam sub mortali præscribere; An verò è contra possit sub veniali tantùm obligare, si materia sit grauis, & conscientiam alioquî concernens, controuertitur. Affirmant *c* nonnulli, rectius videntur negare alij *d*. Grauis autem materia in proposito censetur esse, quando multum interest boni communis, id quod lege statuitur, communiter obseruari, vel non obseruari, iuxta pręsentes circumstantias.

a *Immola & Felin.apud Suar.lib.3.c.24.& l.4. c.17. Sig. Caiet. v.Clericus & v. Ieiunium.* b *com.apud Sal.d.10 s.6.Vasq.d.158.num.23. Suar.l.3.c.25.* c *Castro l.1.c.5. Nau.manu.*

 c.23.

c.23. num 50. Sal.d.10.s.5. Suar.loc.cit.c.27. d *Barth.Medin.q.96.a.4. Dried.l.3 de liber. Christ.c.3.Victor.relect.de potest.ciui.nu.19. Arrag.2.2.q.62.a.3. Vasq.d 158.n.32. Bellar. l.3.de memb.Eccles.c.11 &c.*

40. Eadem grauitas materiæ sæpe etiam colligi potest ex verbis legis, vt si quid præcipiatur sub obtestatione & interminatione diuini iudicij *a*, aut sub indignatione omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri & Pauli, *b* &c. & communiter etiam si præcipiatur aliquid in virtute S. Obedientiæ *c*: licet hæc verba alioquî communia esse possint omni materiæ, sicut & cætera verba præceptiua; ex quibus proinde solis nullum potest iudicium ferri de obligatione sub mortali *d*, nisi supposita grauitate materiæ *e*.

a *Clem.vni.de imm.Eccles.* b *com.* c *Clem.Dudum de relig.* d e *Caiet.Bart.Med.Vict.Vasq. l.c.Sal.d.10.num.53. qui hoc modo intelligunt Clem. Exiuit de verb.sig.cont. Nau.Castro. Val. Azor.&c.*

41. Alterum indicium sumitur ex grauitate pœnæ legi annexæ. Nam si qua lege Ecclesiastica iustè contra transgressores decreta sit pœna Excommunicationis (seu latæ, seu ferendæ sententiæ) depositionis, degradationis, priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, &c. tunc nullum est dubium *a*, quin materia talis legis per se loquendo sub mortali obliget. Eadem videtur ratio *b* suspensionis simpliciter factæ, interdicti; atque

etiam

etiam irregularitatis, quando propter delictum, ac per modum pœnæ infligitur. Jn legibus autem ciuilibus obligationem sub mortali significant c pœna capitis, seruitutis, perpetui carceris, aut exilij; item confiscationis seu publicationis bonorum, infamiæ, & amputationis membri, &c.

a b *Sal. d. 10. num. 58. Azor. lib. 5. c. 6. q. 5.* c *Sot. Barth. Medin. Castro. Azor. Sal. d. 10. nu. 25. contra Nauarr. &c.*

42. Etsi communiter & ordinariè a leges humanæ (puræ) cum periculo vitæ non obligent, non deest tamen Magistratui ciuili (multò minus Ecclesiastico) potestas lege obligandi cum tanto periculo *b*, si necesse sit, idque iustè velit legislator, quod num ita sit, ex subiecta materia, aliisque peculiaribus indiciis poterit cognosci. Certum est, per accidens aliquando ita obligare c, si nimirum simul concurrat obligatio alicuius naturalis seu diuinæ legis, cum vitę periculo obligantis.

a *Val. q. 5. p. 6. Sylu. v. Metus num. 7. Medin. q. 96. artic. 4. Azor. l. 5. c. 11. q. 1. Vasq. d. 161. c. 2. post S. Thom. quodlib. 11. a. 9. Gabr. Maior. Sot. &c. contra Caiet. & quosdam Canonistas.* b *Sot. l. 1. de iust. q. 6. a. 4. in fine & in 4. dist. 22. q. 1. a. 4. Ledes. 2. par. q. 10. a. 5. & q. 25. a. 3. & alij cit.* c *Val. cit. com.*

43. Lege superioris, per se loquendo, omnes eius subditi obligantur; sed non nisi adulti & ra-

tionis compotes, vt qui soli eam propriè obseruare possunt *a*. Jnfantes autem & amentes materia quidem legis esse possunt *b*, sed non terminus, ad quem lex dirigatur *c*. Pueros tamen ante duodecimum, imo & decimum ætatis annum, & quidnî statim post rationis vsum, obligari præcepto abstinendi à carnibus & cibis vetitis, missamq; audiendi, satis certum videtur *d*. Jmo non nemo probabiliter asserit, consuetudinem sic interpretari legem *e*, vt etsi mortaliter non peccent seu pueri, ante septennium ingrediendo monasteria monialium, seruantium clausuram, vel edendo carnes diebus prohibitis, seu etiam qui eos introducunt, vel admittunt ad monasteria, vel eis carnes præbent, &c. secus tamen se res habeat, si post septennium id fiat. Lege Ecclesiastica, esto, puer ante duodecimum ætatis annum, non obligetur *f* ad confitendum & communicandum (quod non nemo extendit ad annos *g* pubertatis:) lege tamen diuina multò citius ad confitendum *h*, & ex probabiliori, saltem in articulo mortis, etiam ad communicandum *i* obligatus esse potest. *Censuram*, ait quidam *k*, *nemo incurrit ante annum decimum, nec fortè ante annos pubertatis, secundum quorundam l probabilem sententiam:* quod tamen aliis *m* non immeritò displicet.

a c *com.* b *V.G. ne tem. inter d. sepeliantur in loco sacro. Azor. l. 5. c. 11. q. 4. Sal. d. 16. s. 13. nu. 124. Couar. Cord.* d *Sal. n. 127. Azor. l. 7. c. 27. q. 2.*

q.2.Sa.v.Ieiun.com.post Innocent. Caietan. Cord. Ang. Syl.cont. Sot.4.d.12. quæst.1.a.11. e *Cord.Sum.q.40.sig.Sal.* f *Sot.Cord.l.c.Val. tom.4.d.6.q.8.p.4. Henriq.l 8.c.42.num.4. Suar.tom.3.d.70.s.1.&c.ex Cap.omnis vtriusque de pœnit.& remiss.* g *Cord.l.c.Vigu.de Confess.v.14. Sa.v. Confessio.* h *Sal. Cord.l.c.post S.Thom. Syl. Tab. Viuald. com.* i *Sal. Suar.l.c.cont.Cord.* k *Sa.v.Censura.* l *Sot.4.d.18.q.1.a.3.* m *Cord.Sal.l.c. Azor. lib.5.c 11. q.4.ex com.iux.Cap. Pueris de Sent.Excommun.*

44. De principe lis est,an is legibus suis teneatur,multis *a* negantibus. Nos cum probabiliori Theologorum *b* sententia,principem quoad vim coactiuã suis legibus exemptum volumus, quoad vim directiuam eisdem illum subiicimus; si modo rationes & conditiones eiusmodi legis æquè etiam in principe locum habeant. Neque tamen directè ac ex vi ipsius per se legis humanæ, sed indirectè *c* ac ex vi legis naturalis eum obligari existimamus.

a *comm.Iurisperit.propter L.princeps ff.de legibus & senatusconsultis.* b *S.Thom.q.96.a.5. ad 3.Caiet. Conrad. Medin.ibid. Sot.l.1.Inst. q.6.a.7. Victor.relect.de potest.ciui.n.21 Sal. q.96.d.14.s.2.Suar.in 3.p.tom.4.d.36.s.2.n.5. & d.52 s.1.n.12.& hîc lib.3.c.35. nu.4. & 15. com.iux.Cap Cum omnes de Constit. & L 4. de leg.& constit.princip.* c *Sal.d.14.s.2.Azor. lib.5.*

lib.5.c.11 Medin.l.c.Vasq.dist.167.c.3. & ferè Val.q.5.p.4. Caiet. Sot.&c. contra Suar.l.3. c.35.n.8.

45. Ad eundem modum (quoad vim scilicet directiuam tantum) etiam Clerici obstringuntur legibus Ciuilibus *a* principum sæcularium, quæ spectant ad communem Reipublicæ gubernationem & pacem, nec cum sacris Canonibus, & statu Clericorum, aut concessis priuilegiis pugnant; quales v. g. sunt, quæ iusta rebus precia designant, quæ prohibent, ne quis armatus, aut sine lumine noctu incedat, neue ex prouincia frumentum exportetur, &c. ob quarum legum transgressiones, etsi Clerici ab ipso Magistratu ciuili iudicari aut puniri nullo modo possint *b*, possunt tamen ab Ecclesiastico. Et videtur probabilius, Clericos legibus eiusmodi politicis non obligari nisi indirectè, ex vi ipsius Iuris & naturalis & Canonici *c*.

a Bellarm.l.1.de Clericis c.18. & opusc.de Cleric. c.1 Vasq.d.167 c.4.Medin.q.96.art.5.Victor. relect 1.de potest.Eccles.q.vlt. Sot.lib.1.Iust. q.6.a.7 Suar.l 3.c.34.n.6.comm.ex Cap.1.de noui operis nũtiatione. Cap.si in adiutorium d.10. vnde in Cap. de Capitulis ibid. ait Pontifex, se curare, vt Imperatoris leges seruentur, &c. contra Nau. consil.3. de constit. n.4.

b *Cap. Ecclesiæ S.Mariæ, & Cap. Benè quidem d 96 Cap. Cùm non ab homine, de iudiciis.cap.qualiter & quando ibid.Cap, Cum laicis*

laicis de rebus Eccles. Cap. significasti de foro comp. Bulla Cœnæ. §. 15. & 19. Concil. Lat. sub Leone X. c *Azor. lib. 5. c. 12. q 3. & tom. 2. l. 9. c. 7. q. 8. & 9. Vasq. d. 167. c. 4. Suar. l. 3. c. 34. n. 12. & 13. post Decium, Rebuffum; Pet. Greg. Zerolam, Castro, Ioan. Medin. iuxta cann. citt. contra Bart. Panorm. Victor. Sotum. Medin. Sal. d. 14. s. 8. num. 94. & 104. sig. Bellarm. loco cit.*

46. Aduenæ illi, qui alicubi habitant, siue aliquo deueniunt; cum animo illic perpetuo, vel maiore anni parte, imò etiam breuiori tempore habitandi *a*, tenētur ratione domicilij, tabernę, officinæ, vel horrei saltem conducti, legibus illius loci, in quo versantur, tam quoad ieiunium, quàm quoad alia instituta: nisi quis fortè iam alibi expleuerit eiusmodi ieiunij, aut festi diei legem *b*. Viatores autem & peregrini *c*, qui per aliquem locum solùm transeunt, sine animo illic habitandi, ij per se particularibus eius loci legibus, ad ipsam cum ciuibus communicationē alioqui haud spectantibus, non videntur obligari: etsi per accidens ob vitandum scandalum, &c. non rarò eas seruare teneantur.

a *Medin. q. 96. c. 5. Azor. lib. 5. c. 11 q. 3. & l. 7. c. 30. q. 4. Sal. d. 14. s. 4. Suar. l. 3. c. 33. nu. 3. Leß. l. 4. c. 2. dub. 7. com. ex cap. Illa d. 12. & Can. quos contra dist. 8.* b *Sal. Leß. l. c.* c *Palat. 4. d. 15. q. 4. Medin. l. c. Henriq. l. 9. c. 25. n. 2. Suar. 3. p. tom. 3. d. 44. s. 3. post Archid. Host. Felin. Ant.*

Palud.

præſcriptam (annis 40. contra Ius Canonicum, contra Ciuile 10. inter præſentes, 20. inter abſentes *c*,) adeoq́; bona fide, non improbante principe, ſeruatam: quæ tamen præſcriptio neceſſaria nō eſt *d*, ſi princeps eius conſuetudinis conſcius ſponte connixerit. Similis conſuetudo *e*, ſaltem decennio præſcripta, habet vim legis.

a *Cap. Cum dilectus, de conſuet. Cod. quæ ſit longa conſuet. L. 2. S. Thom. q. 97. a. 3.* b c *Sylu. V. conſuet. q. 7. Molin. Iuſt. t. 1. diſt. 77. Azor. l. 5. c. 17. q. 8.* d *Medin. Val. inf.* e *Molin. l. c. iux. Can. conſuetudo d. 1. & L. 32. ff. de leg. Suar. l. 7. c. 15. comm. contra quoſdam Iuriſtas.*

49. Diſpenſare, etiam propriè dicta diſpenſatione, in lege humana, poteſt ſimiliter Princeps, qui eam tulit, & eius ſucceſſor, vel cui id iſti commiſerint, ex cauſa tamen rationabili; ſine qua licet valeat diſpenſatio liberè facta per *a* ordinariam poteſtatem, (ſecus *b* ſi fiat ex commiſſione) licita tamē non eſt, ſed tam is qui diſpenſat, quàm is cum quo diſpēſatur, peccant *c*, non quidem directè contra legem humanam, in qua validè eſt diſpenſatum, ſed contra naturalem, ſecundum quam turpe eſt, partem diſſidere à toto, & aliis partibus, cum quibus alioqui eiuſdem eſt conditionis, etſi fortè hoc peccatum per ſe non ſit graue *d*. Quòd ſi in diſpenſationis petitione falſa cauſa exprimatur, aut taceatur conditio, quam leges iubent exprimi, diſpenſatio tali petitioni nixa, eſt nulla *e*. Sed nec diſpenſatio-

ne

ne opus est *f* si quo casu moram non ferente, prudenter iudicetur, obseruatio legis esse bono communi perniciosa, atque à mente Principis aliena.

a *Ex commu. S.Thom.q.97.a.4.Val.q.5.p.9.Sal. d.20.n.37.contra Vasq.d.178.c.4.&c.* b *Val. Sal.l.c com.post Caiet.Sot.Sylu.Couarr.&c.* c *S.Thom.l.c.com.* d *Sot.1.de Iust.q.7.art.3. Nauar.præl.9.n.12.14. Sal.d.20.n.54. & 58. contra Val.* e *com.apud Sylu.V. Dispens.n 2. Sa.ibid.n.10.ex cap.2.de filiis presb.in 6.cap. Ad audientiam 2 de rescriptis.cap. Non potest de præb.6.* f *S.Thom.q.96.a.6.*

50. Eodem modo potest Princeps aliquem ab obligatione legis eximere per priuilegium *a*; quod si sit contra ius commune, aut alioqui odiosum, strictè est interpretandum *b*, neque vltra proprietatem verborum extendendum; amplè verò *c*, si non contra, sed solum præter ius commune sit, neque vlli præiudicans. Amitti *d* potest, præterquam quod lapsu temporis designati, non autem morte concedentis, exspirat, I. Per reuocationem superioris; II. Per resignationem citra alterius tamen præiudicium factã. III. Per abusum, hoc est, tam per non vsum, si videlicet, interueniẽte saltem præscriptione, decem annis *e* vsus priuilegij, etiam existente aliàs occasione vtendi, fuerit intermissus; quàm per contrarium vsum, virtualis renuntiationis vim habentem, ad quam vnus *f* etiam actus priuilegio

gio

gio directè aduersus sufficere potest, si sit priuatæ tantùm alicui personæ concessum; secus si toti communitati.

a *Val.q.6.p.1.com.* b *iuxta reg. Iuris 15. & 28. in 6. & cap. Cùm dilectus de consuetud.* c *cit. reg.15.cap.Cùm dilecti de donat. & L. Beneficia.ff. de constit. Principum. com.apud Sylu. V priuil.3.n.3.Nauarr.manu.c.10.nu.79. & l.5.consil. de priuileg.consil.13. Azor.l.5.c.22. q.2.Sal.d.17.f.7.Suar.l.8.c.27.* d *Sylu.l.c.q.7. Suar.l.8.c.30.& seqq.* e *comm.iuxt.L.1.ff.de nundinis.Vide Suar.l.7.c.34 nu.21. & 28. & Sal.dist.17.f.13.* f *com. apud Sylu. Azor. &c. iuxta cap.Cùm accessissent de Constitut.& L. vlt.ff.de veteranis. Nec repugnat Suar.l.8. c.35.n.10.& 14.*

51. Reuocatio priuilegij solum locum habet in Principe *a*, qui cõcessit priuilegium, aut eius successore, idq; respectu subditorum tantùm *b*, & (seclusa saltem speciali & extraordinaria causa) quoad priuilegia merè gratuita, ac quibus nullum ius propriè in alterum translatum est, quæq; proinde in sola facultate seu licentia operandi aliquid prẹter commune ius consistunt *d*. Hæc reuocatio *e*, sine omni causa, valida quidem est, sed culpabilis nonnihil. Quod si Princeps generatim reuocet priuilegia, non censetur reuocare ea, quæ sunt in corpore Iuris, nisi illorum fiat expressa mentio *f*. Priuilegiis autẽ specialibus derogatur generali derogatione *g*, posita

b   sita

sita in iure communi, nisi fortè sint priuilegia fauorabilia miserationis, pietatis, aut aliqua speciali clausula munita. Priuilegiis quoque habentibus clausulas derogatoriarum derogatorias, ita vt reuocari non possint, nisi fiat earum mentio expressa, & de verbo ad verbum, &c. derogatur per derogationem generalem *h*, cum clausula, *Non obstantibus quibuscunque, etiamsi eorum de verbo ad verbum, &c* aut *non obstante priuilegio, sub quacunque verborum forma concesso.*

a b c d *Suar. l. 8. c. 37. ex com.* e *Suar. l. c. Sal. d. 17. nu. 70.* f *Nauar. l. 5. consil. 7. de priuileg. n. 17. Carbo l. 9. d. 8. Suar. l. 8. c. 38. n. 1 comm.* g *Nauar. l. c. n. 7. & 20. cum Decio & comm.* h *Sylu. l. c. q. 7. Nauar. n. 30. Azor. lib. 5. c. 22. q. 12. Sal. d. 17. n. 71. Suar. l. 8. c. 38. iuxta Clem. 1. & 2. de sepult. & Styl. Cur. con. Decium, etc.*

52. Si quando duo priuilegia sibi mutuò aduersantur, Speciale seu prius seu posterius, derogat generali. Sin autem vtrumque est generale, aut vtrumque speciale, distinguendum est: nam vel vtrumque continetur in iure communi, & tunc posterius derogat priori; aut neutrum est in iure communi, & tunc valet prius, non posterius, vtpote quod Princeps censetur ex ignorantia prioris concessisse, nisi in eo fiat prioris mentio; aut vnum est in iure communi, nõ alterum, & tunc valet id quod est extra ius, quia Princeps præsumitur sciuisse quod est in iure.

Ita cum Abb. Azor. lib. 5. c. 22. q. 13. Sal. d. 17. s. 14.

Suar.

Suar. lib. 8. c. 39 & ferè glossa in Cap. 1 de rescriptis iuxta Cap. 1. de Constit. in 6. & Cap. dudum. §. Nos igitur & Cap. quamuis sibi de præbend. in 6. &c.

53. Priuilegia *ad instar*, aut per communicationem semel concessa, vti per se nec extenduntur ad ea quæ exemplari, siue principali, eiusue possessori postea fuêre adiecta, vel concessa *a*, nec confirmantur, principali postmodum confirmato *b*; ita nec reuocantur *c*, diminuuntur, vel amittuntur, reuocato, diminuto, vel amisso postea principali, aut è contra. Sed nec confirmatio priuilegij in forma communi restituit reuocatum seu amissum priuilegium, nec ius nouum confert, aut contrariam præscriptionem interrumpit *d*: secus si confirmatio priuilegij facta sit ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis *e*, &c. nisi fortè priuilegium illud fuerit in Concilio generali reuocatum *f*, &c. idem ferè de priuilegij innouatione dicendum est *g*.

a c *Suar. l. 8. c. 15. n 3. 4. & 5. & c. 16. n. 16. & 17. ex com.* b *Suar. c. 19. n. 9. com.* d e *Idem l. 8. c. 18. n 8. & c. 20. n. 2.* f *Idem c. 19. num. 5. com. contra Felin. &c.* g *Suar. c. 20. nu. 5. & 8. ex Cap. quia intentionis & Cap. ex par. 1. de priuileg. & Cap. Cùm dilecta de confir. util. & Bulla Iulij II. Anno M. D. IV. In militantis, &c. com.*

FINIS.

In I. II. ſancti Thomæ.

Diſputatio Theologica IV.

DE DIVINA GRATIA.

Propoſita Ingolſtadij anno M. DC. IV.

VT omnem de gratia diſceptationem non ingrata methodo exequamur, de natura eius ac partibus ſubiectis primùm, hinc de neceſſitate, mox de cauſſis, ac demum de effectis einſdem, tùm formalibus, tum efficienter productis per quatuor capita, ordine, ſed breuiter agemus.

CAPVT I.

De natura diuinæ gratiæ, eiusq́; partibus ſubiectis.

Thesis Prima.

GRatia diuina iuxta Auguſtinum *in Pſal. 49. etc.* ſic dicta, quia *gratis datur*, etſi nonnunquam

quam tum in ſcripturis Sap.16.&c.tùm à SS.Patribus, ſpeciatim in 6.Synodo act.11. accipiatur pro quouis gratuito beneficio Dei; in propoſito tamen donum Dei aliquo modo ſupernaturale ſignificat, quo aut beati ſumus, aut ad beatitudinem ducimur.

2. Omnis hęc gratia variè diuiditur. Quædam enim increata eſt, quædam creata. Item alia habitualis, alia actualis; rurſum alia gratis data dicitur, alia gratum faciens. Hæc ipſa demum in excitantem & adiuuantem, in operantem & cooperantem, in præuenientem & ſubſequentem, in ſufficientem & efficacem diuiditur, de quibus ordine dicemus.

3. Gratiæ increatæ accenſetur tum prædeſtinatio ac beneuolentia diuina, ſeu propoſitum gratiæ Dei, de quo Apoſtolus Rom.4.2.Tim.1. ea videlicet notione, qua etiam Ariſt. 2. Rhet.7. dicit, gratiam eſſe, per quam aliquis *gratis quippiam facere dicatur:* tum gratia vnionis in Chriſto, tum beatitudo obiectiua, quę eſt Deus, *merces noſtra magna nimis.* Geneſ.15. ac inprimis etiam Spiritus ſanctus. *Gratia quippe Dei*, inquit Auguſtinus ſerm.61.de verbis Domini, *donum Dei eſt. Donum autem maximum ipſe Spiritus ſanctus eſt, & ideo gratia dicitur.*

4. Dari gratiam quandam creatam ac inhærentem, eamq; tum habitualem, tum actualem, nec hæretici quidem vniuerſim negant. Jllud in controuerſiam vocant, an gratia ſanctificans,

 per

per quam vere ac formaliter coram Deo iusti sumus, sit inhærens animæ qualitas. Vbi cum in negatiuam partem consentiant omnes, in eo tamen dissentiunt, quod nonnulli ipsam increatam Dei iustitiam, alij creatam Christi iustitiam nobis imputatam eo nomine censent.

5. Vtrosque iure optimo damnat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & can. 11. Si enim, vt Scripturæ aperte testantur, ita per Christi obedientiam *iusti constituimur, sicut per Adami inobedientiam peccatores*, Rom. 5. Si *qualis cœlestis*, (homo Christus) *tales & cœlestes*. 1. Corinth. 15. Si *omnis habens spem in Deo* (vtique charitati iunctam) *sanctificat se, sicut etiam ille sanctus est*. 1. Ioan. 3. Si *faciens iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est*. ibid. Si Deus *apud eum mansionem facit*, Ioan. 14. Si cum iusti sumus, *in Deo manemus, & ipse in nobis*. 1. Ioan. 4. Si per iustitiam *Spiritus Dei habitat in nobis, ac propter eundem inhabitantem spiritũ viuificabit mortalia corpora nostra*. Rom. 8. euidens est, iustitiam esse aliquid in nobis inhærens.

6. Rursum si iustus ratione iustitię verè *ex Deo nascitur*, 1. Ioan. 3. Si verè *noua in Christo creatura est*, Ephes. 2. Gal. 2. Si *lux in Domino*, Ephes. 5. Si iustitia *semẽ Dei in iusto manens*, 1. Ioan. 3. Si diuinum quoddam cordis *signaculum, & acceptum pignus hæreditatis, ac thesaurus quidam in vasis fictilibus*, 2. Cor. 1. & 4. Si sacrũ animæ *indumentũ*, Gal. 3. Si *spiritus adoptionis filiorum Dei, quem acce-*

cepi-

cepimus, Rom. 8. Si vere *charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Rom. 5. *vt filij Dei nominemur & simus*, 1. Ioannis 3. Si inquam hæc omnia Spiritus sancti effata verissima sunt, quomodo iustitia, per quam formaliter iusti sumus, in nobis inhærens non est?

7. Demum quoties in Scripturis peccatum penitus *tolli, aufferri*, non tegi tantùm significatur, quod passim sine numero legimus; quoties item homines in Scripturis verè dicuntur *abluti, sanctificati, iustificati, iusti*, vt Gen. 6. & 7. Iob 33. Psalm. 31. Luc. 1. Hebr. 11. 1. Cor. 6. toties illa hereticorum insania iugulatur. Sicut enim nihil lucidum, album, molle, dulce, aut alia demum qualitate verè affectum dici potest, nisi ab eiusmodi qualitate re ipsa inhærente; ita vere iustum aut iustificatum dici absque inherente iustitia & sanctitate, cum ratione ex aduerso pugnat.

8. Nec ignorant hoc aduersarij, qui idcirco aiunt, iustificationem hominibus adscriptam modo forensi duntaxat accipi, vt iustificari sit iustum pronunciari, non fieri. Ineptè contra nominis Etymologiam; impiè contra Scripturarum veritatem; impudēter contra sanctorum Patrum authoritatem, & totius Ecclesiæ consensum.

9. Vnum Augustinum audiamus: *Gratia Dei iustificamur*, inquit, *hoc est iusti efficimur*, lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 33. *Quid est aliud*

iustificati, quam iusti facti? de spirit. & lit. cap. 26. *Iusti enim facti sunt, cũ iustificati sunt.* Epist. 105. *Antequam gratia iustificetur, id est, iustus efficiatur impius, quid est nisi impius?* Epist. 106. *Credens in eum, qui iustificat impium, id est, ex impio facit pium,* Epist. 120. cap. 20. Qui etiam alias perpetuo inculcat, iustitiam, qua propriè iusti sumus, esse iustitiam *à Deo factam in nobis.* Vide in Psalmo 98.

10. Sed cum hæc dicimus, proiicere videmur ante porcos margaritas, quas impuro rostro commaculent. *Ac ne Augustini quidem sententia,* inquit Caluinus lib. 3. cap. 11. §. 15. *recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem generamur.* Et Kemnitius 1. parte Exam. *Non mouemus,* inquit, *litem quomodo iustificationem accipiant Patres.* Et infrà: *Non ignoro,* ait, *aliter loqui Patres; sed de proprietate linguarum quæstio est.* Deo gratias. Dum enim isti nobis sanctos Patres progenitores relinquunt; se planè vt spurios, & malo incubo natos, damnant.

11. Sed & proprio dogmate iugulantur. Quisquis enim ab aliquo veraciter iustus pronunciatur, eum necesse est, habere veram iustitiam internam coram eo, à quo iustus pronunciatur; atqui nisi manifestè blasphemi sint, negare non possunt, hominem à Deo veraciter iustum pronunciari: ergo etiam fateantur necesse est, hominem cùm iustificatur, habere veram iustitiam inter-

Internam coram Deo. & vnde, nisi in iustificatione infusam?

12. Et quia hæc omnia Scripturarum, sanctorum Patrum, & rationum momenta non minus ad paruulos, quàm adultos pertinent, præterquam quod pleraq; ex allatis Scripturæ testimoniis propria phrasi permanens quiddam significant; nihil dubitamus, de fide esse, gratiam iustificantem esse non modò aliquid inhęrens, quod expreßè definit Concilium Tridentinum loco cit. sed etiam habituale, quod idem aperte significat cap. 7. definiens, hominem in ipsa iustificatione, cum remißione peccatorum hæc omnia simul infusa accipere, per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem; quæ tria etiam Apostolus manere, adeoque stabile quiddam esse indicauit 1. Cor. 13.

13. Hinc ergo ad gratiam habitualem pertinent, tum inprimis ipsa gratia sanctificãs, quam S. Thomæ schola 1.2. q. 110. art. 4. melioribus rationibus à charitate distinctam, in ipsa essentia animæ collocat; tum tres virtutes Theologicæ, item septẽ dona Spiritus sancti, quæ etiam propterea, super eum, cui insunt, *requiescere* dicuntur. Isai. 11. ac demum ex probabilissima sententia alibi constituta, virtutes quoque morales infusæ: & si quæ etiam ex gratiis gratis datis, in habitibus censeri poßunt; vt de dono linguarum sensit S. Thomas in 2.2. quæst. 176. a. 2. de hoc & nonnullis aliis Medina *in 1.2. q. 110. a. 1.* & Bellar.

lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 10. etsi aliter Suarez in 2. *tom. disp. 21. sect. 1.*

14. Ad actualem gratiam spectant, tum actus omnes virtutum ac donorum supernaturalium; tum omnia auxilia actualia gratiæ, ac in primis diuinæ inspirationes, illuminationes, ac motiones Spiritus sancti, quas sibi excitans gratia, de qua infra, propriè vendicat; item gratiæ quędam gratis datæ, vt gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, &c. ac demum omnis actualis motio, seu operatio, naturæ limites transcēdens, & ad finem supernaturalem pertinens.

15. Neque verò putes, gratiam gratis datam, cuius partes quasdam subiectas numerat Apostolus 1. Corinth. 12. ideo gratis datam dici, quod gratia gratum faciens illi opposita, gratis data non sit; sed quia illa propriè ac per se ad vtilitatem aliorum, non habentis, ordinata, per se hominem Deo gratum non facit, vt ista: idcirco apud Theologos hæc quidem speciale, ac proprium nomen commeruit, illa commune generis nomen retinuit.

16. Gratia excitans seu vocans comprehendit omnis generis illuminationes, seu inspirationes diuinas; adeoque, aut intellectus, aut voluntatis motiones, quibus subinde ad rectè operandum diuinitus excitamur; relicta interim sua voluntati, seu consentiendi, seu repugnandi libertate; vt patet ex Conc Trid. sess. 6. c. 5. & can. 4. Occasiones & obiecta extrinsecus excitantia, cuius-

modi

modi sunt, infirmitas, pericula, boni socij, exhortationes piæ, &c. de quibus Augustinus *l.83. qq.q.68. & lib.1. ad Simplicianum, & de spiritu & lit. cap.34.* reuocantur quidem ad gratiam excitantem; attamē excitationem formalem, in qua essentialiter consistit gratia excitans, non constituunt, vt rectè Greg. Val. *hic q.3.p.3.§.1. Suarez lib.3. de auxil. gratiæ cap.4. n 4.*

17. Gratia adjuuans, est auxilium diuinū, seu actuale seu habituale (nam & gratiā iustificantē valere in adiutorium definit Mileu. can.3. quidquid Vega lib.8.c.13. dixerit.) quo homo adiuuatur, vt vocationi diuinæ ipso facto respōdeat. Vtramque gratiam aperte Scripturæ indicant. Philipp.3. *Qui seminauit bonum desiderium, ipse perficiet.* 2. Timot.1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta.* Apoc.3. *Ego sto ad ostium & pulso; si quis aperuerit, intrabo, &c.*

18. Adiuuantis speciatim fit mentio Psal.26. *Adiutor meus esto;* & Psal.74. aliisque prope innumeris locis: *Adiuua nos Deus.* Rom.8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* 1. Cor.3. *Coadiutores sumus Dei.* Sanè, qui in agendo aut ab altero adiuuatur, aut collaborat alteri, non agitur tantum, sed agit, etsi non solus. Quanta igitur Hæreticorum amentia est, omni adiuuantis & cooperantis gratiæ ratione sublata, aut Deum cum homine operantem, aut hominem Deo cooperantem non agnoscere? Sed de ratione gratiæ adiuuantis plura sequenti titulo.

19. Mo-

19. Motiones gratiæ excitantis diuinitus immissæ, non quidem liberæ, sed quod natura tamen rerum postulat, vitales sunt, vt habet communis Theologorum sententia; quicquid sine fundamento neget Vega, *lib. 6. in Trid. cap. 8. &c.* Refert Suarez *lib. 3. de auxil. grat. cap. 4. n. 12.* multos probabiliter existimasse, hos motus gratiæ excitantis, non esse supernaturales quoad substantiam, sed solùm in modo, quo ex speciali Dei prouidentia & ordinatione, ita à Deo tribuuntur, vt animum excitent ad supernaturales actus; atqui sine dubitatione asserendum, ad hos actus, ordinatos, etiam quoad substantiam supernaturales esse, vt habet communis.

20. Latissimè patent hęc (quę specialia dicuntur) auxilia gratiæ excitantis. Quædam enim effectum habent, iuxta illud Isai. 20. *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico.* Actor. 9. *Domine quid me vis facere?* Alia non habent, Prouerb. 11. *Vocaui & renuistis.* Rom. 10. *Non omnes obediunt Euangelio.* Quædam (specialissima vocant) morali quadam vi adeò potenter mentem commouent, vt eis resistere difficillimum sit; quocirca etiam moraliter trahere seu prædeterminare voluntatem dici possunt, iuxta illud Act. 9. *Durum est tibi, contra stimulum calcitrare.*

21. Alia item prędestinatorum propria est, quę vocatur ab Augustino lib. de prędest. Sanct. cap. 16. vocatio secundum propositum, conuenienter

ter Apostolo. Rom. 8. Alia etiam reprobis communis est. De qua omni varietate sapienter Augustinus lib. de spirit. & lit. cap. 34. *Si ad illam*, inquit, *profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur, ille autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c. Et: Nunquid iniquitas apud Deum? Quare enim*, inquit lib. de cor. & gratia cap. 5. *isti sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis & innumerabilibus modis vocentur, & reformentur, absit, vt dicamus, iudicium luti esse debere, sed figuli.*

22. Jllud tamen absque temeritate dici posse videtur, quod & doctissimi *a* sentiunt, & vix negare possunt etiam illi, qui maxime volunt, eiusmodi auxilia, etsi Deus alioqui diuidat vt vult, nihilominus ita sæpe à Deo, pro loco, tempore, aliisq; externis occasionibus suauiter attemperari, vt ad ea non parùm subinde conferat, tum bonus vsus liberi arbitrij, eius qui vocatur, & excitatur; tum etiam ministerium Ecclesiæ proponentis ea, quæ ad pietatem spectant; quod significat Apost. Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Jta nimirum Ioannis Baptistæ præconium audire de Christo, profuit Andreæ; & rursum Andreæ, Petro, Ioan. 1. & Petri, tribus millibus, Actor. 2. &c.

a *Ruardus art. 7. Pighius lib. 6. de libero arbitrio. Bunde-*

Bundersius tit. 6. a. 5. Molina in concord. q. 14. art. 13 disp. 9.

23. Gratiam operantem & cooperantem, ac rursum præuenientem, & subsequentem, etsi varij variè explicent, non tam rebus, quàm verbis, vt in nominis quæstione, diuisi; planissimè tamen & ad mentem Scripturarum & Augustini, vnde potissimum hæc diuisio sumitur, cum primis accommodatè exponunt illi, qui operantem & præuenientem eandem esse dicunt, cum excitante; cooperantem autem & subsequentem, eandem cum adiuuante: quæ vti respectu gratię vocantis dicitur subsequens, ita respectu consensus nostri est etiam concomitans. *Gregor. de Val. hic q. 3. par. 5. Suarez. lib. 3. cap. 5. a. n. 3. Vasquez 1. p. disp. 88. cap. 6.*

24. Gratia sufficiens, vt contra efficacem distinguitur, generatim est gratia, qua cum aliquis potest conuerti, suamue salutem operari, etsi suo vitio interim reipsa non conuertatur, &c. Efficax autem illa, cui vt indiuiduus comes nectitur consensus siue conuersio. Vnde dari aliquam gratiam sufficientem, quæ non sit efficax, contra Caluinum *lib. 2. Instit. cap. 3. §. 10.* non minus ex fide certum est, quam dari gratiam excitantem, quæ suo effectu careat; adeoq; conuerti potuisse multos ad Deum, qui re ipsa conuersi non sunt, de quibus dicitur Isai. 5. *Quid est, quod vltra debui facere vineæ meæ, &c.* Isai. 65. & Rom. 10. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem*

dentem & contradicentem. Prou. 1. & Hierem. 7. *Vocaui vos, & non respondistis.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis, &c.*

25. Quisquis igitur hanc gratiæ diuisionem è medio tollit, aut impiè in fidem impingit; aut inscitè de vocibus malè intellectis contendit. Sanè quidem hæc diuisio, & à Scripturis ac Patribus non minus perspicuè traditur, quàm superiores; & ad præsentem Hæreticorum insaniam iugulandam nō minus necessaria videtur, quam olim vox illa *Homousios*, ad damnandos Arrianos.

26. Gratiæ efficacis appellatio quanquam ita explicari possit, vt generatim complectatur omnia auxilia gratiæ, etiam adiuuantis, quę per modum siue principij, siue actualis concursus Dei ad conuersionem adiuuant; per quandam tamē antonomasiam, iuxta mentem Augustini, *lib. 1. ad Simplicianum q. 2. &c.* tribuitur illi gratiæ vocanti; quam Scriptura, respectu prædestinatorum, vocationem *secundùm propositum.* Rom. 8. Augustinus etiam *altam atque secretam*, & qua nonnulli *congruenter vocantur*; multi Scholastici recentiores generatim & absolutè *congruam* dixerunt. *Bellarm. lib. 1. de grat. cap. 11 Suarez lib. 3. de auxil. grat. cap. 6. num. 3. & in resolut. de effic. grat. Vasquez tom. 1. disp 88. cap. 11 &c.*

27. Vnde fit, vt gratia efficax hac quidem ratione, in actu secundo (quasi *efficiens* dicta) sit

ipsa

ipsa gratia excitans siue præueniens, quatenus vna cum libero arbitrio, per gratiam adiuuantem cooperante, reipsa efficit consensum; in actu primo autem (quo modo proprie efficax dicitur) nihil aliud sit, quam eadem gratia excitans, quatenus per eam homo, priusquam conuertatur, Deo operante, adeo aptè trahitur, vt infallibiliter consentiat.

28. Consistit autem hæc efficacia, nec in ipsomet assensu aut cooperatione humana, quasi gratia hæc nude ab euentu liberæ conuersionis, quam infallibiliter secum trahit, efficax dicatur *a*: nec in motione, qua liberum arbitrij vsum omnino anteuertens, physicè prædeterminet voluntatem ad consentiendum; sed in morali vi & efficacia, coniuncta cum infallibilitate inducendi effectum, quam habet, vt subest intentioni & infallibili scientiæ Dei, à quo misericorditer condonatur. Sic enim Deo miserante, per eam *certissimè liberantur, quicunque liberantur*, vt dicit Augustinus lib. de bono perseuer. c. 14. Sic sua tam diuinæ gratiæ dignitas, quàm homini in conuersione stat libertas.

a *Bellarm. infra. Suar. &c. contra Vasq. &c.*

29. Quæ vero sententia per gratiam, seu efficacem, seu adiuuantem physicè prædeterminari voluntatem asserit; ea (saluo S. Ecclesiæ iudicio) libertatem arbitrij in rebus ad pietatem spectantibus tollere; merita & demerita destruere; sufficientem gratiam omnibus iis, qui efficaci

careant,

carent, adimere, etsi præter intentionem, videtur: vt idcirco etiam Illustrissimus Bellarminus *lib. 1. de iustificat. cap. 12.* dixerit, *videri sibi eiusmodi sententiam aut esse omnino eandem cum errore Caluini & Lutheranorum, aut parum ab illo distare*; non vtique aperta erroris professione, sed vi consequẽtiæ; quamuis & hoc illa pernegет. Tantum abest, vt è Scripturis, Conciliis, Patribus, Scholasticis antiquis, ratione comprobari videatur.

CAPVT II.

De necessitate gratiæ.

30. Jgnorantiæ vulnus in intellectu per peccatum contractum facit, vt iam nõ quidem nullum omnino verum sine gratia cognoscere possimus, seu speculatiuum de Deo rebusue creatis; vt contra communem docuit Alliacus *in 1. sent. quæst. 3.* seu practicum, idque practica cognitione, vt falsò putauit Arimin. &c. & libenter non sine auctario sequuntur huius temporis Hæretici; sed tamen, vt nec sine errore omnes veritates speculatiuas, etiam ex effectis alioqui sensibilibus cognoscibiles, nec singulas veritates practicas etiam naturales, cognitione efficaci practica; nec vllum omnino verum supernaturale vlla cognitione certa ac infallibili (incertum enim naturalem & fallibilem assensum rebus fidei præstare nihil vetat) etiam supposita diuina

reuelatione, sine speciali auxilio gratiæ credere seu cognoscere possimus.

31. Non minus per peccatum sauciata est voluntas. Cum enim homo in statu quidem naturæ integræ, absq; alio speciali auxilio gratiæ, velle & perficere potuerit omnia & singula bona naturalia seu moralia, adeoque totam legem naturalem constanter seruare, etiam amando Deum, tanquam authorem naturæ super omnia; etsi hoc nonnulli è Catholicis negent; iam tamē vti nullum bonum supernaturale (quod huic statui cum priore commune) ita nec omnia, nec singula bona moralia velle & operari, adeoque nec totam legem naturalem, diu seruare sine peculiari auxilio gratię potest. Quę sententia S. Thomæ communis & vera, inter duos veterum Pelagianorum, & nouorum Hæreticorum scopulos media secure incedit.

32. Hinc ergo, licet homo possit nōnulla quędam opera faciliora moraliter bona absque gratiæ auxilio velle & facere; vt habet communis & ferè certa sententia; (cum *gentes naturaliter ea, quæ legis sunt facere* dicantur, Rom. 2.) quidquid nonnulli negent *a*; non potest tamen aliquid, quod maiorem difficultatem habeat; vti nec vllam tentationem grauiorem sine aliquo auxilio gratiæ vincere. Nam vt Gregorius *lib. 9. moral. c. 37.* ait; Dimissus sibi cuiuslibet tentationis aura raptatur. *Vide Concil. Palæstin. apud Augustinum epist. 106.*

a *Arim.*

a *Arim.2 dist.28.q.1.art.1.concl.2. Capreol.ibidem art.3.Marsil.1.q.20.a 3.dub.1 Roffens.in refut. art.36. Cassal.1.de quadrip. Iust.c.10. Castro de hæres.v.gratia: & plus dicunt nostri Hæret.*

33. Etsi verò probabilissimum videatur, etiam in hoc statu naturæ corruptæ, posse Deum, tanquam principium & finem naturæ, absque gratia diligi aliquo imperfecto amore naturali, aut scilicet conditionato quodã vellcitatis actu placendi Deo super omnia, aut absolutò quidem, sed nõ super omnia, vt habet communis Theologorum sententia, etsi non nemine repugnante *a*; nec vero adhuc manifesti erroris argui possit illa quorundam etsi prope singularis sententia, Deum naturali eiusmodi amore etiam super omnia diligi naturaliter posse: multò tamen verius, imò absolutè sentiendum est, non posse Deum, (nec in statu quidem naturæ puræ) vllo efficaci, aut etiam absoluto dilectionis actu per vires naturæ super omnia diligi; imo nec imperfecta quidem eiusmodi dilectione, quæ propinquè ordinetur ad salutem.

a *Bellarm.lib.6 de iust.cap.7.* b *Scotus 2.dist 28. q.1. & in 3.d.27.a.3. Durand d.29.q.2. Vict. relectione de homicid. & Henric. quodlib 4. q.11. Caiet.1.2.q.109.a.3. & in opusc.de contrit.q.1.Nauar.cap.11.man.n.7.Sot.1.de nat. & grat.cap.22. Molin.in Concord.q.14.a.13. d.14.m.3.& d.19.m.6.*

34. Pelagij vel Semipelagianorum error in Concilio Arausicano can.6.7.& 25. & Trident. sess.6. can.1. 2. & 3. damnatus est, dicere, hominem per naturæ vires posse, vel à peccato resurgere, vel gratiam habitualem, seu actualem per modum meriti seu de cōdigno, seu de congruo (quidquid de gratia præueniente cum Fausto Rhegiensi, & Cassiano nonnulli scholastici imprudenter dixerint) aut gloriam promereri: aut vllum omnino præceptum supernaturale, etiam de Sacramento recipiendo, sicut oportet ad salutem, implere; ex Arausicano can.25. & Trid. sess.14. c.4. vtcunque tandem aliquis sine gratia possit velle indignè recipere Sacramentum; hoc enim facto non tam impletur, quam violatur preceptum supernaturale, vt rectè Vega, *in opusc. de iustif. q.13. & Sot. l.1. de nat. & grat. c.22.*

35. Jmo nec vitari peccatum contra præcepta supernaturalia (quanquam hæc queſtio esse potest de nomine;) nec vlla dispositio per se ordinata ad gratiam effici, ex Arausicano can.5.& 25. & Tridentina; sess.6. cap.6. & sess.14. cap.4. nec quoad substātiam quidem vllus actus fidei, spei, charitatis, aut alterius virtutis per se infusæ, absque gratię auxilio elici potest *a*; cū etiam secundùm substantiam, entitatem & essentiam suam totam, secluso omni modo extrinseco, supernaturales sint; idq; non tantum per nudum respectum ad influxum Dei supernaturalē, sed etiam ex suis propriis obiectis & motiuis, licet hactenus

nus quidem contraria multorum sententia in fide erronea necdum cẽseatur *b*: imo quidquid sit de nonnullis, etiam in bonum sensum accipi possit; intelligendo videlicet per substantiam actus non specificam, sed communem quandam eius rationem, sumptam ex obiecto materiali; quo sanè modo interpretari decet S. Thomam cum alibi, tum in *2. 2. q.171.a.2.ad*3. a b *Suar.de auxil grat.lib.3.cap.1.*

36. Vti verò sine gratiæ auxilio seruari præcepta non possunt; ita possunt cum auxilio gratiæ; non quidem vt absq; peculiari priuilegio (quale ex probabiliore præter B. Virginem nulli puro homini concessum) vitentur omnia peccata venialia, sed vt tam mortalia omnia & singula, quã venialia singula; ex Concilio Tridentino sess. 6. cap.11. can.18.& 23. Quisquis autem contrarium sentit, aut cum Pelagio de propria virtute superbiæ typho inflatus nimium præsumit; aut cum nostri temporis Hæreticis suam Deo virtutem sacrilega impietate derogat.

37. Cæterum quod ad modum & rationem gratiæ præcepta Dei seruaturis necessariæ attinet, hæc tria inprimis certa, & inter Catholicos quoad rem extra controuersiam sunt. I. ad vniuersum cumulum supernaturalium operationũ æqualem esse vocantis & adiuuantis gratiæ necessitatem. II. Nullum penitus supernaturalem actum elici posse sine actuali concursu diuino, qui sit eiusmodi actui proportionatus, adeoque

ordinis supernaturalis. III. Ad quemuis actum supernaturalem exercendum opus esse aliquo peculiari auxilio gratiæ adiuuantis, seu cooperantis, physicè concurrente, atq; distincto tum ab ipso concursu Dei, velut causæ vniuersalis in ordine rerum supernaturalium, tum à protectione, seu directione diuina, quibus impedimenta solummodo conuersionis seu actus supernaturalis remouentur; quandoquidem nec hac protectione, nec illo præcise concursu, nec vtrisque simul aut humanæ voluntatis defectus in eiusmodi actionũ genere suppletur, aut virtus completur.

38. Jllud modo inter cætera quæstionem difficillimam habet, quodnam sit illud auxilium, seu in quo consistat. Cui respõdemus, id nec esse qualitatem aliquam (fluentem vocant) qua physicè prædeterminetur voluntas, de qua re supra thesi 29. nec, vt probabilius existimamus, gratiam excitantem; nec aliam qualitatem ab actu & habitu supernaturali distinctam, quę suppleat vicem habitus; nec vniuersim ipsum habitum supernaturalem; sed in iis quidem, qui iam antea acquisiuerunt habitum eiusdem rationis cum actu illo supernaturali eliciendo, esse ipsum habitum supernaturalem; in aliis verò in actu quidem primo esse Deum ipsum efficacitate sua supplentem vim habitus; in actu verò secundo esse specialem quendam influxum, seu concursum actualem Dei, non vt causæ vniuersalis, sed

vt

vt causæ particularis, seu potius vt supplentis defectum causæ particularis in agendo.

39. Jam verò loquendo explicatius de necessitate gratiæ, tum sanctificantis, tum excitantis; etsi quidem ad nullum actum præcepti per se opus sit gratia sanctificante, quæ antecedat, & sit causa actus: (concomitanter enim, aut per modum dispositionis nonnunquam in operante requiri manifestum est.) ad totam tamen collectionem præceptorum seu naturalium, seu supernaturalium constanter implendam, adeoq; & ad perseuerandum longo aliquo tempore in accepta gratia sanctificante, opus est præter gratiam sanctificantem auxiliis actualibus gratiæ excitantis seu præuenientis, de nouo subinde ac pro ratione tēporis sæpius collatis. Nam vt præclarè dicit Cælestinus Papa epistol.1.cap.6. *Nemo etiam baptismatis gratia renouatus idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.* Quod ipsum definitur etiam in Arausicano canone decimo, & Tridentino sessione 6. cap.13.

40. Ex Concilio Tridentino sess. 6. can.3. de fide est, neminem per actum fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, &c. cum Deo in gratiam redire posse, nisi prȩuia interna gratiȩ prȩuenientis inspiratione; adeoq; nec fidelem peccatorem posse se ipsum excitare per actum fidei ad conuer-

ſionem: quidquid hîc exceptionis incautè commentus ſit Vega *lib.6.cap.7.*

41. Licet viri quidam doctiſſimi *a* ſentiant, hominem ſanctificatum non indigere auxilio gratiæ excitantis ad ſingula opera ſupernaturalia exequenda; nobis tamen, vt & aliis *b*, contrarium perſuaſerunt tum SS. Patres, & Concilia; tum inprimis Auguſtinus, qui cum vniuerſim doceat, præparari voluntatem (vtique etiam iuſtorum) à Domino, & Deum in nobis incipere, nos vocando, & ad ſe trahendo, & in nobis operando vt velimus, ſeu efficiendo in nobis (vtiq; etiam iuſtis) velle, & perficere pro bona voluntate; ſemper per inſpirationẽ, illuminationem, & vocationem, hanc Dei operationem declarat; vt videre eſt *lib. de ſpirit. & lit. cap.33. & 34. & lib. de prædeſt. Sanct. cap.19. & epiſt.107.* Quod etiam in aliis Patribus & Conciliis animaduertere licet.

a *Scot. in 1.d.17.q.1.a.2. Ruard.a.7. Molin.q.14. a.13. d.8.* b *Vega in opuſc. de iuſtif. q.14. fin. Valent.q.1.p.6. Suar. lib.3.cap.5. Azor. lib.3. cap.35.q.7. Caſtro de hæreſ. v. gratia.*

42. Ex Concilio Arauſicano hæc valde manifeſta videntur: canon.5. ſic habet: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei; ipſum nempe credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus; non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti, corrigentem voluntatem*

tatem nostram ad fidem ab infidelitate, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente; confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet. Et can. 7. expresse dicitur, *nihil quod ad salutem pertineat, posse nos cogitare aut agere absque illuminatione Spiritus sancti & inspiratione.* Quin etiam ibidem illud Ioan. 15. *sine me nihil potestis facere,* & illud 2. Cor. 3. *Non quod* idonei simus cogitare aliquid ex nobis, &c. ad eandem *illuminationem & inspirationem Spiritus sancti refertur, &c.*

43. Item canon. 9. dicitur: *Diuini est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Et can. 22. *Si quis habet homo veritatem atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in via.* Et can. 23. *Quando ita faciunt* (homines) *quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt; illorum tamen voluntas est, à quo præparatur, & obitur quod volunt.* Similiter & Cælestinus in epist. 1. ad Episc. Gal. *Præparatur*, inquit, *voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, internis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Et author lib. 3. Hypog. *In omni opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij, id est, operatur Deus, cooperatur homo.*

44. Neque tamen propterea vllus dixerit, ad singulos actus supernaturales singulis & distinctis inspirationibus opus esse. Potest enim vna & eadem inspiratio diuina, etiamsi actu præterierit, vim suam moralem extendere ad plures actus præsertim subordinatos; immo sicut fieri potest, vt suasio humana, cum actu est, nihil operetur, persuadeat tamen cum præteriit, ita etiam fieri posse, vt inspiratio diuina, cum in iusto, tum in peccatore, postea primùm, quando iam desiit vim suam moraliter habeat, graues Theologi tradiderunt *a*: Etsi forte cui interim probabilius videri possit, hominem supernaturaliter operandi initium facere non posse, nisi excitatione supernaturali actualiter & physice præsente; vt lapis alicubi hærens motum inchoare non potest, nisi motus.

a *Bellarm, lib. 6. de grat. cap. 15. Gregor. Val. hic q. 3. p. 3. & 4. Suarez 3. de auxil. grat. cap. 4. n. 5. & 13.*

45. Quin etiam illud animaduertendum est, posse non quidem ipsum virtutis habitum, vt nonnulli putarunt, sed vnum tamen actum supernaturalem, v. g. fidei respectu alterius, puta spei, vicem & officium inspirantis gratiæ præstare *a*. Et quamuis alioqui ad operandum supernaturaliter opus sit gratia excitante, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, ob parem vtriusq; imbecillitatem, vt contra Pelagium definit, Concil. Arausi. & Mileuit. can. 4. non est tamen

tamen improbabile, posse nonnunquam voluntatem immediatè post perfectam illustrationem intellectus, nō interueniente vllo alio motu imperfecto sibi inhærente, consensum supernaturalem præstare *b*,

a b *Suarez cit. cap. 4. num. 3. & 15.*

46. Quamuis autem dubitandū non sit, Deum pro consueta sibi pietate, tanto vberiora auxilia gratiæ excitātis homini dare solere, quāto quisque iam ante collatis studiosius vsus fuerit; vt & in hoc genere *habenti detur ab abundantiam*, & *fidelis seruus supra multa cōstituatur*: quin etiam iuxta Augustinum de nat. & gratia cap. 16. possit homo post primam gratiam excitantem, aliquo modo se disponere ad sequentes, quæ vlterius necessariæ sint, recipiendas, si quod in se est, cum illa faciat, maximè petendo & orando: illud tamen magnopere cauendum, ne quid temerè in hoc genere nostræ industriæ arrogemus. Nam vt ad primam gratiam excitantem recipiendam, nulla dispositio ex parte hominis simpliciter est necessaria, cùm etiam indignissimis detur, ita nec vlla hominis industria sufficiens est, ad certò impetranda vberiora auxilia, quàm quæ sint necessaria, sicut etiam nulla dispositio solis naturæ viribus elicita, valet ad vllum gratiæ excitantis auxilium certò impetrandum.

47. Vnde vulgatum illud axioma Theologorum, *Deum facienti quod in se est, non negare auxilium gratiæ*, à S. Bonauentura, *2. d. 28. a. 2. q. 1.*

&

& à S. Thoma, *in 1.2. q. 109. a. 6. ad 2.* quidquid hic olim dixerit, iuxta communem, optimè explicatur de faciente, quod in se est, non per vires naturæ, sed per exhibitum præuenientis gratiæ auxilium. *Auertat enim Deus hanc amicitiam, vt in donis Dei nos priores faciamus, posteriorem ipsum,* inquit Augustinus lib. 2. cont. 2. epistolam Pelagij cap. 9.

48. Neque tamen propterea, qui ex Theologis aliter quandoque locuti sunt, omnes continuò erroris Pelagiani, aut Semipelagiani damnandi sunt, à quo plerique duplici ratione vindicari possunt. Prima, si iuxta doctrinam quandam S. Thomæ *lib. 3. cont. gent. cap. 159. & in 1. 2. q. 112. a. 3.* asserentis, hominem suis viribus gratiam non quidem acquirere, sed impedire posse, ita intelligantur, videlicet Deum eiusmodi primum auxilium gratiæ, dare facienti quod in se est, per vires naturæ, hoc est, non ponenti obicem per peccata contra legem naturæ, à quibus saltem singulis, imò etiam omnibus, ad breue tempus abstinere, sine positiuo & inhęrente auxilio gratiæ quisq; potest. Altera, si dictum illud ita accipiatur, non quasi homo quocunque demum eiusmodi conatu naturæ, dignus efficiatur talibus auxiliis, vllaq; ratione ea promereatur, sed quia tamen ex sola misericordia Dei, statuentis, hanc velut manum extendenti eleemosynam certò conferre, gratis quidem omnino, sed infallibiliter tamen accipiat; cùm econtra

Semi-

Semipelagiani meritum saltem de congruo in eiusmodi operibus naturæ posuerint; quomodo explicata eiusmodi propositio, etsi nostra quidem sententia omnino improbabilis sit, tamen grauibus Theologis etiam hodie nulla grauiore nota digna iudicatur. *Medina 1.2.q.109. a.6.ad 3. Suarez lib.3.cap.6. Seuerius censet Vasquez tom.1. disp.91.cap.10.*

49. Nec illud etiam placet, quòd nōnulli tradiderunt *a*, posse iustum sine peculiari auxilio gratiæ excitantis orare, & sic impetrare à Deo peculiare auxilium gratiæ. Nam vt rectè etiam notauit Greg. Val. secundùm scripturam, *Quid oremus sicut oportet nescimus; sed spiritus adiuuat infirmitatem nostram, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8. Et Concilium Arausicanum can. 3. *Si quis*, inquit, *per humanam inuocationem dixerit gratiam Dei conferri, & non potius ipsam gratiam facere, vt à nobis inuocetur, contradicit Isaiæ, vel Apostolo: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.*

a *Vega quæst.14.de iustif. Ruard. Molin.*

50. Deus igitur est, *qui actiones nostras præuenit & adiuuando prosequitur*. Deus est, vt ait Innocent. in epist. 91. inter August. qui *quotidiana præstat remedia, quib⁹ nisi freti, confisiq; nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* Deus est, qui *semel sua gratia iustificatos non deserit, nisi ab ipsis prius deseratur*, Concil. Trident. sess. 6.

sess. 6. cap. 11. *In hoc ergo Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, &c. modo etiam illi, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis & castitate, &c.* Trid. ibid. cap. 13.

51. Sic igitur nulli iusto deest sufficiens auxilium ad perseuerandum, vt definitur in Concilio Arausicano can. 25. & Tridentino sess. 6. cap. 13. & can. 22. ita quidem, vt etsi quis forte sua culpa perseueraturus non sit, adeoq; reipsa donum perseuerantiæ non habiturus; nemo tamen sit; qui cum eiusmodi auxiliis gratiæ, quæ Deus paratus est dare, perseuerare non possit.

52. Quod vero ad peccatores attinet, etsi varij variè loquantur, nos tamen de Deo in bonitate sentire docti, ita censemus. Primò hæresim esse, dicere, Deum generi humano, ita sufficienter non prospexisse, vt plus ab eo iure exigi possit. Secundò, erroneum esse dicere, aliqua peccata seu certam quandam peccatorum malitiam esse, propter quam Deus certa & communi aliqua lege, sufficiens gratiæ auxilium omnino deneget *a*. Tertiò, falsum videri & aliquo sensu hæreticum, adultis vnquam negari sufficiens auxilium ad vitanda peccata *b*. Quartò, improbabile videri, Deum vlli adulto quamdiu rationis vsum habet, penitus negare sufficiens auxilium

ad

ad resurgendum à peccatis, aut perseuerandum in accepta gratia *c. Illuminat enim omnem hominem*; Ioan.1. *Nec vult mortem impij.* Ezech.33. *Nec vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti,* 2.Petri 3. *Et omnes homines saluos fieri,* 1. Tim. 2. *Quia est Saluator omnium hominum*, 1.Timoth.4. *Non ergo dicas; Per Deum abest*, Eccles.15.

a *commun. S.Thom. in 3.p. q.86. a 3. ex cap. firmiter, de summa Trinit.* b c *commun. Veg. Sot. Zumel. Henriq. Molin. Val. hic q.3. par.4. §.1. Bellarm. lib.2. de grat. c.7. Vasq. 1.p. d.98. cap.4. contra Clictou. Dried. Ruard. Roffens. Abulens. Mich. Medin. apud Paulum Benium Concord. cap.5.*

53. Licet ergo non omnes semper habeant auxilium immediatè sufficiens, aut etiam moraliter necessarium ad credendum vel resurgendum à peccatis *a*, quin etiam non omnino improbabile videri possit, induratis non quouis tempore suppetere auxilium sufficiens ad conuersionē *b* credendum est tamen, Deum quorumuis peccatorum, etiam infidelium, qui nihil vnquam de fide audiuerunt, mentes, non quidem assiduè (hoc enim nec iustis quidem facit) sed ita opportunè, tum per effectus externos creaturarum, tum per internos remorsus conscientiæ, & alias quasdam inspirationes etiam supernaturales, excitare ad seruandam legem naturæ, & verum Deum aliquo modo cognoscendum & colendum,

dum, aut si peccator fidelis sit, ad gehennę timorem v.g. concipiendum; vt si eiusmodi auxiliis rectè vtantur, Deus etiam vlteriora, quibus tandem credant & conuertantur, negaturus non sit c.

b *Bellarm. Vasquez loc. cit.* a c *Suar. lib. 3. cap. 10. n. 3. &c.*

54. Et quamuis S. Augustinus *in exposit. quarundam proposition. epist. ad Rom. cap. 72.* de Pharaone loquẽs, nobis aduersari videatur his verbis. *Non ergo hoc illi* (Pharaoni) *imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia talem se præbuit, cui cor obduraretur*: contrarium tamen postea apertè docuit, *serm. 8. de tempore, & in lib. de prædestin. Sanctorum, cap. 14.* vt priorem illam sententiam retractasse iure videatur *a*, etsi non nemo aliud sibi persuaserit *b*.

a *Gregor. Val. Molin.* b *Vasquez.*

55. Sanè quidem fieri potest, vt ex duobus æqualiter dispositis, & quoad physicam entitatem æqualem motionem gratiæ excitantis habentibus, vnus conuertatur, alter nõ item, etiam stantibus vtrinq; æqualibus impedimentis conuersionis; quin etiam, vt ille conuertatur, qui & plura impedimenta conuersionis, & gratiam excitantem minus intensam physico gradu habet, alter verò cum minoribus impedimentis, & gratia excitante physicè intensiore non conuertatur; quod apertè ex fidei principiis sequitur: cæterum

terum omnino fatendū, ſemper illum, qui conuertitur, maius auxilium in ratione beneficij & gratiæ, adeoq́ue ſimpliciter & abſolutè loquendo maiorem gratiam præuenientem recipere. *Greg.Val.Mol. Suar.lib 3.c.20.poſt Dried. Ruard. Staplet.Veg. Med.q.109.art.10.Sot.1.de nat.& grat. cap.16.&c. Auguſt.lib.12. ciuit.cap.6.*

CAPVT III.

De cauſis gratiæ.

56. Cauſa finalis gratiæ ſuprema quidem eſt Dei gloria, Epheſ.1. ſecunda in ordine, gloria Chriſti capitis noſtri, ibidē. tertia gloria noſtra, Rom.6. Cauſa principalis efficiens gratiæ ſanctificantis eſt ſolus Deus, principalis meritoria Chriſtus; inſtrumentalis Phyſica coniuncta quidem Chriſti humanitas, ſeparata verò Sacramenta; cauſa materialis, ex cuius obedientiali potentia educitur, anima; proximè diſponens eaq́ue ſaltem extra Sacramentum neceſſaria in vtentibus ratione, conuerſio mentis ad Deum; ad quam vt eſt à Deo mouente, neceſſitate infallibili ſequitur gratia, ipſimet cōuerſioni proportionata, adeoq́ue non æqualis in omnibus: quanquam prima ac potiſſima cauſa, cur aliqui maiorem gratiam recipiant, referenda ſit in beneplacitum Dei, maiorem vni, quàm alteri, gratiam præuenientem conferentis, *iuxta S.Thom. 1.2.q.112. a.4. & 2.2.q.24. a.3 &c.*

57. Neque verò per actus supernaturales producuntur effectiuè vlli habitus seu supernaturales, vtpote dantes, non supponentes in potentia vim operādi simpliciter; seu naturales: quidquid nonnulli, cùm veteres, tum recentiores Theologi dixerint; etsi nihil obstet, quo minus aliquando circa idem obiectū materiale eliciantur actus naturales, quibus naturales etiam habitus aliquo modo supernaturalibus similes generentur. Imò nec per absolutā Dei potentiam dari posse creaturam, quæ sit causa efficiens principalis gratiæ, probabilius censemus.

58. Solius fidei actu iustificari hominem, hæreticum dogma est; seu causalitas tantum; & vis dispositiua, vt molles Lutherani volūt, seu etiam præsentia aliorum actuum excludatur, vt rigidi. Quod enim de fide in negotio iustificationis asserit Scriptura, de compluribus aliis actibus asserit. Sunt ergo præter fidem, alij etiam actus, per modum dispositionis, ad gratiam, seu acquirendam, seu apprehendendam (vt loqui malunt) necessarij, ab homine cum auxilio gratię & effectiuè, & liberè producti; vtpote qui non minùs, quàm alij vitales actus, passim ipsi homini in scripturis tribuuntur; hinc Prouerb. 16. legimus: *Hominis esse, animam præparare*; hinc tot ad eiusmodi actus exhortationes, &c.

59. Tales autem præter fidem sunt, primò, timor, Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est non poterit iustificari.* Secundò

cundò spes, Psalm. 36. *Saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Prouerb. 38. *Qui sperat in Domino sanabitur.* 1. Ioan. 3 *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* Tertiò, actus charitatis, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quartò, pœnitentia, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, in iustitia sua, quam operatus est, viuet.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Actor. 11. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* De proposito suscipiendi necessaria sacramenta & obseruandi præcepta, vtpote quod in actu pœnitentiæ includitur, nihil opus est separatim dicere.

60. Isti tamen actus nõ semper explicitè omnes requiruntur ad iustificationẽ: vt quam nonnunquam pręstat cum actu charitatis aut pœnitentiæ, actus fidei Christianæ, quæ est assensus firmus de rebus diuinitus reuelatis. Hæc enim est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. *Hac accedens ad Deum credit, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Ibid. Hac *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Ibid. Hac *creditur, quòd Deus suscitauit Iesum à mortuis.* Rom. 10. Hac *creditur, quoniam Iesus est Christus, & Filius Dei.* 1. Ioan. 5. Hac *credidit Abraham Deo* (promittenti multiplicationem seminis) *& reputatum est ei ad iustitiam.* Gen. 15. Hebr. 5.

61. Nec audiendus est Scotus in 4. d. 14. q. 2. dum nescio quam moram & durationem in actu, gratiam per modum vltimæ dispositionis conciliaturo, requirit; nec Caietanus in tractatu de contritione, qui præter ipsam actus præstantiam, fortuitam quandam Dei acceptationem exigit; ita quidem, vt iuxta legem ordinariam Dei, & ipsa perfectissima dilectio Dei super omnia existere quandoq; in homine possit, & reipsa tamen gratiam non conciliare; ratus videlicet eiusmodi actus tantùm quoad modum, non autem quoad substantiam supernaturales esse, de quo supra thesi 35.

62. Cæterùm vt nemo perpetuò apud nos dubitare iubetur de peccatorũ remissione, quin potius omnes probabilem, nonnulli etiam moraliter certam persuasionem de sua iustitia & habere possunt, & vt priorem illam reipsa habeant, omnes curare debent: ita nemo aut potest aut debet, citra peculiarem reuelationem Dei, prorsus infallibili fide seu cognitione sibi persuadere, se esse in gratia, vt patet ex Tridentino sess. 6. cap. 9.

63. Id multis in locis indicat Scriptura; Eccles. 9. *Nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Hierem. 17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor.* Iob 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

mea. Item: *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Psal. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis, &c.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Vana est ergo, ne dicam stulta, illa hæreticorum specialis fides seu fiducia.

CAPVT IV.

De effectibus gratiæ sanctificantis.

64. Effectus formales gratiæ sanctificantis sunt, iustificatio, remissio peccati, sanitas naturę, consistens in reparatione eius facultatis ad bene viuendum, quam homo per peccatum amissam per gratiam recuperat, de qua supra; amicitia cum Deo, ius ad hæreditatem gloriæ cœlestis. Qui quidem effectus inter se connexi, & sola ratione distincti, ab eadem omnes gratia sanctificante interna & inhærente formaliter proueniunt, iuxta superius dicta thesi 5.

65. Iustificatio peccatoris, vt est formalis effectus gratiæ sanctificantis, internæ, & habitualis, nihil est aliud, quàm mutatio, qua homo ex peccatore fit aut cõstituitur iustus, seu mauis, translatio de statu peccati, in statum gratiæ, iuxta Trident. sess. 6. cap. 4. & 7. & Col. 1. Vnde *non est sola remissio peccati, sed & sanctificatio interna.* Et error est in fide, hominẽ imputatiua iustitia Christi formaliter, seu adæquatè, vt hæretici volunt, seu inadæquatè (vt incautè ex Catholicis nonnulli dixerunt) iustificari, vtcunque interim ali-

quo sensu verè dici possit, iustitiam & merita Christi nobis imputari, vt rectè Bellarm. *lib.2. de iustific.cap.10.*

66. Etsi homo verè iustus coram Deo esse non possit, absque inhærente iustitia, adeoq; nec gratus, (prout hæc vox significat gratiâ affectum;) probabilius tamen videtur, per absolutam Dei potentiam, hominem etiam secundum præsentem statum à Deo supernaturaliter diligi, & ad vitam æternam deputari, adeoq; peccati remissionem accipere posse, absque infusione gratiæ sanctificantis, vt multi graues Theologi sentiunt *a*, imo etiam absq; conuersione actuali supernaturali, adeoque sine omni gratia positiua inhærente *b*; etsi non absque gratia gratuitę dilectionis Dei.

a *Zumel.1.2.q.113.art.2.post Scot.Bonau.Gabr. Gerson. Ioan. Medin. commun.* b *Suar.tom. 4.disp.9.sect.4.&c.*

67. E conuerso fieri quidem non potest, quin homo gratiam sanctificantem internam, aliosq; habitus supernaturales habens, sit à Deo supernaturaliter dilectus, & ex se aptus ad opera supernaturalia, ac per se loquendo, si aliud nihil obstet, simpliciter iustus, rectus & acceptabilis ad vitam ęternam; attamen loquendo de potentia Dei absoluta secundùm se implicare non videtur, quominus Deus, & talem reipsa non acceptet ad vitam æternam *a*, & omnes eiusmodi habitus, quin etiam ipsammet conuersionem

actua-

actualem conseruet in eo, qui vel ipso actu mortaliter peccat, vel in peccato mortali perseuerat. *b*.

a *Bellarm. lib. 2. de iustif. cap. 16. Suar. cit. tom. 4. disp. 9. commun.* b *Suarez loc. cit.*

68. Effectus à gratia sanctificante in genere causæ efficientis procedentes sunt, meritum & satisfactio, de qua tamen est alius dicendi locus. Meritũ in proposito ita generatim describi potest; opus bonum, habens moralem vim obligandi alterum, cuius interest, ad competentem remunerationem exhibendam.

69. Triplex est meritum, primum de rigore iustitiæ, cuius videlicet vis & obligatio gratia ac liberali acceptatione nõ nititur; secundum simpliciter & absolutè vocatur meritum de condigno, cui præmium debetur ex iustitia, vtcunque interim fortasse liberali quadam acceptatione & gratia nitatur: tertium impropriè seu analogicè dictum, quod de congruo vocant, cui etsi nulla merces ex iustitia debeatur, congruum tamen est, vt aliquod munus refundatur; seu quod non ex iustitia, sed ex liberalitate Dei acceptantis sequitur remuneratio, iuxta *S. Thom. 4. d. 27. q. 1. a. 4. Gabr. 2 d. 27. q. 1. a. 1.*

70. Jam nihil quidem homo apud Deum promereri de rigore iustitiæ potest; vitam tamen æternam, etiam de condigno, adeoque per meritum iustitiæ propriè dictum potest, vt patet ex Scripturis Genes. 15. *Ego protector tuus sum, &*

sess. 6. cap. 11. *In hoc ergo Dei auxilio firmissimam* [illegible] *spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, &c. modo etiam illi, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis & castitate, &c.* Trid. ibid. cap. 13.

51. Sic igitur nulli iusto deest sufficiens auxilium ad perseuerandum, vt definitur in Concilio Arausicano can. 25. & Tridentino sess. 6. cap. 13. & can. 22. ita quidem, vt etsi quis forte sua culpa perseueraturus non sit, adeoq; reipsa donum perseuerantiæ non habiturus; nemo tamen sit, qui cum eiusmodi auxiliis gratiæ, quæ Deus paratus est dare, perseuerare non possit.

52. Quod vero ad peccatores attinet, etsi varij variè loquantur, nos tamen de Deo in bonitate sentire docti, ita censemus. Primò hæresim esse, dicere, Deum generi humano, ita sufficienter non prospexisse, vt plus ab eo iure exigi possit. Secundò, erroneum esse dicere, aliqua peccata seu certam quandam peccatorum malitiam esse, propter quam Deus certa & communi aliqua lege, sufficiens gratiæ auxilium omnino deneget *a*. Tertiò, falsum videri & aliquo sensu hæreticum, adultis vnquam negari sufficiens auxilium ad vitanda peccata *b*. Quartò, improbabile videri, Deum vlli adulto quamdiu rationis vsum habet, penitus negare sufficiens auxilium

ad

ad resurgendum à peccatis, aut perseuerandum in accepta gratia *c*. *Illuminat enim omnem hominem*; Ioan.1. *Nec vult mortem impij*. Ezech.33. *Nec vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti*, 2.Petri 3. *Et omnes homines saluos fieri*; 1. Tim. 2. *Quia est Saluator omnium hominum*, 1.Timoth. 4. *Non ergo dicas; Per Deum abest*, Eccles.15.

a *commun. S.Thom. in 3.p. q.86. a 3. ex cap. firmiter, de summa Trinit.* b c *commun. Veg. Sot. Zumel. Henriq. Molin. Val. hic q.3. par.4. §.1. Bellarm. lib.2. de grat. c.7. Vasq. 1.p. d.98. cap.4. contra Clictou. Dried. Ruard. Roffens. Abulens. Mich. Medin. apud Paulum Benium Concord. cap.5.*

53. Licet ergo non omnes semper habeant auxilium immediatè sufficiens, aut etiam moraliter necessarium ad credendum vel resurgendum à peccatis *a*, quin etiam non omnino improbabile videri possit, induratis non quouis tempore suppetere auxilium sufficiens ad conuersionẽ *b* credendum est tamen, Deum quorumuis peccatorum, etiam infidelium, qui nihil vnquam de fide audiuerunt, mentes, non quidem assiduè (hoc enim nec iustis quidem facit) sed ita opportunè, tum per effectus externos creaturarum, tum per internos remorsus conscientiæ, & alias quasdam inspirationes etiam supernaturales, excitare ad seruandam legem naturæ, & verum Deum aliquo modo cognoscendum & colendum,

dum, aut si peccator fidelis sit, ad gehennę timorem v. g. concipiendum; vt si eiusmodi auxiliis rectè vtantur, Deus etiam vlteriora, quibus tandem credant & conuertantur, negaturus non sit c.

b *Bellarm. Vasquez loc. cit.* a c *Suar. lib. 3. cap. 10. n. 3. &c.*

54. Et quamuis S. Augustinus *in exposit. quarundam proposition. epist. ad Rom. cap. 72.* de Pharaone loquēs, nobis aduersari videatur his verbis. *Non ergo hoc illi* (Pharaoni) *imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia talem se præbuit, cui cor obduraretur*: contrarium tamen postea apertè docuit, *serm. 8. de tempore, & in lib. de prædestin. Sanctorum, cap. 14.* vt priorem illam sententiam retractasse iure videatur *a*, etsi non nemo aliud sibi persuaserit *b*.

a *Gregor. Val. Molin.* b *Vasquez.*

55. Sanè quidem fieri potest, vt ex duobus æqualiter dispositis, & quoad physicam entitatem æqualem motionem gratiæ excitantis habentibus, vnus conuertatur, alter nō item, etiam stantibus vtrinq; æqualibus impedimentis conuersionis; quin etiam, vt ille conuertatur, qui & plura impedimenta conuersionis, & gratiam excitantem minus intensam physico gradu habet, alter verò cum minoribus impedimentis, & gratia excitante physicè intensiore non conuertatur; quod apertè ex fidei principiis sequitur: cæterum

terum omnino fatendũ, semper illum, qui conuertitur, maius auxilium in ratione beneficij & gratiæ, adeoque simpliciter & absolutè loquendo maiorem gratiam præuenientem recipere. *Greg. Val. Mol. Suar. lib. 3. c. 20. post Dried. Ruard. Staplet. Veg. Med. q. 109. art. 10. Sot. 1. de nat. & grat. cap. 16. &c. August. lib. 12. ciuit. cap. 6.*

CAPVT III.

De causis gratiæ.

56. Causa finalis gratiæ suprema quidem est Dei gloria, Ephes. 1. secunda in ordine, gloria Christi capitis nostri, ibidẽ. tertia gloria nostra, Rom. 6. Causa principalis efficiens gratiæ sanctificantis est solus Deus, principalis meritoria Christus; instrumentalis Physica coniuncta quidem Christi humanitas, separata verò Sacramenta; causa materialis, ex cuius obedientiali potentia educitur, anima; proximè disponens eaque saltem extra Sacramentum necessaria in vtentibus ratione, conuersio mentis ad Deum; ad quam vt est à Deo mouente, necessitate infallibili sequitur gratia, ipsimet cõuersioni proportionata, adeoque non æqualis in omnibus: quanquam prima ac potissima causa, cur aliqui maiorem gratiam recipiant, referenda sit in beneplacitum Dei, maiorem vni, quàm alteri, gratiam præuenientem conferentis, *iuxta S. Thom. 1. 2. q. 112. a. 4. & 2. 2. q. 24. a. 3. &c.*

57. Neque verò per actus supernaturales producuntur effectiuè vlli habitus seu supernaturales, vtpote dantes, non supponentes in potentia vim operãdi simpliciter;seu naturales:quidquid nonnulli,cùm veteres,tum recentiores Theologi dixerint;etsi nihil obstet,quo minus aliquando circa idem obiectũ materiale eliciantur actus naturales,quibus naturales etiam habitus aliquo modo supernaturalibus similes generentur. Imò nec per absolutã Dei potentiam dari posse creaturam, quæ sit causa efficiens principalis gratiæ, probabilius censemus.

58. Solius fidei actu iustificari hominem, hæreticum dogma est; seu causalitas tantum; & vis dispositiua, vt molles Lutherani volũt,seu etiam præsentia aliorum actuum excludatur, vt rigidi. Quod enim de fide in negotio iustificationis asserit Scriptura, de compluribus aliis actibus asserit. Sunt ergo præter fidem, alij etiam actus, per modum dispositionis, ad gratiam, seu acquirendam, seu apprehendendam (vt loqui malunt) necessarij, ab homine cum auxilio gratię & effectiuè, & liberè producti; vtpote qui non minùs, quàm alij vitales actus, passim ipsi homini in scripturis tribuuntur; hinc Prouerb. 16. legimus: *Hominis esse, animam præparare*; hinc tot ad eiusmodi actus exhortationes, &c.

59. Tales autem præter fidem sunt, primò, timor, Ecclesi. 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est non poterit iustificari.* Secundò

tundò spes, Psalm. 36. *Saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Prouerb. 38. *Qui sperat in Domino sanabitur.* 1. Ioan. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* Tertiò, actus charitatis, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quartò, pœnitentia, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, in iustitia sua, quam operatus est, viuet.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Actor. 11. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* De proposito suscipiendi necessaria sacramenta & obseruandi præcepta, vtpote quod in actu pœnitentiæ includitur, nihil opus est separatim dicere.

60. Isti tamen actus nõ semper explicitè omnes requiruntur ad iustificationẽ: vt quam nonnunquam prꝯstat cum actu charitatis aut pœnitentiæ, actus fidei Christianæ, quæ est assensus firmus de rebus diuinitus reuelatis. Hæc enim est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. *Hac accedens ad Deum credit, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Ibid. Hac *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Ibid. Hac *creditur, quòd Deus suscitauit Iesum à mortuis.* Rom. 10. Hac *creditur, quoniam Iesus est Christus, & Filius Dei.* 1. Ioan. 5. Hac *credidit Abraham Deo* (promittenti multiplicationem seminis) *& reputatum est ei ad iustitiam.* Gen. 15. Hebr. 5.

61. Nec audiendus est Scotus in 4. d. 14. q. 2. dum nescio quam moram & durationem in actu, gratiam per modum vltimæ dispositionis conciliaturo, requirit; nec Caietanus in tractatu de contritione, qui præter ipsam actus præstantiam, fortuitam quandam Dei acceptationem exigit; ita quidem, vt iuxta legem ordinariam Dei, & ipsa perfectissima dilectio Dei super omnia existere quandoq; in homine possit, & re ipsa tamen gratiam non conciliare; ratus videlicet eiusmodi actus tantùm quoad modum, non autem quoad substantiam supernaturales esse, de quo supra thesi 35.

62. Cæterùm vt nemo perpetuò apud nos dubitare iubetur de peccatorũ remissione, quin potius omnes probabilem, nonnulli etiam moraliter certam persuasionem de sua iustitia & habere possunt, & vt priorem illam reipsa habeant, omnes curare debent: ita nemo aut potest aut debet, citra peculiarem reuelationem Dei, prorsus infallibili fide seu cognitione sibi persuadere, se esse in gratia, vt patet ex Tridentino sess. 6. cap. 9.

63. Id multis in locis indicat Scriptura; Eccles. 9. *Nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Hierem. 17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor.* Iob 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

meæ. Item: *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Psal. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis, &c.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Vana est ergo, ne dicam stulta, illa hæreticorum specialis fides seu fiducia.

CAPVT IV.

De effectibus gratiæ sanctificantis.

64. Effectus formales gratiæ sanctificantis sunt, iustificatio, remissio peccati, sanitas naturę, consistens in reparatione eius facultatis ad bene viuendum, quam homo per peccatum amissam per gratiam recuperat, de qua supra; amicitia cum Deo, ius ad hæreditatem gloriæ cœlestis. Qui quidem effectus inter se connexi, & sola ratione distincti, ab eadem omnes gratia sanctificante interna & inhærente formaliter proueniunt, iuxta superius dicta thesi 5.

65. Iustificatio peccatoris, vt est formalis effectus gratiæ sanctificantis, internæ, & habitualis, nihil est aliud, quàm mutatio, qua homo ex peccatore fit aut cõstituitur iustus, seu mauis, translatio de statu peccati, in statum gratiæ, iuxta Trident. sess. 6. cap. 4. & 7. & Col. 1. Vnde *non est sola remissio peccati, sed & sanctificatio interna.* Et error est in fide, hominẽ imputatiua iustitia Christi formaliter, seu adæquatè, vt hæretici volunt, seu inadæquatè (vt incautè ex Catholicis nonnulli dixerunt) iustificari, vtcunque interim ali-

actualem conseruet in eo, qui vel ipso actu mortaliter peccat; vel in peccato mortali perseuerat. *b.*

a *Bellarm. lib. 2. de iustif. cap. 16. Suar. cit. tom. 4. disp. 9. commun.* b *Suarez loc. cit.*

68. Effectus à gratia sanctificante in genere causæ efficientis procedentes sunt, meritum & satisfactio, de qua tamen est alius dicendi locus. Meritũ in proposito ita generatim describi potest; opus bonum, habens moralem vim obligandi alterum, cuius interest, ad competentem remunerationem exhibendam.

69. Triplex est meritum, primum de rigore iustitiæ, cuius videlicet vis & obligatio gratia ac liberali acceptatione nõ nititur; secundum simpliciter & absolutè vocatur meritum de condigno, cui præmium debetur ex iustitia, vtcunque interim fortasse liberali quadam acceptatione & gratia nitatur: tertium impropriè seu analogicè dictum, quod de congruo vocant, cui etsi nulla merces ex iustitia debeatur, congruum tamen est, vt aliquod munus refundatur; seu quod non ex iustitia, sed ex liberalitate Dei acceptantis sequitur remuneratio, iuxta *S. Thom. 4. d. 27. q. 1. a. 4. Gabr. 2 d. 27. q. 1. a. 1.*

70. Jam nihil quidem homo apud Deum promereri de rigore iustitiæ potest; vitam tamen æternam, etiam de condigno, adeoque per meritum iustitiæ propriè dictum potest, vt patet ex Scripturis Genes. 15. *Ego protector tuus sum, &*

merces tua magna nimis. Prouerb. 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Ioan. 5. *Qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Rom. 2. *Reddet vnicuique secundùm opera sua, iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* 2. Cor. 4. *Quod in præsenti est momentaneum, &c. æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Coloss. 3. *Scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus index:* idq; iuxta Augustinum *in Psal. 83. & de grat. & lib. arbit. cap. 6.* etiam *vt iustus index.* Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

71. Eant nunc Scripturarum vanissimi buccinatores, verissimi calumniatores, & merito hominis vim meritorum Christi deprimi clament; quos & ex publicis suorum monimentis redarguere possumus. Sanè quidem in libro quem inscripserunt, Confessionem doctrinæ Saxonicarum Ecclesiarum, vt Synodo Tridentinæ exhiberetur, titulo de præmiis, ita apertè scribunt: *Cæterum etsi vita æterna datur propter Filium Dei renatis, tamen simul etiam est merces bonorum operum, sicut dicitur Matth 5. Merces vestra copiosa est in cœlis. Vt patrimonium est merces laborum filij, etiamsi propter aliam causam* (nomine hæreditatis) *filio attribuitur.* Hæc illi.

72. Abs-

72. Absque eiusmodi merito nullus adultus consequitur vitam æternam, quidquid nonnulli *a* excipiant eum, qui per Sacramentum iustificatus est. Et quamuis non desint, qui negent *b* ipsam primam gloriam cadere sub meritum, affirmans tamen sententia nobis certa videtur ex Concil. Trid. sess. 6. can. 32. vbi signanter definitur, *iustum verè promereri non solùm augmentum gloriæ*, sed etiam ipsam *vitam æternam, eiusque consecutionem.*

a *Zumel. 1. 2. q. 114. a. 5.* b *Palud. Gabr. Arimin. Philiar. Veg. lib. 6. cap. 28. & q. 6. de iustif.*

73. Quocirca illi quidem, qui per propriam dispositionem iustificantur, ipsamet vltima dispositione primam gloriam promerentur, idq; etiam non interueniente actus continuatione, quam sine causa nonnulli requirunt *a*, ex communi S. Thomæ *1. 2. quæst. 112. a. 2. ad 1.* Alij verò, quibus sanè quidem aliqui probabilius eius præmij meritum denegant *b*, per primum actum meritorium post iustificationem exercitum *c*; cui nihil vetat & ipsam gloriam iam alio titulo debitam, & aliquod etiam augmentum gloriæ mercedis nomine respondere.

b *Zumel. loc. citat. &c.* a c *Bellarm. lib. 5. de iustific. cap. 20.*

74. Jn conferendo præmio vitæ æternæ seruari à Deo formam solius commutatiuę iustitiæ putauit Durandus, solius distributiuæ Sotus; sed rectius alij *a* docent, seruari vtramque, & qui-

dem per se ac propriè, adde etiam ex obligatione. Qui verò iustitiam particularem propriè acceptam Deo negant, improbabiliter loqui videntur, tametsi tota quæstio tandem de nomine potius, quàm de re videatur.

a *Ferrar. Capreol. Caiet. Medin. Zumel. Greg. Val. Suarez in opusc. de iustit. Dei, sect. 2. & 3.*

75. Sub meritum de condigno cadit etiam augmentum gratiæ sanctificantis & gloriæ. Quod nisi obdurassent aures suas, ex Scripturis facile intelligerent hæretici. Eccles. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Iacob. 2. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm:* quod de augmento iustitiæ interpretatur Trid. c. 10. *Quapropter,* inquit Augustinus lib. 83. q. 76. *non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorũ sententiæ, Pauli & Iacobi, cùm dicit vnus, iustificari hominem per fidem sine operibus, & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus. Quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt, iste de iis, quæ fidem sequũtur: sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.* Similia in Psal. 31.

76. Augmentum gratiæ & gloriæ æqualibus semper passibus procedit: adeò vt Vega lib. 10. cap. 16. errorem censeat, dicere, *gloriam patriæ excedere gratiam viæ.* Nec dubium est, quin actus hominis iusti intẽsiores habitu præexistente, (quæ quidem intensio maior procedit ex habitu præexistente, mediante maiori auxilio gra-

tiæ,

tiæ, & conatú ſupernaturali *a*) ſi alioqui requiſitę conditiones non deſint, ſint meritorij & augmenti gratiæ, & noui præmij, etiam eſſentialis.

a *Vaſq.1.p.diſp.47.n.42. Zumel.hic a.8.*

77. Jmò etiam ex Trident. ſeſſ.6. cap.10.can.14.& 32. errare conuincuntur illi, qui dicunt, actus remiſſiores habitu, à quo procedunt, aut non promereri eſſentiale præmium in cœlis, aut certè quantumuis repetitos, nouum non promereri, ſed antiquum duntaxat nouo titulo acquirendum; aut ita promereri nouum, vt tamen à Deo infallibiliter nō ſit conferendum, etiamſi in gratia illi decedant: cùm tamen longè probabiliùs ſit, augmentum illud eiuſmodi remiſſis actibus debitum, mox etiam ſine mora conferri. *Vega. Suar.2.de reuiuiſcentia merit.ſect.3, Zumel. 1.2.q.114.a.6.*

78. Omnis actus meritorius augmenti gratię, etiam promeretur augmentum charitatis, eiuſque virtutis infuſæ, à qua procedit, aut cui reſpondet, ex communi; & vt probabiliùs videtur, etiam omnium habituum infuſorum; idque itidem ſtatim conferendum, quidquid Victoria relect. de augment. char. aliam gratiæ charitatis rationem eſſe dicat.

79. Cùm habitus infuſi effectiuè phyſicè per actus non augeantur, vti nec producuntur; nec merè diſpoſitiuè (niſi cùm peccator auctiorem fidem & ſpem acquirit) ſed meritoriè de condigno, hinc fit, vt augeantur etiam ab actibus remiſſis,

missis. Sunt enim, eiusmodi actus meritorij augmenti, tam gratiæ & gloriæ, quàm aliarum virtutum, non tantùm secundùm excessum, sed & secundùm totam latitudinem suæ intensionis, quidquid hîc rursum Victoria inter gratiȩ adeóque gloriæ, & inter charitatis augmentum distinguat. Neq; tamen ideò dixeris, augmentum gratiæ & gloriȩ fieri ad æqualitatem intensionis, quæ est in actu meritorio, nisi fortè is sit ipse actus elicitus charitatis. *Suarez de reuiuisc. merit. sect. 3. à n. 44. Zumel. a. 8. d. 4.*

80. Auxilia necessaria ad perseuerandum promereri iustus potest etiam de condigno, iuxta S. Thomam *in 1. 2. q. 114. a. 10. & 2. 2. q. 83.* vberiora verò quædam auxilia, aut gratiam efficacem, vel perseuerantiam ipsam non potest, ex Trid. sess. 16. cap. 13. & can. 16. nisi de congruo, & quidem non infallibiliter conferenda, vt rectè Vega *q. 15. de iustific. & lib. 12. cap. vlt. Zumel, &c.*

81. Bona temporalia per se non cadũt sub meritum, nisi de congruo, tam hominis iusti, quàm peccatoris; quatenus autem moraliter necessaria, aut valde vtilia sunt ad consecutionem vitæ æternæ, cadunt sub meritum hominis iusti, etiam de condigno, iuxta S. Thomam, *citat. q. 114. art. 10.*

82. Tantum abest, vt homo de condigno sibi promereatur primam gratiam seu vocantem, seu iustificantem, aut peccati mortalis remissionem, vt ex probabiliori homo peccator nec per abso-

absolutam quidem potentiam Dei primam acquisitionem gratiæ, peccatiq; remissionem, aut gloriam promereri possit: iustus tamen quo minus sibi perseuerantiam, per absolutam Dei potentiam promereri possit, nihil videtur obstare.

83. Error est igitur, contra Trident. sess. 6. cap. 7. 9. & 14. quòd nonnulli incaute dixerunt *a*, eum, qui iustificatur, per dispositionem proximam ad gratiam, de condigno, etiam pro peccato mortali, eiusque pœna æterna Deo satisfacere posse: aut quod alij *b*, posse hominem per vires naturæ pro peccato veniali satisfacere; cùm generaliter in Scripturis peccati remissio gratiæ Dei tribuatur, Rom. 4. 1. Ioan. 1. & in Conc. *Mileu.* cap. 6. 7. 8. Arausi. cap. 14. Trid. sess. 6. cap. 6.

a *Ruard. a. 6.* b *Scot. Gabr. Durand. Vide Suar. tom. 1. d. 4. sect. 8.*

84. Quòd pleriq; Scholastici & sancti Patres, dicunt, ipsammet dispositionem vltimã per auxilium gratiæ elicitam, esse meritum gratiæ sanctificantis de congruo, fortius ab aliquibus negatur, quàm refellitur. Certe Augustinus maximus Pelagianorum hostis, palam pronunciat, *neq; ipsam remissionem peccatorum sine aliquo merito esse, si fides hanc impetrat, &c.* in ipsa epist. 105. in qua propositionem illam à se quondam assertam, initium fidei esse ex nobis, negat & emendat.

85. Nullus homo purus secundùm legem ordinariam, de condigno alteri quidquam propriè loquen-

loquendo potest mereri; de congruo potest, & gratiam & gloriam per ordinaria media, non infallibiliter tamen obtinendã, iuxta S. Thomam *q. 114. a. 6.* Per absolutam verò Dei potentiam alteri primam gratiam etiam de condigno posset. Sanctos in cœlis malim dicere, per modum impetrationis, quàm per modum meriti de congruo, nobis diuina munera obtinere.

86. Reparationem post lapsum iustus alteri quidem de congruo, sibi autem nec de condigno, nec de congruo promereri potest, ex S. Thoma *cit. q. 114. a. 7.* Tum quia peccans quoad se tacitè quodammodo retractat omnes suas bonas voluntates præcedẽtes; tum quia hac gratia tantò indignior est homo, quantò plura bona & merendo patrauit, & peccando perdidit.

87. Inter conditiones ad meritum de condigno requisitas prima est, vt persona operans sit in gratia, ex Trident. sess. 6. c. 16. & Bulla quadam Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaëlem Baium, &c. In statu tamen naturæ puræ seu integræ, vt homo beatitudinem etiam supernaturalem promereretur, per absolutam Dei potẽtiam fieri potuisse, non omnino improbabiliter existimauit cum Scoto Zumel, *citata q. 114. a. 2.*

88. Secunda conditio, est diuina promissio seu acceptatio, qua seclusa, etsi quidem nihilominus homo iustus, respectu æternę beatitudinis, quãdam condignitatem proportionis quasi connaturalis ipsi gratiæ; vt & ipsa opera hominis iusti, quate-

quatenus ex motione gratiæ procedunt, valorem aliquo modo proportionatum haberent ad vitam æternam promerendam; re ipsa tamen Deum nunquam obligarent ad vllum pręmium ex iustitia conferendum. Qua ratione in concordiam fortasse redigi poterunt discordes in speciem de hac re Doctorum sententiæ.

89. Tertia conditio est libertas non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate, quicquid Alliacus & Holcot. *1. d.17.* in contrarium dixerint: quorum opinio si de facto procedat, erronea est; si de possibili, falsa est & improbabilis, vtpote nec authoritati, nec rationi cõsentanea. Cùm enim id quod necessariò fit, proprium operantis non sit, quomodo hoc quasi pretio emetur præmium? Hinc si Deus necessariò operanti vitam æternam promitteret, teneretur is sanè quidem eam dare ex fidelitate, per modum promissi doni; sed non ex iustitia, per modum præmij.

90. Quarta est bonitas operis. Per peccatum enim nemo nisi pœnam apud Deum promeretur: etiamsi forte opus tantùm ex circumstantia malum sit, quicquid nonnulli dixerint. Quinta est, vt opus ad Deum per charitatem aliquo modo referatur; quam conditionem, vt cùm sancto Thoma *quæst.114. a.4.* verbotenus asserunt communiter omnes; ita varij variè explicant.

91. Sunt qui vniuersim requirunt actualem & explicitam eiusmodi relationem *a*. Sed planè impro-

improbabiliter,& contra communem. Sunt qui habitualem tantùm, nec improbabiliter; vt nec illi, qui præter puram habitualem requirunt, vt homo saltem semel in vita, vel in anno, vel in die, sua omnia generatim retulerit in Deum *c*. Sunt qui pręter habitualem, vt vel actus per se & intrinsece sint supernaturales, vel certè ab eiusmodi actu supernaturali actualiter vel virtualiter procedant *d*, & probabilius. Sunt qui vniuersim saltem virtualem propriè dictam requirunt, qua nimirum fit, vt actus aliquis ex imperio charitatis saltem virtualiter durante, aliquo modo procedat; & hi nostro iudicio probabilissime sentiunt *e*.

a *Durand. Gabr. 2. d. 41.* b *Caiet. Sot. Greg. Val. Vasquez & significat S. Thom. 1. 2. q. 21. a. 3. & in 2. d. 40. q. 1. a. 5. & de malo. q. 2. a. 5. ad 7. & 11.* c *Adrian. Bart. Medin. &c.* d *Suar. de reuiuisc. mer. d. 2. Sect. 1.* e *Bellarm. &c.*

92. Huic sententię, vt in re sacra, magnum authoritatis pondus addunt (recentioribus asseclis omissis) duo Sancti & nobiles Theologi, optimi videlicet non solum eruditionis, sed etiam pietatis magistri, qui ita sentiunt: S. Thomas *1. 2. q. 114. art. 4.* vbi ex instituto de hac re agit, quidquid antea dixerit; & Bonauentura in *2. d. 41. a. 1. q. 3.* de quo nulla est controuersia, licet eam relationem *habitualem* vocet, quam nos *virtualem* dicimus. S. Thomæ hæc expressa verba sunt: *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem,*

ad

ad alias autem virtutes secundario; secundum quod eorum actus à charitate imperantur. Et in resp. ad 3. *Fidei actus*, inquit, *non est meritorius, nisi fides, per dilectionem operetur, vt dicitur Gal. 5. Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur.* Quæ clariora sunt, quam vt in alienum sensum duci posse videantur.

93. Caue autem dixeris, actus eiusmodi ex charitatis imperio procedentes, solum quoad relationem charitatis, non autem secundum se, & suam specificam rationem, meritorios esse præmij essentialis: quasi vero cæteris paribus non maius pręmium essentiale promereatur virginitas, quàm matrimonium, ieiunium vnius anni, quàm vnius diei; eleemosyna mille ducatorum, quàm vnius oboli; continentia, abstinentia, vigiliæ religiosi, quàm moderatus victus sæcularis, &c. Absurda planè videntur hæc; & Christianis auribus indigna. *Vide Suar. dist. 2. de reuiuisc. mer. sect. 1 à n. 44. Zumel. 1. 2. q. 114. a. 2.*

94. Præter has quinque conditiones ad meritum requisitas, nempe vt opus sit liberum, bonum, diuina promissione fultum; hominis iusti, à charitate profectum; ad meritum requisita, quæ præcedentibus non includatur, nulla est alia; ad augmentum meriti proficuæ complures; omnes videlicet illæ circumstantiæ, quæ augent actus bonitatem & dignitatem.

95. Tales autem sunt I. maior promptitudo,

e &

& firmitas operantis, quæ inter tentationes maximè enitescit, iuxta S. Thomã *2.2.q.10.a.3.ad3.* I I. Difficultas operis, si ab ipsomet obiecto & operis præstantia, vel ab extrinseco impedimento proueniat, secus si ex defectu & tepiditate ipsius operantis nascatur, ex eodem, *1.2.quæst.114.a.4.* I I I. Intensio actus, quę quidem iuxta dicta thesi 79. secundum omnes gradus auget meritum.

96. Quarta est libera continuatio actus; quæ etsi virtute quodammodo æquiualere videatur pluribus actibus, per se tamen tanti non est, quanti ipsa substãtia actus repetiti, in quo semper noua difficultas, noua aduertentia, noua libertas interuenit. Nec audiendus Ariminensis qui in *2.d.5.q.1.a.2.ad 4.* contra communem putauit, actus internos mentis necessario aliquandiu durare debere; quasi in eodem instanti & primum, & vltimum esse habere non possint.

97. Quinta est dignitas personæ operantis; vt conuenienter S. Thomæ, *2.d.29.a.4.* tradidit Victoria, &c. Nam & inde opus ipsum fit dignius; & Christi merita non aliunde infinitam dignitatem & valorem habuerunt, quam ex infinita dignitate personæ operantis.

98. Sexta est bonitas actus secundũ se & suam specificam rationem spectati. Qua ratione maior est bonitas, per se loquendo, actus virtutis Theologicæ; quam moralis; melior & maior inter Theologicas charitas; melior etiam obedientia propter Deum, quam victima, &c.

99. Di-

99. Dicunt Theologi *in 4. d. 46.* Deum punire citra condignum, & præmiare vltra condignum. Rectè. Sed quo sensu? An quia Deus minori pœna peccatorem, & maiori pręmio iustum afficiat, quàm ipsemet decreto suo constituerit? at quis hoc dixerit? quasi vero Deus aliud decernat, aliud faciat. An quia saltem, quidquid sit de pœna, plus præmij rependat, quam promiserit; adeoque ad omnem gloriæ cumulum iustorum meritis ad promissum auctarium gratis & mera liberalitate adiiciat? Probabile, sed non certum. Nam si promissio nulla est de hoc auctario, vnde constat semper & infallibiliter conferri?

100. Hoc ergo certius; Deum & pœnam malis minorẽ decreuisse, quam pro meritis; & præmium iustis non solum essentiali quasi perfectione excellentius, sed etiam gradu maius designasse, quàm opera ipsa iustorum, iuxta proportionem, quam alioqui habent ad præmium vitæ æternæ, exposcerent *a*. Hoc ergo sensu à Pio V. iure damnata fertur *b* hęc propositio: opera bona iustorum non accipiunt in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.

a *Scot & apertè Vega, quæst. 5. de iustific. ad 2.*
b *Bellarm. lib. 5. de iustif. cap. 19.*

FINIS.

In I. II. sancti Thomæ.

Disputatio Theologica V.

DE BONORVM OPERVM NECESSITATE, VTILITATE ET MERITIS.

Proposita Monachij anno M. D. XCIX.

NIHIL ferè magis agunt Sectarij nostri temporis, quàm vt ne quicquã agant tanquam ad salutem necessarium, idque ipsum vt iure agere videantur. *Ego dico tibi*, inquit Lutherus a, *quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Iacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare.* Neque verò opus est ad hanc doctrinam explicandam & propagandam multis exemplis aut argumentis. Talis enim est vt prius intelligatur quam legatur, prius discatur quam doceatur, prius approbetur quam probetur. Hinc tam felici

felici prouentu apud nouos Euangelicos passim succrescit & ppagatur, qui, teste Schmidelino *b*; *vt totus mundus agnoscat, eos non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco commessationibus & perpotationibus nocte dieq́ vacant: vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt & excoriant, precationes vertunt in iuramenta & blasphemias, & diuini Nominis execrationes, idq́ue tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio. Atq́ hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur institutum.* Et rectè sanè. Hoc ipsum enim est quod eorum Euangelista Lutherus nouo stylo, noua forma ad Rom. 3. scriptum reliquit: *Arbitramur hominem iustificari* (& verò etiam saluari) SOLVM *per fidem sine operibus Legis.* Contra hanc igitur Sectariorum periculosam amentiam visum est hanc disputationem de bonis operibus proponere, non eo quidem consilio, vt ex instituto, vel Catholicam de præsenti materia sententiam confirmaremus, vel hæreticam refutaremus, sed vt, recepto more, scholasticæ disceptationi & exercitationi materiam &

 argu-

argumentum aliquod præberemus. Erunt autem huius disputationis duo capita. In primo agetur de necessitate bonorum operum ad salutem; in secundo de vtilitate & efficacia; atq; adeo de meritis bonorum operum.

a *In serm. de nouo Testam. siue de Missa.* b *In concione 4. super c. 21. Lucæ.*

CAPVT I.

De necessitate bonorum operum.

THESIS PRIMA.

FIDEM ad salutem necessariam esse in confesso est tam apud Catholicos, quàm apud Sectarios, quantumuis isti nos velut ob negatam fidei necessitatem clanculum quandoq; & malitiosè sugillent. Rata & firma stat Christi sententia, *Qui non crediderit condemnabitur.* Marci 16. Et Apostoli Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hoc controuertitur, an præter fidem ad salutem conciliandã adultis necessaria quoq; sint & proficua alia bona opera, siue externa vt Eleemosynæ, &c. siue interna, vt sunt actus contritionis, charitatis, &c.

2. Hîc Sectarij qui minimùm desipiunt a, fatentur quidem præter fidem, necessariam quoq; esse modo quodam & respectu, aliorum operum præsentiam, atque adeò obseruationem mandatorum, saltem quantam quisq; possit in hac vita opere præstare: Negant tamen interim constanter,

ter, eiusmodi opera, aut obseruationem mandatorum necessariam esse, vimq; & efficaciam habere ad conciliandam salutem, vtpote quæ sola fide apprehendatur. Qui magis progrediuntur, ne præsentiam quidem aliorum operum, atque adeo nec obseruationem mandatorum Dei, vllo respectu velut necessariam requirunt, quorum istæ sunt voces: *Fides nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat, imò non est fides* b. *Sola fides necessaria est, vt iusti simus, cætera omnia liberrima, neq; præcepta amplius neque prohibita* c. *Sola fides sine omni opere bono efficit omnia, non solum quod ad meritũ, sed etiam, quod ad præsentiam bonorum operum attinet* d. Qui prorsus insaniunt, non solum vt inutilia bona opera ad salutem, sed omnino vt pernitiosa damnant: Horum hæc pronunciata: *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit* e. *Ad Satanam spectant Christiani cum omnibus operibus bonis* f. *Bona opera adeo necessaria non sunt, vt etiam ad salutem incommodent, sintq; perniciosa* g. Et certe omnes illi qui quæuis quantumuis bona opera iustorum dicunt esse peccata mortalia, & ex sola Dei misericordia venialia, & sese interim alienos ab hac sententia faciunt, immeritò faciunt.

a *Theolog. VVittenberg. in Colloquio Altenburg. Philip. in loc. com. Caluin. antid. Concil. Trid. sess. 6.* b *Luth. tom. 1. op. in disp. Vtrum opera faciant ad iustificat. in 3. propos.* c *Luth. in c. 2. ad Gal.* d *Theolog. Saxon. in Colloq. Altenb.*

e *Luth. serm. de piscat. Pet.* f *Theolog. Saxon. in Colloquio Altenburg.* g *Iidem ibid.*

3. Longè diuersa Orthodoxorum, de necessitate bonorum operum ad salutem, sententia est, quæ vt distinctè proponatur, distinguenda prius est duplex salus; quædam quasi inchoata & imperfecta est, quæ ipsa iustificatione hominis continetur; altera completa & perfecta, quæ est cœlestis gloria. Nunc ergo sentiunt Catholici, (vt de prima salute primò loquamur) ad iustificationem conciliandam, præter fidem, non quidem, vt per calumniam nobis affingunt Sectarij, peregrinationes, ieiunia, aut alia quædam eiusmodi externa opera, quæ, vt Augustinus loquitur a, *sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum*, sed actus & motus quosdam internos mentis necessarios esse. Tales à Concilio Tridentino b, quod à nullo Catholico respui, à nullo Sectario recipi potest, post actum veræ fidei iustificantis & Catholicæ, recensentur isti, videlicet actus timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, propositum suscipiendi Sacramenti Baptismi, aut Pœnitentiæ, propositum nouæ vitæ & obseruationis mandatorum, atque adeo obseruatio mandatorum Dei, vt vocant, in voto, & secundum propositum.

a *in lib. de fide & operib.* b *sess. 5. cap. 6.*

4. Hoc nouum esse dogma, & præter scripturam, imò contra scripturam à Concilio traditũ, à Catholicis creditum calumniantur Sectarij. Sed

Sed ſanè calumniantur. Teſtes antiquitatis ſunt antiquiſſimi Patres: profero tantùm duos. Clemens Alexandrinus a. *Fides*, inquit, *eſt prima ad ſalutem inclinatio, poſt quam timor & ſpes & pœnitentia*: qua includitur etiam propoſitum nouæ vitæ, &c. Similiter Auguſtinus b: *Domus*, inquit, *Dei* (ſpirituale videlicet ædificiũ animæ noſtræ, in qua Deus per gratiam inhabitat) *credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur, &c.*

a *lib. 2. Strom. ante medium.* b *in ſerm. 22. de verbis Apoſt.*

5. Ad ſcripturam venio. Et prorſus hâc pertinaciter non ſpretâ, violenter non flexâ, vicimus, ſi quidquam omninò ex ſcriptura euinci poteſt. Quid multa? Quam ſcriptura vim ad iuſtificandum tribuit fidei, eandem iiſdem propemodum verbis, eâdem phraſi aſſcribit timori, charitati, &c. De fide dicitur: *Corde creditur ad iuſtitiam* a. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* b De timore ſimiliter: *Timor Domini expellit peccatũ* c. Et continuò: *Qui ſine timore eſt non poterit iuſtificari.* De Spe: *Spe ſalui facti ſumus* d. Et: *Qui ſperat in Domino ſanabitur* e. De dilectione: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, &c.* f Et: *Qui non diligit, manet in morte* g. De Pœnitentia: *Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet & non morietur* h. Et: *Si pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis* i. De reliquis actibus nihil attinet ſpeciatim referre,

vtpote qui quodam modo in superioribus includuntur.

a *Rom.8.* b *Hebr.11.* c *Ecclesiast.1.* d *1.Ioan.3.* e *Prouerb.28.* f *Ioan.14.* g *1.Ioan.3.* h *Ezech.18.& 33.* i *Luc.13.*

6. Sed non apprehenditur fortè iustitia per alios actus, tametsi ad eam obtinendam quoquo modo valeant. Fide nimirum sola velut manu quadam apprehenditur iustitia, dicet Sectarius. Quasi verò cum scriptura eadem phrasi de fide & aliis actibus expositis loquatur, diuersa nobis phrasi de iisdem vtendum sit. Et quid tibi vis, ô Nouator, cum dicis fide apprehendi iustitiam an quia propriè manus sit fides, quæ iustitiam prehendat? Desipis, si plus non sapis. An quia valeat quoquo modo ad conciliandam & obtinendam iustitiam? Rectè. Sed eàdem ratione, scriptura teste, valet spes, valet charitas, valet pœnitentia, &c.

7. Sed nimirum mira & mera fraude dicunt Sectarij, fide apprehendi iustitiam potius, quam conciliari. Timent vt qui maximè, ne vis quædam vlla & causalitas tribuatur fidei ad iustificandum: cùm ipsi fidem ad iustitiam plus conferre nō velint, quam manus Pictoris ad panem Pistoris, quem nec pinxit, nec finxit, nec coxit, Et ita prorsus hi ipsi sunt, qui cùm maximè pro fidei dignitate pugnant, maximè impugnant, & cùm soli fidei vim omnem iustificandi tribuere videntur, nullam tribuunt.

8. Aliud

8. Aliud habet sincera fides, actus nimirum fidei, timoris, spei, charitatis, &c. dispositiones esse ad iustificandum, ac proinde veram habere vim ad gratiam conciliandam: ita vt quemadmodum calore suscepto lignum, vel materia potius ligni ad ignis formam recipiendam disponitur, sic suo modo per eiusmodi actus disponatur anima ad gratiam iustificantem recipiendam; conformiter illis scripturæ locis: *Præparate corda vestra Domino* a. *Hominis est animam præparare* b. *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas* c.

a *1. Reg. 7.* b *Prouerb. 16.* c *Eccles. 2.*

9. Neq; verò iam more solito calumniari incipiant Sectarij quod dicitur, cùm id solidè refutare non possunt; tanquam si cum Pelagianistis asseramus, hominem per solas vires liberi arbitrij consequi posse gratiam, nedum promereri. Nimis explorata sunt illa: *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum* a. *Ipse est qui operatur in nobis velle & perficere* b. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis* c. Cum ergo in scriptura dicitur: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos* d; libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: *Conuerte nos Domine ad te & conuertemur* e; Dei nos gratia præueniri confitemur, cum Concilio Trident. *f*

a *Ioan. 6.* b *Philipp. 2.* c *2. Cor. 3.* d *Zachar. 1.* e *Iohel. 2.* f *sess. 6. cap. 5.*

10. Quan-

10. Quanquam autem hoc ita sit, quod hactenus contra Sectarios defensum est, non est tamen ita intelligendum, vt etiam communiter Doctores Catholici notant, quasi necessariò ad iustificationem omnes omnino actus illi formaliter & explicitè semper concurrere debeant. Satis erit quandoq; si quidam implicitè duntaxat habeantur, prȩsertim actus timoris, spei, propositum suscipiendi sacramenti, obseruandi præcepta. Jllud tamen omninò & perpetuò necessarium est, vt præter actum fidei concurrat explicitus & formalis actus pœnitentiæ, vel certè eius loco actus charitatis.

11. Ad conseruandam autem gratiam semel acquisitam, atque adeò ad obtinendam gloriam cœlestem necessaria prȩterea adultis est obseruatio mandatorum, non illa solùm, quæ voto tantùm & proposito continetur, & ad iustificationem requiritur, sed actualis & opere completa. Tantum abest vt fide sola vita æterna vel apprehendatur, vel quoquo modo obtineatur.

12. Sunt huius rei certissima & clarissima in Scriptura testimonia: *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum* a. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea aßimilabitur viro sapienti, &c. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea similis erit viro stulto* b: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata* c. *Ite maledicti in* *ignem*

ignem æternum. Esuriui enim d, *&c. Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea* e. *& ibid. Vos amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis. Reddet vnicuique secundum opera sua* f. *Si secundum carnem vixeritis moriemini. Si autem spiritu* g, *&c. Si quis emundauerit se ab his, fiet vas in honorem* h. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ* i. *Vt non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones* k. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem* l. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis* m.

a *Matth.7.* b *ibid.* c *Matth.19.* d *Matth.25.* e *Ioan.15.* f *Rom.2.* g *Rom.8.* h *2.Timoth.2.* i *Hebr.5.* k *Hebr.6.* l *Hebr.10.* m *2.Pet.1.*

13. Sed quid opus est breues hinc inde sententiolas conquirere: cùm exstent integræ epistolæ ad hoc precipuè institutum comprobandum ab Apostolis scriptæ? Audiamus Augustinum *a*. *Quoniam*, inquit, *hæc opinio tunc fuerat exorta*, (qua quidam mala securitate epistolis S. Pauli non benè intellectis, solam fidem ad salutem sufficere putauerunt, bona vita & bonis operibus interim neglectis) *aliæ Apostolicæ epistolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeq; euangelicam definiuit, cuius*

opera

opera ex dilectione procedunt: Et fides inquit quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Vbi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio bene viuitur, &c. Ita Augustinus: qui & ipse quoq; non tantum succinctè passim, sed ex instituto quoque & eo ipso loco, & in præfat. in Psalm. 31. & in lib. 83. qq. q. 76. rem hanc confirmat.

a *August. in lib. de fide & operibus cap. 14.*

14. Quid? quòd iam olim huius erroris, quòd bona opera ad salutem æternam conciliandam necessaria non sint, autores vel patroni, hæreseos notati & condemnati fuerint? Sanè Augustinus *a* non semel perstringit quosdam, qui Apostolorum tempore in eiusmodi errore versati fuerunt. S. Irenęus *b* & Theodoretus *c* eiusdem erroris Patronum faciunt Simonem Magum; & rursus Augustinus *d*, Eunomium. *Fertur* (Eunomius, inquit) *vsq; adeo fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quòd nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio & perseuerantia peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset.* Audis Eunomium Luthero præcinentem: vides Lutherum in Eunomio condemnatum?

a *Aug. in lib. de Baptis. vni. contra Petil. c. 10. & in lib. de fide & morib. c. 14.* b *Lib. 1. c. 20.* c *De hæreticis fabulis.* d *Lib. de hæres. cap. 54.*

15. Fal-

15. Falsum est ergo discrimen illud, quod inter legem & Euangelium, hoc est inter veterem & nouam legem constituunt Sectarij, quòd illius promissiones dependeant ab obseruatione legis & præceptorum, huius autem ab ea dependentes non sint. Verum discrimen consistit in varia perfectione, qua Euangelium veteri legi præcellit. Explicatiorem enim illud fidem tradit, spem maiorum bonorum proponit, præcepta explicatiora, perfectiora, faciliora præscribit: virtute præualet; cum *Euangelium virtus Dei sit in salutem omni credenti a*: contra verò *reprobatio facta sit pracedentis mandati propter infirmitatem b*. Euangelica lex non, vt antiqua, certis locis aut personis constringitur, neque certo tempore definitur. Antiqua *lex per Moysen data est*, noua autem lex, & simul *gratia & veritas per Iesum Christum facta est c*.

a *Rom.1.* b *Hebr.7.* c *Ioan.1.*

16. Non minus falsum ex dictis conuincitur illud, quod Magistri illi prurientes auribus fidenter effutiunt; libertatem Christianam consistere in liberatione ab obseruatione mandatorum. Hæc Euangelica libertas est, liberum esse à seruitute peccati *a*, ab obligatione præceptorũ cæremonialium & iudicialium veteris legis *b*, à seruili spiritu timoris *c*. Ita si *quos filius liberauerit, ij verè liberi erunt d*. Qui verò aliter Christianam libertatem interpretãtur, ipsi serui sunt corruptionis. Audi Augustinum *e*. *Apertissimã*, inquit,

inquit, *possunt legere sententiam Apostoli Petri, qui cum loqueretur de iis, qui in occasionem carnis acceperant, & in velamētum malitiæ quod scriptum est:* Nos *ad nouum Testamentum pertinentes, non ancillæ filios esse, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit: & putauerant hoc esse liberè viuere, vt tanquam de tanta redemptione* (audiant hoc Sectarij) *securi, quicquid liberet, licere sibi arbitrarentur, non intuentes quod dictum est: Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis: vnde & ipse Petrus dicit: Liberi non sicut velamentum malitiæ habentes libertatem: ait de illis & in secunda epistola sua: Hi sunt fontes sicci, & nebulæ à turbine exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruata est. Superba enim vanitatis loquentes illiciunt in concupiscentiis carnis impudicitiæ eos qui paululum effugerunt, in errore conuersati, libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.*

a *Rom. 6.* b *Actor. 15. Gal. 5.* c *Rom. 8.* d *Ioan. 8.* e *August. in lib. de fide & operib. cap. 24.*

17. Cùm autem ex Catholicorū mente actualis obseruatio mandatorum ad salutem necessaria esse dicitur: non hoc ita intelligendum est, quasi necesse sit consequuturum vitam ęternam omnia omnino mandata tam affirmatiua quam negatiua actu & reipsa adimplere: neq; ita duntaxat tenuiter explicanda est eiusmodi mandatorum obseruatio, quasi ad vitam æternam consequendam satis sit adulto rationis compoti, si positi-

positiuo actu nullum pręceptum violet, nullum impleat. Nimis illud multum est, si ab adultis exigas, vtpote vix ab vllo beatorum præstitum: nimis hoc paruum est, si plus ab adultis non exigas: cum sit adultis pariter & infantibus commune.

18. Sed hoc maximè sensu Catholici asserunt obseruationem mãdatorum adultis ad gloriam consequendam necessariam esse, quòd necesse sit eos, nisi à iure cœlestis gloriæ capiendæ excidere velint, pro loco & tempore, quo nimirum præceptum aliquod obliget, & facultas implendi suppetat, reipsa quoque bonum virtutis iuxta præscriptum legis operari: ita quidem omnino, vt non solum contra legẽ malè agendum adulto non sit, sed etiam pro loco & tempore secundum legem rectè operandum. *Omnis enim arbor bona fructus bonos facit.* Et: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matth. 3. & 7.*

19. Quod vsque adeo verum est, vt nemini quantumuis iusto ex adultis vita æterna contingere possit; qui non semel saltem in vita ex gratia & charitate supernaturali rectè operetur, tali videlicet actu, qui meritorius sit vitæ æternæ. Sine merito enim proprio nulli adulto vita ęterna contingere, neq; meritum sine gratia & charitate consistere potest. Docet hoc scriptura, cum vt infra patebit, adultis vitam ęternam tanquam mercedem proponit.

20. Hinc rectè colligunt Doctores adultum illum qui per solam attritionem in sacramento gratiam consequutus, sed nihil adhuc ex gratia operatus fuerit, vt & eum qui gratiam baptismalem ab infantia conseruârit quidem, sed nullo proprio actu auxerit, quantumuis pro tempore iustum, saluum tamen esse non posse, nisi vlterius, ex gratia quam habet, bonum operetur. Sed quid si moriatur talis, peribitne? Non peribit, quia gratiam habet, cum qua perire nemo potest, etiamsi velit, & sine qua perire quiuis debet, etiamsi nolit. Igitur ob hoc ipsum quoque non morietur in hoc statu, ne pereat.

21. Neque tamen existimare quisquam debet quacunq; transgressione præcepti ius acquirendæ vitæ æternę penitus amitti. Est in peccatis atque adeo in legum transgressionibus differentia, optimè cognita Catholicis, pessimè negata ab hæreticis. Quædam peccata naturâ suâ vitam gratiæ diuinæ auferunt animæ, mortemque adferunt, & ideo mortalia dicuntur: quædam leuiora sunt, quę lædunt animam quidem & commaculant, sed non occidunt, nec penitus dehonestant, & quia facilem apud Deum veniam obtinent, venialia dicuntur. Jlla igitur ius ad vitam æternam penitus adimunt; hæc quodammodo impediunt, ipsamque gloriam differunt, non auferunt.

22. Sed lustremus obiter potissima pro causa Sectariorum præsidia. Primum ergo Lutherus pro

pro sua autoritate, multis in locis in sua versione germanica grauissimè deprauat, aut aliâs indignissimè tractat scripturam, vt eam vel consentientem suæ causæ habeat, vel certè repugnantem non habeat. Quid ergo? Epistolas S. Iacobi & Iudæ à Scripturæ canone remouet, contra omnium antiquorum sententiam. Apud Lucam *a* vbi referuntur illa verba Isaiæ *b*. *Prædicate annum Domini acceptum & diem retributionis*, ipse duo hæc vltima verba omittit. Apud S. Paulum *c* iugulat illa verba: *Quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Apud S. Petrum *d* vbi legimus: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: expungit illam particulam. *Bona opera.* Et solum detrahit, nihil addit? Imò vero, & paruam quidem vocem, sed multis sententiis grandiorem. In epistola ad Rom. cap. 3. vbi omnes libri habent: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*: addit ille sacrilegè particulam SOLVM, non veritus maledictum illud: *Si quis apposuerit ad hæc apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, &c.* Apoc. 22.

a *Luc.* 3. b *Isai.* 63. c 2. *Corinth.* 11. d 1. *Pet.* 1.

23. Deinde alij non ipsum quidem scripturæ textum corrumpunt, sed sensum, dum bonam scripturam non benè intelligunt, & quod in ea non benè intelligunt etiam temerè & audacter

asserunt. Coaceruant igitur diligenter omnia illa loca, quibus significatur in scriptura hominē sine operibus iustificari. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis* a. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum* b. *Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis* c. *Gratia estis saluati per fidem, non ex operibus* d. Nonne, inquiunt, hæc & similia manifestè omnia illa opera præter fidem, à negotio iustificationis excludunt?

a *Rom.3.* b *Rom.4.* c *Galat.2.* d *Ephes.2.*

24. Verum ineptè *homines* isti, vt cum Augustino *a* loquar, *non intelligentes quod ait Apostolus Paulus, Arbitramur hominem, iustificari per fidem sine operibus legis*, (& similes sententias supra recitatas) *putauerunt eum dicere, sufficere hominis fidem, etiamsi male viuat, & bona opera nō habeat. Quod absit vt sentiret vas electionis, etc.* Solùm igitur, vt breuiter dicam, à iustificatione in citatis locis, tanquam inutilia excludit Paulus, tum opera legis Iudaicæ, tum etiam opera quæcunque externa, quæ etiam sola propriè opera dicuntur, tum omnia illa quæ fidem & gratiam antecedunt, & ex solis viribus liberi arbitrij fiunt, vt passim Augustinus *b* & Hieronymus *c* docent; minimè verò excludit actus fidei, charitatis, pœnitentiæ, vtpote qui nec opera propriè dicuntur, nec sine gratia producuntur. *Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli & Iacobi, cum dicit vnus,* *iustifi-*

iustificari hominem per fidem sine operibus: & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt: iste de iis, quæ fidem sequuntur: sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit. Ita Augustinus d.

a *August. in lib. de grat. & lib. arbit. cap. 7.* b *August. loc. citat. & in præfat. in Psal. 31. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2.* c *Hieron. in epistol. ad Ctesiphontem.* d *August. in l. 83. qq. q. 76.*

25. Alia præterea multa scripturę loca congerunt in quibus fidei salus attribuitur, nulla facta mentione aliorum actuum. Vt sunt ista: *Fides tua te saluam fecit* a. *Qui credit in filium habet vitam æternam* b. *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum* c, *&c.* Sed cum scriptura alibi, vt supra notatum, vim eandem aliis quoq; piis animi motibus tribuat, plana & plena responsio est: fidem quidem ex scripturæ sententia saluare, sed non solam, vel solam quidem, sed non nudam, verùm charitate formatam, fidem inquam viuam, *quæ per dilectionem operatur* d.

a *Luc. 7.* b *Ioan. 3.* c *Rom. 5.* d *Galat. 5.*

26. Sed vrgent illud a, *Crede tantùm & salua erit.* Hîc nimirum inuenisse sibi quidā videntur & verò gloriantur particulam illā SOLVM, quam Lutherus in hanc vsque horam arguitur ex suo capite confictam scripturæ sacrilego ausu assuisse. Sed perpendamus locum, & non erit excusationi locus. Loquitur ibi Christus de salute corporali restituenda filiæ demortuæ Iairi, & de fide

non propria eius cui salus promittitur, sed aliena parentis. Quæ ergo hæc amentia est, ex loco illo scripturæ vbi de fide miraculorum, quam isti aliam faciunt à iustificante, & de fide aliena, & de salute corporali mẽtio est, colligere & tanquam ad oculos demonstratum palam iactitare, sola fide iustificante spiritualem animæ salutem apprehendi: cum potius inferre debuissent, sola fide miraculorum corporalem apprehendi sanitatem, vt ita quicunq; credit se non moriturum, aut sanitatem recuperaturum, non moriatur? Quod si consequentia hæc à particulari ad vniuersale in eadem materia non valet, cur obsecro valeat in materia penitus diuersa? a *Luc. 8.*

27. Demum huc etiam aggerunt, sua illa communia pronuntiata: hominem obseruare præcepta Dei non posse: omnia opera etiam iustorum esse peccata mortalia & ex sola Dei misericordia venialia: quæ tam vera sunt, quam illa, quæ per ea probanda sunt, hoc est falsissima. Et vt illa ex instituto refutare nostri instituti non est, ita obiter conuellere facillimum. Sic autem ex dictis ratiocinamur. Præcepta Dei obseruari debent, vt supra ostensum: ergo obseruari possunt. Iniquus enim sit Deus, si quid vltra vires à nobis ipse requirat. *Absit autem à Deo impietas & ab omnipotente iniquitas* a. Taceo luculentissimas illas scripturas: *Mandatum quod ego tibi præcipio hodie non supra te est* b. *Iugum meum suaue est & onus meum leue* c. *Hæc est charitas Dei, vt manda-*

mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt d, *&c.* Et rursus ita. Opera bona à Deo præcipiuntur & requiruntur ad vitam æternam: ergo peccata mortalia non sunt. *Nemini enim Deus mandauit impiè agere* e, *&c.*

a *Iob 34.* b *Deuter. 30.* c *Matth. 11.* d *1. Ioan. 5.* e *Eccles. 15.*

28. Fatemur tamen non ita posse exactè præcepta seruari, quin etiam ab optimo quoque venialiter quandoque peccetur. Quamuis enim singula venialia à quouis cum diuina gratia vitari possint, omnia tamen collectiuè non possunt. Hinc ergo fit, vt & necessarium sit, leuiter quandoq; peccare iustum, & nihilominus liberè peccet, quandocunque peccat. De mortalibus peccatis alia ratio est, vt quæ non modo singula, sed & omnia collectiuè quoque sumpta Deo adiuuante vitari possunt.

CAPVT II.

De meritis bonorum operum.

29. Meritum generatim vocamus opus cui aliqua retributio respondet. Diuiditur iuxta hanc notionem à Theologis in duas quasi species; in meritum videlicet de congruo & de condigno. Meritum de condigno, quod solum propriè dictum meritum, est opus, quod secundùm modum aliquem æqualitatis & iustitiæ, siue commutatiuæ, per quam constituitur æqualitas rei

ad rem, siue distributiuæ, quæ spectat æqualitatem proportionum meriti ad præmium, aliqua mercede ab altero compensari debet. Meritum de congruo vocatur illud opus, quod etsi non ex iustitia compensari debeat, conueniens tamen est & decorum, vt aliquo munere remuneretur. Quæ descriptiones facilè possunt ab intelligente ad meritum hominis apud Deum accommodari.

30. Hoc posito quæritur primum, sitne aliquod hominis propriè dictum meritum apud Deum? Sectarij vel timidè annuunt, vel prorsus abnuunt. Catholici audenter asserunt: & quid nî asserant? Scriptura asserit disertissimè. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum* a. *Non verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam apud Dominum est merces bonorum operum* b. *Est merces operi tuo, ait Dominus* c. *Si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem habebit* d. Certe si merces est operis, meritum est opus.

a *Sap.5.* b *Eccles.18.* c *Ierem.31.* d *1.Cor.3.*

31. Sed occurrit Aristoteles *a* qui docet, inter Deum & hominē non esse iustitiam nisi imperfectam & secundum quid: quod idem de merito hominis apud Deum asserit D. Thomas *b*, & alij communiter Theologi. Verum Aristotelem hîc nihil moramur. Nec amicitiam inter Deum & hominem, nec gratiam, agnouit ille; nec promissionem diuinam, vnde oritur meritum: quid ergo

ergo mirum si meritum & iustitiam quoque veram inter hominem & Deum ignorauit? Porrò D. Thomam ita intelligimus, esse meritum inter Deum & hominem tantum secundum quid, non quòd verum & propriè dictum meritum non sit, sed quòd ita perfectum & absolutum nõ sit, supponens vtique magnam & multiplicem liberalitatẽ ex parte Dei, gratis videlicet creantis, conseruantis, & redimentis hominem, conferentis gratiam, concurrentis cum eo ad operandum, promittentis præmium, &c. His ergo & similibus de causis, hominis apud Deum meritum non nisi secundum quid dicitur, ea phrasi, qua Ens creatum respectu Entis increati, Ens secundum quid vocari solet.

a *5. Ethic. cap. 5.* b *1.2. quæst. 114. art. 1.*

32. Requirit autẽ opus quod ex iustitia à Deo compensandum sit, varias conditiones. I. Vt sit opus bonum. II. Vt ad Deum aliqua ratione spectet. Quod ad ipsum enim non attinet, cur ab eo data mercede compensetur? III. Vt fiat à Viatore, iuxta illud. *Ecce nunc tempus acceptabile* a. Et: *Cum tempus habemus operemur bonum* b. IV. Vt sit liberum. *Pœna siquidem iniusta esset & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam*, teste Augustino c. *Et vbi non est libertas, nec meritum*, ait Bernardus d.

a *2. Cor. 6.* b *Gal. 6.* c *August. lib. 2. de lib. arbit. c. 1.* d *Serm. 81. in Cantic.*

33. Conditio quinta est, vt procedat ab amico

& filio Dei per gratiam. *Si enim distribuero in cibos pauperum omnem substantiam, &c. charitatem autem* (siue gratiam quę à charitate nunquã seiungitur) *non habuero, nihil mihi prodest* a, inquit Paulus. Sexta conditio est, vt intercedat diuina promissio de compensando opere nostro, sine qua nullum ipse compensare tenetur. *Debitor enim nobis factus est Deus, nõ aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo*, inquit Augustinus b. *Neq; sunt condignæ passiones* (secundum se spectatæ, seclusa promissione diuina) *ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis* c. Et agnoscunt quoq; hanc conditionem Concilium Tridentinum d, & Theologi communiter e, cum orthodoxè docent, Deum remunerari opera bona supra condignum.

a *1.Cor.13.* b *August. serm.16. de verbis Apost.* c *Rom.8.* d *sess.6.cap.vlt.* e *In 4.sent.d.46.*

34. Et astipulatur ratio, ex ipsa natura operum petita. Sunt enim profectò opera nostra omnia, quanta quanta sunt, duratione momentanea, quantitate leuia, si conferantur ad *æternum gloriæ pondus quod operantur in nobis* a. Sunt iam ante Deo multis nominibus debita, sunt ei grata quidem, sed reipsa certè nequaquam proficua. Quid ergo ipsa per se, sine liberali Dei promissione mereantur apud Deum? Perpendens hoc Augustinus b. *O magna*, inquit, *bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vt serui Domino, famuli Deo, subiecti poten-*

ti,

bi, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit.

a 2.*Cor.*4. b *August.in serm.de verbis Domini.*

35. Vltima tandem conditio est, vt per charitatem ad Deum referatur. Dicunt hoc omnes; sed in eo dissentiunt etiam docti, an actuali & explicita relatione opus sit, an vero sufficiat habitualis aut virtualis. Magis placet eorum sententia, qui dicunt satis non esse ad meritum, vt opus habitualiter referatur ad Deum, sed opus esse, vt vel actualiter, vel ita certè virtualiter ad Deum referatur, vt prodeat saltem & nascatur ab actu per charitatem imperato, & in Deum ante relato: vt accidit, si quis v. g. serio decernat centum aureos propter Deum elargiri. Hæc enim eleemosyna suo tempore facta meritoria erit, tametsi eam ad Deum postea actualiter non referat. Secus æstimandum, si quis mane generali quadam intentione duntaxat, opera sua ad Deum referat. Non enim ideo eius diei opera bona omnia meritoria censenda sunt. Atque ita sentiunt Bonauentura, Scotus, Bellarminus. *Vide Bellarm.lib.5.de Iustificat.cap.15.*

36. Ex his facilè iudicari poterit, quænam sit radix meriti. Est enim tum ipsa gratia diuina & charitas, tum gratuita quoque Dei promissio, qua se bona opera iustorum compensaturum Deus promisit. Facitne autem sola maior gratiæ copia ad maiorem quoq; meriti dignitatem, ita vt cęteris paribus maioris meriti sit opus factum

ab

ab eo qui maiore gratia pollet, quam idipsum præstitum ab eo, qui minore apud Deum est in gratia? Equidem existimo. Multum enim confert ad dignitatem operis dignitas operantis. Et idem cum Victoria tuetur Gregorius de Valentia. *Tom. 2. disp. 8. q. 6. punc. 3.*

37. Sed iam videamus quænam illa sint, quæ in meritum propriè dictum cadunt. Et verò quę in quæstionem venire possunt, octo sunt, ipsa videlicet gratia prima rectè operantis, atq; adeo remissio peccati mortalis, remissio peccati venialis, reparatio post lapsum mortiferum, si forsitan ita labi iustum contingat; perseuerantia finalis, auxilia actualia gratiæ ad perseuerandum necessaria, bona temporalia, augmentum gratię iustificãtis, gloria cœlestis. De singulis dicemus, sed prius de illis quæ in meritum non cadunt.

38. Eiusmodi sunt ipsa gratia prima rectè operantis, remissio item peccati mortalis, reparatio post lapsum, perseuerantia finalis: neque potest vllus homo purus alteri gratiam vel gloriam de condigno promereri. Propria & singularis hæc Christi Dei & hominis excellentia est. Hæc cum in confesso sint apud Catholicos, non cessant tamen Sectarij, & in ipsa quidem Confessione Augustana *a*, Pelagij nobis errorem impingere, tanquam si asseramus gratiam & remissionem peccatorũ meritis nostris acquiri, cũ & Theologorũ schola cum D. Thoma *b*, & ipsum Concilium Tridentinum *c*, apertè reclamet.

Sed

Sed vellent ipsi nimirum tam nos verè Pelagianos dici, quam ipsi verè sunt Eunomiani.

a *Art.20.& in Apolog.tit. de Iustificat.* b *in 1.2. q.114.art.5.& 7.* c *sess.6.cap.5.& 8.*

59. Neque possunt eo suum mendacium pallio contegere; quòd nonnulli Doctores Catholici dicunt, gratiam primam saltem de congruo mereri hominem posse, vel operibus moraliter bonis, quæ tempore antecedũt iustificationem, vel ipsismet illis, actibus quibus proximè disponitur ad iustificationem. Nam vt non dicam æquè multos hoc ipsum negare, certè longè diuersum est meritum propriè & simpliciter dictum, à merito secundum quid & impropriè dicto, quod de congruo vocant Theologi. Quod vt manifestè tandem intelligant Sectarij, aduertant eos ipsos Patres qui Pelagij errorem olim apertè detestati sunt, ac proinde meritum illud propriè dictum & de condigno operibus & actibus antecedentibus ipsam iustificationem prorsus negarunt, meritum tamen de congruo impropriè videlicet dictum iisdem actibus attribuisse. Omitto Tertullianum *a*, Cyprianum *b*, Ambrosium *c*, Hieronymum *d*, Gregorium *e*. Vnus omnium loco sufficit Augustinus *f*: *Nec ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei.* Et rursus alibi *g*: *Niniuitæ*, inquit, *pœnitentiam egerunt & certam misericordiam meruerunt.* Quid ad hoc Prędicantes, anne etiam

etiam istis Pelagianizat Augustinus, & cætera turba SS.Patrum, Pelagij abiurati hostes? Sed ad reliqua.

a *Tertull.lib.4. in Marcion.* b *Cyprian.in serm. de lapsis extremo.* c *Ambros.lib.2. de pœnit. cap.3.& lib.10.in Lucæ cap.22.* d *Hieron.l.2. contra Pelag.* e *Gregor.lib.3.cap.4.in 1.Reg.* f *August.in epist.105.* g *Idem in Psal.50.*

40. Bona temporalia meretur quidem iustus, sed non simpliciter & absolutè, ita vt qui boni quidquam faciat, hoc ipso statim consequatur bona temporalia, & qui plus boni faciat, plus quoque bonorum temporalium adipiscatur. Constat enim sæpe optimos quosque penuriam pati,& pessimos abundare. Sed eatenus illa meretur iustus ex D.Thomæ aliorumque Theologorum sententia, quatenus iustum suo modo adiuuant,vt beatitudinem cōsequi possit. Quin etiam iniusti nonnunquam operibus moraliter bonis ex congruo mereri possunt temporalem fœlicitatem,vt exemplo Obstetricum Ægyptiarum *a* & exercitus Regis Babylonis *b*, doceri potest. a *Exod.1.* b *Ezech.29.*

41. Sed quid de remissione peccatorum venialium dicemus? Nunquid iustus remissionem peccati venialis de condigno mereri potest, saltem per actum illum contritionis vel amoris Dei, quo alioquin peccatum veniale deletur? Equidem non facilè concesserim. Siue enim iustus pro peccato veniali ex iustitia satisfacere pos-

sit,

ſit, quod multi dicunt, ſiue non poſſit, vt nonnulli negant, certè meritum à ſatisfactione multis modis diſtinguitur. Illud ordinem dicit ad mercedem, hæc vero ſolum ad compenſandam iniuriam alterius, illud reſpicere propriè videtur commodum merentis, hæc verò honorem offenſi, illud facit alterum debitorem, hæc diſſoluit debitũ, illud ſupponit amicitiam ad Deum, hęc lęſam reſtaurat. Hinc ergo opus ad qualemcunque alterius offenſam tollendam, aut etiam pœnam temporalem ſoluendam ordinatum, ſatisfactio quidem dicitur, ſed meritum remiſſionis offenſæ vel pœnę propriè loquendo non dicitur.

42. Quid ergo tandem rectè operando meretur iuſtus, ſi hæc non meretur? Primùm quidem augmentum gratię. Deinde auxilia actualia gratiæ ad perſeuerandum neceſſaria. Demum gloriam cœleſtem: vt & in Concilio Tridentino *a*, & Florentino *b*, & in Lateranenſi ſub Innocentio III. *c* definitum eſt. Satis hęc multa, ſi ſat certa dicet Sectarius. Videamus ergo an quidpiam ad exploratiſſimam veritatem deſit. Et quia de tertio potiſſimum controuerſia eſt, de illo ſolo agemus, cum præſertim illo probato de duobus illis prioribus magna difficultas eſſe non poſſit.

a *Trid. ſeſſ 6. cap. 16. & can. 26. & 32.* b *Florent. in decret. de purgat.* c *Later. vt habetur in cap. Firmiter de ſumma Trin. & fid. Cathol.*

43. Conſulta igitur ſcriptura quę ſola quidem

Secta-

Sectariis fidei regula est, nihil ferè clarius asserit, quam vitam æternam iustorum meritis, tanquam iustam mercedem, à iusto iudice Deo tribuendam esse. Vt cum dicitur: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* a. *Voca operarios, & redde illis mercedem* b, denarium videlicet diurnum, quo vitam æternam significari omnes Patres intellexerunt. *Qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam* c. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* d. Et quid hîc aliud significet operari quam promereri? *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex* e, *&c.* Quid potest clarius dici?

a *Matth. 5.* b *Matth. 20.* c *Ioan. 4.* d *2. Cor. 4.* e *2. Timoth. 4.*

44. Actum agerem, si testimonia SS. Patrum referrem, quæ tam facilè contemni solent à Sectariis, quã facile adferri possunt. Augustinum, quem & ipsi quoq; magni nonnunquam facere videntur, prętermittere non debeo. Hic igitur *a*, *Nullàne, inquit, sunt merita iustorum? Sunt planè quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita non fuerunt.* Et infrà: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Et alibi *b* in illum

Pauli

Pauli locum c. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, opus est; cursum consummaui opus est, fidem seruaui opus est, superest mihi corona iustitiæ, merces est, &c.* Et rursus alibi d: *Non dixit*, inquit, *donat, sed reddet. Quando donabat misericors erat, quando reddet iudex erit, &c. Donando delicta fecit se debitorē coronæ, ibi misericordiam consecutus sum. Misericors ergo Dominus primò, hîc autem reddet mihi coronam iustitiæ Vnde reddet? quia iustus iudex est. Quare iustus iudex? quia bonū certamen certaui, &c.* Et alibi rursus e: *Cum promerueris* inquit *Deum, viuendo ex fide, accipies præmium, immortalitatem & vitam æternam: & illa gratia est, &c.*

a *August. in epist. 105. ad Sixtum.* b *Lib. 50. hom. 14. homil.* c *2. Tim. 4.* d *in Psal. 100.* e *tract. 3. in Euang. Ioan.*

45. Sed infœlices Sectarios nostros plus in errore confirmat vnica hæc & vltima particula Augustini, quàm omnes illæ plenæ & integræ sententiæ ad veritatem traducunt. Quid ergo? An non, inquiunt, vita æterna gratia vocatur ab Augustino, an non disertè gratia appellatur à Paulo: *Gratia Dei vita æterna* a. Si gratia est, merces non est. *Ei enim qui operatur merces non imputatur secundum gratiā, sed secundum meritum* b. Est ita prorsus vt assumunt, sed non vt concludunt. a *Rom. 6.* b *Rom. 4.*

46. Audiant Augustinum a ad propositum argumentum pro se pariter & Apostolo perspicuè respondentem: *Ipsa vita æterna*, inquit, *quæ*

vtiq; in fine, sine fine habebitur, & ideò meritis p̄cedentibus redditur, tamen quia eadē merita quib. redditur nō à nobis parata sunt per nostrā sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiā ipsa(vita æterna)*gratia nuncupatur, nō ob aliud nisi quia gratis datur* (respiciendo gratiam pro qua datur) *nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur*: Et alibi *b*: *Intelligendū est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quib9 cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur*. Et similia repetit alibi *c*. Sed hæc intelligenti sufficiunt.

a *August. in epist. 105. ad Sixtum prope medium.* b *August. in Enchir. cap. 107.* c *In lib. de gratia & lib. arbit. cap. 8. 9. 15, 16. 20. & 21.*

47\. Sed controuertunt Theologi, an bonorū operum meritis vita æterna secundum commutatiuæ, an vero secundum distributiuæ iustitiæ formam reddatur. Et placet illa mihi sententia a qua cum distinctione ad propositam quæstioné respondetur. Si .n. ipsa opera considerētur per se, seclusa promissione diuina, tum secundū cōmutatiuam iustitiam à Deo non cōpensantur, vtpote cum vt sic vitæ æternę præmio condigna & æquiualentia non sint. Sin aūt non secundum se tantū, sed vt prçterea substant promissioni diuinæ, spectentur, tunc omnino secundum cōmutatiuam iustitiā à Deo cōpensanda sunt, quo nimirū modo quæcunq; illa politica merita inter homines, sua debita mercede cōpensantur.

a *Greg. de Val. tom. 2. disp. 8. q. 6. punct. 4.*

48\. At;

48. Atq; ex his quæ hactenus differuimus, facile nūc contra Sectarios deduci potest, fiduciam Sanctorū, quam quidem in Deo præcipuè constitutā habent, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis oriri: quamuis & propter incertitudinem verorū meritorum & propter superbiæ periculū cauendum cauenda quoq; sit de propriis meritis præsumptio. Hinc cōsultius fuerit, de se suisq; factis submisse sentiendo dicere: *Serui inutiles sumus* a. Et cum Daniele *b*. *Non in iustificationib. nostris, &c. sed in miserationibus tuis multis &c.* quam sua coram Deo merita allegare, aut studiosius appendere. Fecerunt hoc iusti & sancti, Ezechias *c*, Esther *d*, S. Paulus *e*. Sed si illi cum sancti & in afflictionib. positi essent, sanctè fecerunt, eadem ratione faciendū ab aliis, qui sint eiusdem cum illis conditionis & status.

a *Luc. 17.* b *Dan. 9.* c *Apud Isai. 38.* d *Esth. 14.* e *Rom. 8.*

49. Æquè certum esse debet contra Sectarios, licitum esse intuitu mercedis bonum operari. Præcipit hoc in scriptura Christus: *Quærite primum regnum Dei* a, docet exemplo suo Dauid: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem* b. Confirmat autoritate sua Augustinus c: *Quando facis*, inquit, *bonum opus, propter vitam æternam fac. Nam si opus bonum in terra propterea feceris, vt terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextra tua, miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere nisi propter vitam æternam. Si*

ideo facies, securus facies, hoc enim mandauit Deus. Vis plura? Si vel parum saperes, plura non velles.

a *Matth. 6.* b *Psalm. 118.* c *Aug. in Psal. 128. Matth. 6.*

50. Concludo totam disputationem cum Augustino a: *Intendite ergo vos, alioqui malè intelligendo* (epistolas S. Pauli in quibus opera videntur excludi à salutis negotio) *proiicitis vos in [illegible] voraginem impunè peccandi*, (sicut reuer[illegible] de facto se proiiecerunt Sectarij nostri) *& ego liber sum, sicut ipse Apostolus ab omnibus malè intelligentibus liber fuit. Libenter enim male intellexerunt* (veteres illi, vt & noui Hæretici) *ne bona opera sequerentur. Nolite esse de numero talium fratres. Dicitur in quodam Psalmo* b *de quodam homine tali, id est de tali genere, quasi de vno;* (cum tamen sint multi tales) *noluit inquit intelligere, vt bene ageret. Non dictum est, non potuit intelligere: vos ergo oportet vt velitis intelligere, & bene agatis. Intellectus enim vobis non deerit manifestus. Quis est manifestus intellectus? Nemo iactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in bonis operibus accepta fide.*

a *August. in præfat. in Psal. 31.* b *Psal. 35.*

FINIS.